Jac Jos Jnep. se ij

Jsagoge
1570
ad vitam longiorem

30463/B 155

8vo

Curious Volume

C II

7/-



·Delin: R. P. Ant: Lublinsky C. R.

Cornelij Nicolaus Schurtz sculp. Norinbergæ. 1679.

42.570

ISAGOGE,
SEU
MANUDUCTIO
AD
VITAM LONGIOREM:

Variis, de tuenda, reparandaq́; valetudine, Diſſertationibus illuſtrata:

&

Selectis, tum Veterum, tum Recentiorum Medicorum ſcitis placitisquè ſtabilita:

Publico omnium Biophilorum emolumento, in lucem edita

à

JACOBO JOSEPHO JOEPSERIO,
Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, E. A. & C.P. Jurato Marcomanniæ Phyſico, per Diſtrictum Echinopolitanum &c.

NORIBERGÆ,
Sumtibus MICHAELIS & JOHAN: FRIDERICI ENDTERORUM.

ANNO M DC LXXX.

POTENTISSIMO AC INVICTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI,

LEOPOLDO
PRIMO,

PERPETUO AUGUSTO, PIO, FELICI, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ,

REGI:

ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, WIRTEMBERGÆ, SILESIÆ, &c. MORAVIÆ UTRIUSQUE LUSATIÆ MARCHIONI, HABSPURGI, TIROLIS, ET GORITIÆ, COMITI, ALSATIÆ LANDGRAVIO, &c.

DOMINO, DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

AUGUSTISSIME CÆSAR
LEOPOLDE

COgitanti mihi, hunc qualem qualem ingenii mei fœtum publicam in lucem edere, non diu diſpiciendum fuit, ſub cujus id potisſimum auſpiciis agere deberem. Facilè enim Sacra Cæſarea Majeſtas Veſtra in oculos meos incurrit, quæ in altisſimo Imperialis Solii culmine, velut Sol in cœlo, eminens orbem irradiat univerſum. Deterruit me primùm quidem (ut candidè fatear) ab hoc molimine tum operis ipſius tenuitas, tum veneranda Auguſti nominis dignitas: verùm admirabilis illa, &, in tanto faſtigio, par prodigio comitas, qua Majeſtas Veſtra ſe cunctis, è
Lib. 1. de Clement. cap. 13. Divini Senecæ præſcripto ſermone affabilem, acceſſu facilem, vultuque, qui populos maximè demeretur, amabilem præſtat, & ſingularis animi propenſisſimi benevolentia, quâ literas & litera-

tos

tos tantopere complectitur, ut eos, cum Otthone Tertio, ſummo in pretio ac delitiis habeat; cum Alexandro Macedone, ſuum in comitatum deducat; cum Conſtantino, ſingularibus privilegiis & immunitatibus donet; cum Marco Antonio Pio, liberalibus ſalariis augeat; cum Carolo Quarto, Aliisque Domûs Auſtriacæ Majoribus, non ſolùm ſtipendiis, ſed exquiſitis etiam honorum titulis ornet: illa, inquam, Majeſtatis Veſtræ, erga literatos, benevolentia & favor perſvaſerunt, ut, metu, quem debita Sacræ Cæſareæ Majeſtati reverentia incuſſit, tantiſper ſepoſito, hunc ingenui laboris mei fructum Auguſto Nomini auderem conſecrare. Quâ quidem audaciâ ſi fortè quidpiam à me delictum ſit, tantò faciliorem delicti veniam à congenita Auſtriacis Monarchis Clementia obtenturum me confido, quantò pluribus, ad id audendum, titulis fui incitatus.

Cuſpinianus Plutarchus, in Alexandro. Zonaras, lib. 1 cap. 8. Capitolinus Cuſpinianus.

Sive enim libri argumentum, ſive Author ſpectetur, nulli ſanè alteri tot titulis obſtrictus, quàm Sacræ Majeſtati Veſtræ debebatur. *Iſagogen*, ſive

Manu-

Manuductionem ad longiorem vitam, ſcripſi; & cui, amabo! hanc convenientiùs dedicem, quàm illi, cujus vitam tot hactenus malevolorum inſidiis, ferro, flammis, veneno, aliisque nefariis artibus appetitam uti ſummè doleo; ita eandem non ſolùm Arte & Marte, calamo & chalybe, propugnare, ſed vitâ etiam propriâ redimere, ſi poſſem, quàm maximè vellem? Et verò (niſi me credulus amor fallit) concedent fatigati toties iteratis proborum votis Superi Majeſtati Veſtræ non ſolùm ævum ære perennius; ſed illud inſuper Auguſtæ Auſtriadum propagini, quod aureæ arbori fabuloſa tribuit Antiquitas, indulgebunt incrementum, ut, avulſo uno Auguſtæ Domûs ſurculo, nunquam tamen deficiat alter aureus,

Virgil. lib. 6, Æneid, *Sed ſimili ſemper frondeſcat virga metallo.*

Ad hæc non ſolùm Liber, ob argumen[illegible]uod in eo tractatur) convenientiam, ad Majeſtatem Veſtram ſpectat: ſed ipſe quoque Author à Majeſtatis Veſtræ imperio ſe, citra grande piaculum, ſubtrahere nec vult, nec poteſt. Exiguo enim

tem-

tempore, favente cœlo, plaudente Mundo, annuente Hymenæo, lectiſſimam, è Sereniſſima Domo Neoburgica conjugem Majeſtati Veſtræ placuit Maritali fœdere ſibi adjungere, me pariter obſequentiſſimum Vaſallum arctiùs ſibi adſtrinxit, utpote qui, jure Natalis Soli, AUGUSTÆ ELEONORÆ ad obſequia adſtrictus, cum ea in jus quoque & Dominium Majeſtatis Veſtræ totus tranſii, &, tranſiiſſe, lætor. Accedit ad hæc cauſarum momenta & illa non poſtrema, quòd ingratis cuculis apud omnem poſteritatem accenſeri neceſſe habeam, ſi collatorum in me, meoſque, à Majeſtate Veſtra, beneficiorum memoriam aliquâ meâ culpâ paterer obliterari. Memini probè etiamnum, nec ulla unquam, quàm diu ſpiritus hos reget artûs, obſtrictum animum oblivio præſtitæ gratiæ capiet, quâ Sacra Cæſarea Majeſtas Veſtra me numero Medicorum, quos publicis Marcomannia ſumptibus alit, clementiſſimè adlegit, adlectumquè hodiedum benevolè conſervare dignatur.

 Qua-

Quare ut beneficium hoc neque ingrato, neque indigno collatum Majeſtas Veſtra ſentiat; æquum, imò & neceſſarium eſſe duxi, tum indefeſſi ſtudii, quod ad conſervandam tuendamquè populorum Majeſtati Veſtræ ſubditorum valetudinem confero, publicum aliquod ſpecimen edere, tum illud in debitæ gratitudinis mnemoſynon Auguſtis Majeſtatis Veſtræ pedibus, affectu demiſiſſimo acclinare. Quod ſi illud Majeſtas Veſtra ſuis quoque manibus, aut etiam oculis dignata fuerit, næ ego pretium non vile laboris retuliſſe me credam, atque adeo novi beneficii titulo obſtrictus precari Cœlites non deſiſtam; ut non modò tot è Serenisſima Eleonora Neoburgica Majeſtati Veſtræ Archiduces largiantur, quot Serenisſimus Auguſtæ Parens Philippus Guilielmus Comes Palatinus Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium &c. Dux è Serenisſima Matre magni roboris, & præclaræ indolis ſuſcepit Filios Principes, verùm etiam ut Majeſtatem Veſtram in illa tempora ſoſpitem conſervent, atque incolumem;

lumem; Dum elapſo Julio natum è Sereniſſima Eleonora Joſephum inſtar victorioſorum Julii aut Auguſti Cæſarum, de univerſis Domûs Auſtriacæ hoſtibus, glorioſè triumphantem, multiplicique Regnorum diademate redimitum, ac tum felici Prole Parentem videat, ſerosquè ex illo Nepotes numerans, lætetur Auſtriacis Imperium ſine fine datum.

Ita precatur, ita vovet

Sacræ Cæſareæ Majeſtati
Veſtræ

Humillimus Cliens

Jacobus Joſephus Joëpſerius.
Med. Doctor,

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

EA Hominis, à ſapientisſimo univerſi Architecto primùm conditi, fuit dignitas, ut, factus in animam viventem, non modo principem ſui partem, animum videlicet, nactus ſit immortalem: ſed corpus etiam, contra infeſtos morborum inſultûs, incolume ſervare, vires annis aut laboribus attritas ſaluberrimo vitalis arboris fructu reſarcire, atquè ita ab interitu vindicare facili negotio potuerit. At ubi uxorius Adam, & noſtri generis Protoparens, plùs conjugis ſuæ lenociniis, quàm æquiſſimis ſupremi Dictatoris legibus, poſterorumquè ſaluti tribuit, ſpretáquè mortis (quam illi certiſſimam, cum tota progenie, divina Nemeſis comminabatur) pœnâ, vetitæ fructum arboris deguſtavit: ſuam mox, noſtrámque felicitatem bolo abliguriit, ſimulquè patenriſſimum hoc pacto reſeravit oſtium, quo Mors, denſis morborum ſtipata agminibus, in mundum irruit, ſuúmque, velut victrix, adeò latè propaga-

pagavit Imperium; ut nunc æquo pede pauperum tabernas, Regumquè turres, impunè pulſet, ac concutiat univerſa. Et quamvis Imperii adepti primordio teſtudineo paſſu incedere, nec hominum cædibus crebris tantopere delectari viſa ſit (cum ſeptena plerisque, multis etiam novena ſæcula ad vivendum indulſerit) ſucceſſu tamen temporis, ubi ætas parentum, pejor avis, tulit mox nequiores (ut loquitur Horatius, *lib. 3. Ode 6.*) & homines non è rationis, ſed voluptatis præſcripto vitam agentes, manibus illam & verbis accerſierunt (ut extat *Sapientiæ 1. verſ. 16*) eâ nunc in homines mors graſſatur licentiâ, ut Phœnicis inſtar ſit, qui vel unicum vivendo ſæculum exegerit: potior verò pars vix non in ipſo vitæ limine, ſuccedanea morti victima, concidat & ſuccumbat.

Quanquam, ſi rem æquis trutinare velimus ponderibus, non eſt etiamnum, cur vel mortem præproperam nimiæ crudelitatis incuſemus; vel, ob acciſam vitæ brevioris periodum, jure conqueramur: quandoquidem, Siracide teſte, *Eccleſ. cap. 15 verſ. 18.* noſtro adhuc ævo ante hominem vita & mors, bonum & malum, conſtituta ſunt; &, quod placuerit ei, dabitur illi. Propriâ igitur hominum ipſorumet culpâ plerunquè accidit, quòd præmaturo multi fato obeant, celerémque, ante exacta (quæ ſuis natura definivit legibus) vivendi ſpatia mortem incurrant. Dum enim,

 pecu-

pecudum more, ventri obedientes edimus bibimusquè, non ut vivamus: ſed vivimus, ut edamus, atque in omnem, ſine lege & ordine, vivendi licentiam projecti magis gulæ, quàm valetudini; magis voluptati, quàm neceſſitati ſervimus, ipſisquè etiam alimentis, quibus laſſas corporis vires reparare oporteret, ſine modo & menſura ingeſtis, easdem potiùs obruimus: juratos vitæ humanæ hoſtes, morbos videlicet innumeros, intra corporis noſtri confinia admittimus, qui, ſemel admiſſi, nec expelli faciles, tam violentè, diu noctuquè, more hoſtium, in corpus noſtrum graſſantur, omnemquè vitæ ſuccum tam crudè depaſcuntur: ut mirum non ſit, fatale totius corporis compage ſolutâ, excidium ac mortem ipſam celeriter ſubſequi. Accedit ad hæc hominum plerorumq; temeraria præſidentia, quæ (veluti perennes cum morte pacti eſſent inducias) ſuis plus æquo viribus tribuentes, omnia, quæ vel à ſiniſtris ſiderum influxibus in eos dimanare, vel à noxia aëris corrupti contagione advenire poſſunt, contemnant pericula, nulloquè, quid proſit, aut obſit, adhibito delectu, ea duntaxat avidiſſimè admittant, quæ ſapiunt, & palatum mulcent; nil penſi interim habentes, licet, cum Jonatha, amaram, in promulſide melleâ, mortem debeant deglutire. Quin imò, eò jam quorundam præſidens excrevit temeritas: ut, quamvis adverſis morborum inſultibus tentari ſe, haud obſcuris

indi-

indiciis advertant; morborum tamen principiis maturè obſtare, etiam moniti, negligant: ſive quòd auro, in Medicos expendendo, malint, quàm vitæ parcere: ſive quòd pharmacis non ad præcavendas impediendasquè, ſed tantùm ad extirpandas, quæ diu multumquè invaluerunt, ægritudines utantur: ſive quòd, ſtultâ imbuti opinione, adhibenda non priùs medicamenta cenſeant, quàm fugitiva extremis labris anima inſediſſet. Qui quidem, intuenda valetudine, palmaris planè error quò ſerpit inter homines latiùs, eò plura in dies addenſari funera, & multos in ipſo vernantis juventæ flore lethali falce ſucciſos, tumulis inferri, eſt neceſſum.

Cæterùm eos, qui vires firmas, corpusquè vegetum Superûm ac progenitorum ſuorum beneficio primùm nacti ſunt, illudquè poſtea, velut Domini, ad rectæ rationis dictamen moderari norunt; non verò, velut mancipia ad voluptatis Imperium, inſanis ejus obſecundant cupiditatibus: qui item aurâ recenti, aëre (quoad fieri poteſt) ſalubri, victu tenui, ſed bono & ſelecto, fruuntur, quique, præter moderatas corporis exercitationes, ea, quæ ars ſubminiſtrat, adminicula tam ad præcavendos, quàm eliminandos morbos maturè adhibent: eos, inquam, ad decrepitam ætatem, venerandumquè ſenium, pertingere poſſe, non eſt prorſus ambigendum. Divinum certè Platonem,

octa-

octagenario majorem effectum, indubio Senecæ teſtimonio *Epiſt. 59.* accepimus; cujus toleratos, pro Reipublicæ bono, labores, attritas ſtudiis vires, crebra, terrâ marique ſuſcepta itinera, obitas, magno ſui impendio, legationes, frequentia, quibus jactabatur, pericula, ſi æquus rerum arbiter ponderaverit; jure mitabitur, tot laboribus periculisquè ſuperiorem Platonem, tam longævam tranſigere vitam potuiſſe. At, quo, amabo! fultus præſidio id obtinuit, quod multis, ne quidem alto in otio degentibus, conceſſum fuit? Magna rebus in omnibus moderatio, victus ad neceſſitatis, non cupiditatis libellam dimenſus, diligens ſui, à rebus noxiis, cuſtodia, adhibitusquè, tempore opportuno, ſalubrium pharmacorum uſus vitam illi, graviſſima inter negotia, labores, & ærumnas, diu ſoſpitem conſervarunt. Quid Gorgiam Leontinum, virum laboris patientiſſimum, ad vitam, per centum & octo annos, inconcuſsâ valetudine tranſigendam promovit? Credamus ipſimet, motâ, hac ſuper re, quæſtione reſpondenti, dicentiquè: ſuperadultam hanc ætatem non alia de cauſa ſibi obtigiſſe, quàm quòd edere, dormire, aut aliud quidpiam operis, ſolius voluptatis cauſa facere, ſeveriſſimè ſibi interdixerit. Sed ne viros ſolùm, ut ſexu, ita viribus roboreque, præ fœminis, firmiores in medium producam, lubet Terentiam, eloquentiſſimi Ciceronis Conjugem, oppidò anno-

annoſam, iisdem adnectere. Attigit hæc (ſi Plinio fide digniſſimo credimus) annum decimum ſeptimum ſupra centeſimum; ſed non alio ætatis tantæ privilegium adepta ſubſidio, quàm quòd ſuperfluis lautarum dapum cupediis ſeſe non infarſerit, corpus, malignis humoribus vel leviter obſeſſum, congruis maturè remediis purgârit, ſibi inſuper, animoquè adeò inſigniter imperare noverit; ut nec iræ præcipiti, nec odio, triſtitiævè, aut aliis indomitis affectibus, quidquam ceſſiſſe unquam notata fuerit. Integrum conficere volumen poſſem, ſi eorum attexere ſyllabum luberet, quos menſa frugalis, cauta valetudinis tuendæ cura, ex artis præſcripto, congruis anni temporibus adhibita, ſpe & opinione multorum longiùs perennaſſe, Veteres, Recentesquè tradiderunt Hiſtoriographi. Illud tamen ſilentio involvere nec poſſum, nec debeo, quòd complures, ſexu ac conditione diſpares, è Clero Reverendiſſimos, è Nobilitate Illuſtriſſimos ac Perilluſtres, è ſtatu politico Clariſſimos Conſultiſſimosque, è ſorte civili omnino multos, in hac præſertim non inconcinna Marcomannorum Urbe Echinopolitana norim, quorum pars magna ad ſeptuageſimum & octogeſimum; pars aliqua etiam ad centeſimum ætatis annum vitam idcircò protelarit, quòd valde moderatam, omnisquè luxûs expertem,

adeoquè verè civilem egerit ; quòd ſuis, aliisque minimè graves & moleſti fuerint ; lites, jurgia, &, quæ animi tranquilli turbant malaciam, diſſidia, tam domi, quàm foris ſtudiosè declinârint ; morbos, quibus tentabantur, mox in ſemine, antequam adoleſcerent, congruis pharmacis eliſerint, ac præfocârint.

Quæ cùm ita ſint, pateatque tum allatis rationibus, tum exemplis, vitam humanam non naturæ vitio, anguſtis eſſe definitam terminis ; ſed propriâ hominum culpâ, ſapida præ ſanis, blanda præ ſalubribus eligentium, plurimos præmaturo fato occupari ; idcirco mihi viſum eſt, quædam præcepta ingeniis ſcientiæ cupidis palam proponere, quæ ad vitam, contra infeſtos morborum exercitûs tuendam, atque in ævum feliciter extrahendam, non parum momenti allatura judicavi. Scio equidem, plures, ante me, hac in arena Medicos inſigniter verſatos, viamquè hanc complurium doctiſſimorum veſtigiis admodum tritam eſſe : verùm tantum abeſt, ut hac de cauſa à propoſito meo deſiſtam, quòd id plures auſi fuerint ; ut, tantorum potiùs virorum exemplo provocatus, ad ingenuos eorum conatus pro viribus æmulandos ſtimulari me, vehementer ſentiam. Neque tamen cramben, ab aliis jam coctam, me duntaxat recocturum, & novorum ſemper cupido Lectori faſtidium for-

forſan futurum quispiam ſuſpicetur. Nam etſi fortè novi nihil, proprio excoctum in cranio, in medium attulero, quod non probatiſſimorum Authoritate Medicorum ſolidè ſit communitum; Methodus tamen alia, &, qui rebus in omnibus, hoc præſertim ſæculo, ſpectatur, modus erit novus, recens ac mihi proprius. Quod enim ab aliis quandoque traditum eſt latiùs, id ego, Laconicæ brevitatis amans, ità preſſè proponam, ut nihil tamen eorum, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, omittatur; ſed quinta duntaxat eſſentia (ut Medice loquar) meo labore extracta, Lectori ſapienti, adeóque pauca amanti, offeratur. Quod item obſcuris verborum ſenſuúmque involucris, à quibusdam, reconditum, & ægnimatis in morem, adeò dubiè eſt exhibitum, ut non facile à quovis myſterium Oedipo percipi potuerit, id (niſi me mea fallit opinio) tam perſpicuè atque dilucide conor proponere, ut, ſine ulla ingenii tortura, Medicæ artis arcana quivis intellecturus ſit, qui ſuo eclipſin in capite non patitur ullam.

Si tamen quædam non perinde omnibus, primo ſtatim aſpectu, plana, intellectúque facilia videbuntur, non magnopere curo; cùm non Lippis & Tonſoribus, multò minùs Agyrtis, aut aniculis (qui & ipſi artem medendi impudenter & imprudenter ſibi arrogant,

gant) ſed excultis doctæ Minervæ filiis hæc ſcribam, chartisquè conſignem. Nucleum exhibeo; qui vult eſſe, frangat: theſaurum oſtendo; quem qui tollere velit, fodiat: ſcaturiginem, ſaluberrimis redundantem pharmacis, intento velut digito demonſtro; ex hac qui bibere cupit, manum ori admoveat.

Deniq; criſin & cenſuram, eorum præſerim, qui, affectu privato præoccupati, id ſolum cum Paride probant, quod amant, &, velut cæci, de colore judicant, flocci piliquè facio: tum quòd nôrim, doctiſſimos probatiſſimosque Authores, quibus me componere non auſim, Momos Zoilósque non eſtugiſſe: tum quòd probè ſciam nihil omni ex parte beatum eſſe, numerisque omnibus abſolutum; ſed quemlibet ſuos pati manes; ut ſuas roſæ ſpinas, & ſiderum principes, ſuas pati coguntur eclipſes. Si meus iis probabitur labor (quod unicè voveo) quibus vita charior pecuniâ, valetudo voluptate eſt potior; quique ideo vivere diu ſatagunt, ut ſanis conſiliis, & præclarè factis, proſint quàm plurimis, labantem ſuis humeris, velut Atlantes, ſuccollent Rempublicam, patriam arte & Marte facundi, non minùs Ulyſſes, quàm bellicoſi Achilles tueantur, pro Deo & Cæſare, contra inquietæ Bellonæ furias, natasquè Erebo hæreſes, velut muro ſeſe objiciant: næ! ego optatiſſimum opellæ meæ pretium

me

me retuliſſe arbitrabor. Quod ut pro voto conſequar, omnem eorum utilitati laborem meum, & conatûs hos quales quales, do, dico & conſecro, animitùs apprecans, ut hoc libro, velut fidiſſimo mortalis vitæ Ariadnes filo, per intricatum innumeris morbis, quaſi mæandris Labyrinthum, ſoſpites & incolumes tam diu deducantur, dum annis meritisquè graves, bonorum pleni dierum, cœlo maturi, Deoquè digni, ſuis inferantur tumulis, ſicut infertur acervus tritici: vivántque etiam vitam, quæ occaſum & terminum neſcit ullum. Votis hiſce boni ſubſcribant Cælites:

Tu verò, Lector, fave, &
Vale &c.

EPINICION

Excellentiſſimi

DN. JACOBI JOSEPHI JOEPSERII,

Philoſoph. & Medicinæ Doctoris, & per diſtrictum Echinopolitanum Phyſici Jurati honori dicatum,

à

PAULO ANDREA HOFFER, Ph. & Med. Doct. Archiatro Oppavienſi.

Pone triumphales, victrix Libitina, ſecures:
Sat furiis, necibusquè datum: ſat funera denſis
Hactenus auxiſti cumulis: mortalia poſthac
Non ita, barbaricis Regina ſuperba cothurnis,
Colla premes, tumidúmque caput jactabis in auras.
Eſt, qui lethiferi labefactet acumina teli,
Et tua, Phœbéo pollens medicamine, Chiron
Caſtra petat, vaſtóque procul proſcribat ab Orbe
Mortificas acies, pleno quas agmine Parca,
Terrigenis infeſta choris, éduxit ab Orco.
Nil Febres; nil dirus Hydrops; nil tarda Podagra;
Nil Cancer; lacerósque Elephas effuſus in artus,
Nil Peſtes aliæ, largoquè referta veneno
Illuvies poterit. Tantos contra obvius hoſtes
Progreditur, Medicaquè luem virtute Machaon
Tabificam pellens, longa adfert ſemina vitæ.

En

En! liber hic vitæ eſt, ſeros qui Neſtoris annos
Vivere, & attritas, certo medicamine, vires
Inſtaurare docet. Morbis Panacéa ſupremis
Scribitur hoc libro. Non eſt tam noxia peſtis,
Sit ſtyge nata licet; nullus tam lethifer hoſtis
Artubus humanis, quem non proſternere victum
Hic codex doceat. Credas, opus ipſius eſſe
Arte laboratum Phœbi: tam congrua cunctis
Pharmaca promuntur morbis; tam ſana miniſtrat
Antidota ægrotis. Fugientem plurimus illis
Æger agens animam, patulis è faucibus orci
Eripuit, longaquè valens ætate revixit.
Miratur, quæ fila trahit, ſua ſtamina longis
Ductibus extendi Chloto: torpere, ſtupeſcit,
Cruda manum Lacheſis, quando fatalia penſa
Deproperare parat, quæ vis arcana retundat
Lethiferos enſes, & acutæ forficis ictûs
Multiplices hebetet: dubii plena Atropos hæret.
Ipſæ etiam umbriferæ ſulcator pallidus undæ,
Ad nigra Tenariæ, tam raros, ſtagna paludis
Comparere ſtupet. Paucos, qui pendere naulum,
Aut rapidâ Lethen voveant tranare phaſelo,
Mortales, queritur. Quis ferrea fata moretur,
Et Pario evertat leges Adamante notatas,
Scitatur, cum Dite, Charon. Epidavrius Orbi
Num DEUS eſt aliquis? (quærit) vel Pæone cretus,
Vulnera ſalvificis rurſum Plutonia ſuccis
Conſolidare potens, morbis, mortique medetur?
Sic Parcæ, rigidusquè Charon, torvusque ſilentûm
Arbiter umbrarum, vitæ documenta perennis
Evulgata ſtupent, terrisquè Machaona credunt
Advéniſſe novum, tumidæ qui ferrea mortis

Fata ſupergrediens, morbos procul exigat omnes.
Suſpicio haud vana eſt: teſtis, qui Morava circum
Littora, flexivagis exuberat Iglaua rivis:
Funera quanta Stygi, quot corpora debita Diti,
Servârit Medicâ pollens Joëpſerius Arte.
Tu quoque, Bojemas inter non infima Nymphas,
Crumlova, quam tortis ſinuoſus Moldava gyris
Circumagit, teſtare, licet, quot ſtragis acervos
Fudiſſet Lacheſis, quàm denſa cadavera vaſtis
Hauſiſſet Phlegeton tumulis, niſi Pœone dextrâ
Semineces *Joëpſeri* animas ſervare probaſſes.
Sed nequit anguſtæ concludi finibus oræ
Artis opus tantæ: nunc vitæ dogmata, docto
Evulgata libro, volucris pernicibus alis
Fama, per extremi ſparget confinia mundi,
Trans Abilam, Calpenquè feret, trans æquora Ponti,
Et toto Panacea potens cantabitur Orbe.
Nunc, cuî vita placet, cui longum vivere cordi eſt,
Noctes atque dies medicata volumina, Lector
Aſſiduus volvet, longumquè hinc hauriet ævum.
At tu, Neſtoreæ monſtrans veſtigia vitæ,
Clare Nepos Phæbi, dirisquè malagmata morbis
Congrua deſcribens, Cumeæ luſtra Sybillæ
Et Pilii longæva ſenis per ſæcula vive!
Audimur: non Parca ferox, non ægra ſenectus
Sed nec edax rerum tempus, conſumere vitæ
Luſtra Tuæ poterit: vives poſt fata ſuperſtes,
Dum tua Galeni ſoboles monumenta revolvet,
Et merita Aoniô pangent præconia plauſu.

In

In

Excellentiſſimum, ac Doctiſſimum

DN. AUTHOREM,

Ut indefeſſo ſtudio, & longâ experientiâ concepta ingenii monumenta in publicam tandem lucem edat.

Ode.

NOvi Poëſin, quæ gravidum Jovis
fuiſſe fingit verticem, & Atticam,
poſt temporum certos receſſûs,
è proprio cerebro Minervam.

Fudiſſe jactat. Cortice fabulæ
non inficetæ condita veritas
latere gaudet. Si quis illam,
Veri adamans, ſine fabularum

Noſſe involucris concupit: explico
fracto latentem cortice nucleum.
Prægnante facundam Minervam
ferre ſinu capitis gravati

Quis hanc negabit? qui ſapientiam
primis ab annis dote datâ, procus
ſibi maritans, plurimarum
ingenio ſimul & labore,

Scientiarum ſemina combibit ?
Jacobe ! talis Tu mihi crederis,
qui caſtra doctarum ſecutus
Pieridum teneris ab annis,

Complexus artes, pectore fertili,
es multiformes. Quanta capacibus
fluenta potaſti labellis,
Pegaſea fodicata calce !

Hinc vena nunquam difficili tibi
torrente manat; ſponte ſuâ ſalit
in metra ſermo, concitóque
verba fluunt numeroſa verſu.

Sed nec minore profluus alveo
torrens diſerti Te rigat eloquî:
utrumque doctus; ſive linguæ
flexanimis faciles lepore

Mulcere mentes; ſeu gravioribus
tonare verbis, atque adamantinas
mortalium fibras ferorum
fulmineâ penetrare Suadâ.

At ante multas una ſcientias
totum occupavit. Quod Medicæ parens,
Apollo primus, quod Machaon,
Pœonia quod in Arte præſtans,

Chiron docebat, Tu memori tenes
Mente exaratum. Rara ſalubrium
vis herbularum, germinumquè,
& fruticum, Tibi nota virtus

Eſt

Eſt ſingulorum. Quid valeat Cedrus
minax Olympo; vel quid humo virens
Hyſſopus imâ poſſit; omne,
Ingenii docilis capace

Matrice, claudis. Quid tamen Artibus
mens fœta multis? Quid gravidum caput
ſcitis Melampi Te juvabit,
ingenii niſi perſpicacis

Profers in auras pignora publicas?
Nullum tuetur mucro reconditus:
Nec ſternit hoſtes acre telum,
ſi pharetrâ maneat recluſum.

Ut delicato Punica mulceant
ſucco palatum, fragmina corticis
debent revelli: nulla morbos
lethiferos Panacéa pellit;

Dum deliteſcit, pixide condita.
Sed nec medendi multa ſcientia,
labore longo comparata,
morbiferum relevabit Orbem;

Si ſcire ſolùm ſufficiens Tibi,
diu expetitas ſupprimis edere
praxes medendi; & clara docti
ingenii monumenta celas.

Committe tandem pignora publico
fœcunda quæ mens parturiit diu!
Hoc ſani & ægri; hoc Archiatri
Hippocratis ſtudioſa turma,

Uno ore poſcunt. Hoc Podalirius,
hoc Author artis Pœoniæ jubet,
ut ingenî fæcundioris
progeneres ſobolem eruditam.

Perpetuæ obſervantiæ ergo
poſuit

Joannes Erneſtus Kautzman.
Pharmacopœus Echinopolitanus.

Ad Lectorem.

PLurima Doctorum quid volvis ſcripta Virorum?
Eximium, ſatis eſt, hunc benè ſcire librum.
Quod docet, id vita eſt, ætatem fert diuturnam,
Eſt ea longa ſatis, quæ bona vita ſatis.

Aliud ad eundem.

ÆGreſcunt multi per pharmaca multa medendo,
Saneſcunt pauci, quos Medicina fugit.
In medio mundi terram conſiſtere conſtat.
Longior aſt iſthoc eſt ſita vita libro.
Hæc, Lector, documenta legas, relegasquè relecta,
In longos annos vivere fructus erit.
Auctoris num, Lector, aves cognoſcere nomen?
Fama illud pridem jam ſuper aſtra tulit.

Quæ

Qua terra hunc genuit, quaris? qua patria fovit?
Urbs dicta à Julio, terra Menapa dedit.
Auſtria clara Sophum, Medicum ſed Gallia fecit,
Herbipolis Medica tradidit artis opus.
Nunc gremio Medicum complectitur Iglava gnarum,
Et fovet expenſis Morava terra ſuis.
Vita Auctor longa, longavos vive per annos;
Neſciat interitum tuquè liberquè Tuus.
Si tamen eripiat vitam Libitina ſuperſtes
Joëpſeri Nomen Mundus uterque ſciat.

Sic vovet

Excellentiſſimo Domino Authori

Omnium addictiſſimus Amicus

Joannes Henricus Rennartz,
Colleg. Eccleſ. Beatiſſ. Maria Virg. Hoſpitalenſis in Superiori Auſtria Canonicus.

ORDO,
AC
SERIES
CAPITUM,
Quæ hoc Libro continentur:
ET
MATERIARUM,
Quæ in illis tractantur.

PARTIS I.

Cap. I. De vita, ejúsque definitionibus. Pag. 1
II. De calido innato, ejúsque definitione, uſu, & utilitate. 5
III. De calore nativo, ejus origine, excellentia, & virtute. 9
IV. De humido radicali, an detur: & Helmontii refutatio. 18
V. De caloris inſiti, & humidi radicalis conſervatione, & alimento. 26
VI. De aëre, ejus neceſſitate, qualitate, nec non uſu & electione. 30
VII. De cibo in genere, ejus qualitate, quantitate, & aſſumendi tempore.
VIII. De potu, ejus differentia, & electione.

Cap.

Cap. IX. De motu & quiete, & eorum bonitate & malitia. 80
X. De ſomno & vigilia, & utriusquè defectu, vel exceſſu. 95
XI. De excretis & retentis ſecundum, vel præter naturam ſe habentibus. 115
XII. De animi affectibus, eorum differentia, regimine: & legitimo Tabacæ uſu. 135

PARTIS II.

Cap. I. De Præſervatione, ejus definitione, atque excellentia. 154
II. De opportuna humorum alimentariorum detractione. 160
III. De venæ-ſectione, ejus tempore, venarum electione, & ſanguinis emiſſi examine. 164
IV. De cucurbitulis, ſcarificatione, ac hirudinibus. 186
V. De opportuna humorum excrementitiorum detractione. 196
VI. De purgatione, ejus definitione, & inſtituendi tempore. 206
VII. De pituita excrementitia, ejus differentiis, & evacuatione. 216
VIII. De bile præternaturali, ejus differentiis, ac evacuandi modo. 231
IX. De melancholia præternaturali, ejus differentiis, effectibus, & evacuandi modo. 254
X. De malignis venenatarum qualitatum operationibus, iisque obviandi methodo. 309

Cap.

Cap. XI. De medicamentis vitalem corporis virtutem roborantibus, ejusquè diſſipationem prohibentibus. 373
XII. De medicamentis Chymicis, ad vitam longam facientibus: de Mercurio, & Lapide Philoſophorum: an detur; vel non. 393

PARTIS III.

Cap. I. De Arthritide, ejus differentia: an ſit curabilis, vel non curabilis: ejusdem præſervatione, & curatione. 432
II. De affectione Colica, ejus differentia, præſervatione, & curatione. 482
III. De Calculo, ejus cauſis, differentiis, præſervationis & curationis methodo. 533
IV. De Hydrope, ejus differentiis, præſervatione, & methodo medendi. 597
V. De Leucophlegmatiâ, ſeu Anaſarcâ. 612
VI. De Aſcite. 629
VII. De Tympanite. 662

ISA-

ISAGOGES, SEU MANUDUCTIONIS, PARS I. DE VITA LONGA.

Caput I.

De Vita, ejusquè definitione.

INfinitis propemodum difficultatibus hæc abundat quæſtio, quæ à doctiſſimis Philoſophis, Medicis, aliiſquè gravisſimis tractatur viris, dum quærunt, quid ſit vita? Reſpondet quidem ſolertiſſimus Philoſophorum Peripateticorum Princeps, Ariſtoteles, dicendo, quòd vita ſit permanentia animæ vegetantis, cum calore naturali; non, quòd vita ſit actus caloris naturalis; ſed quòd non poſſit ſubſiſtere, niſi beneficio animæ vegetantis. Vita quid: ex Ariſtotele.

Altioris indaginis ſententiam legimus *Geneſis Cap. 2. verſ. 7.* ubi dicitur: *Formavit igitur Dominus DEUS hominem, de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viventem:* quaſi Scriptura vellet dicere, omnem vitæ rationem, corpus humanum, ad competentes actiones, habile

habile reddentem, ab ipſo Deo homini eſſe implantatam: per quam rationem, Spiritum, ſeu animam rationalem, ab ipſo Deo homini inſpiratam, cum Theologis, intelligo: & hanc animam eſſe vitam humanam, aut vitæ humanæ radicem, pleraque pars hominum bene, piisſimequè credit. Quod & Seneca agnoviſſe videtur, quando, *in Epiſt. ad Lucilium 41.* ait: *ita dico, mi Lucili, ſacer intra nos Spiritus ſedet, bonorum malorúmque noſtrorum obſervator & cuſtos.* Hinc quoque Paracelſus, *de anima lib. Philoſophiæ ſagac. cap. 1:* dicit, Spiraculum vitæ eſſe ſpiritum, à Deo, in prima hominis efformatione, in faciem Adæ inſpiratum & vivificantem: vi cujus Deo ſimilis factus eſt homo: & hunc Spiritum, ſeu ſpiraculum vitæ, eſſe ipſam animam rationalem, hominum corporibus, de limo terræ ſumptis, vitam impertientem; imo ipſam vult eſſe vitam, nec ab anima rationali realiter, ſed ſolùm ratione; differre, ita, ut ſynonyma ſint anima, & vita. Cum verò hæc altioris contemplationis, & alterius artificis, nimirum verſatiſſimi Theologi ſint, me ad magis Phyſica confero.

Quid vita, ex Sennca.

Idem Paracelſus, *lib. 4. de vita rerum naturalium,* vult, vitam hominis nihil aliud eſſe, quàm balſamum aſtralem, ſeu impreſſionem rei balſamicæ, ſeu ignem cœleſtem, inviſibilem: id eſt, virtutem balſamicam, à Deo infuſam, quæ corpora vegetet, à putredine & teredine tueatur & defendat.

Ille ipſe Paracelſus, *lib. 1. de vita longitudine, cap. 1.* ſic vitam definit: *Nihil, me hercule, vita eſt aliud, quàm mumia quædam balſamica, conſervans mortale corpus à mortalibus vermibus, & eſchara, cum impreſſa liquoris ſalium commixtura.* Ubi, per mumiam balſamicam, calidum innatum (quod & Galenici balſamum innatum, ſeu ſubſtantiam balſamicam, corpori humano primogeniam, ſpiritu & calore undique perfuſam, in partibus ſpermaticis, in corde tamen primariò, ſubjectatam, cum Gal. *lib. de uſu pulſ.* dicunt) ſubintelligere videtur Paracelſus.

Virtus balſamica.

Quia

Quia hoc calidum innatum eſt vinculum, & nexus, quo anima, informans corpus, cum corpore connectitur: quod Paracelſo, Galeniſtarum ſingulari Antagoniſtæ, peregrinis ita nominibus indigitare placuit, ne idem, cum Galenicis, aſſerere videretur; quod tamen devitare non potuit. Calidum innatum eſt nexus.

Gerardus Dornæus, *lib. Philoſophiæ ſpeculativæ*, vitam dicit eſſe corporis animam. Joannes Argenterius, inter alias vitæ deſcriptiones, dicit, vitam eſſe eſſentiam, permanentiam & ſubſiſtentiam rerum animatarum. Et hanc optimam vult eſſe vitæ definitionem, eò, quòd vita nihil ſit aliud, quàm actus animæ, qui Philoſophis primus dici aſſolet; ſeu eſſentialis vita ipſa ſit anima, corpus informans & actuans.

Helmontius, Philoſophus eximius, ait, *quòd vita ſit lumen & initium formale, quo res id agit, quod agere juſſa eſt*: per lumen, dubio procul, intelligendo corporis animam: quia, *de venat. ſcientiarum, fol. 24. num. 52. animam lumen ſimplex, creatum, & incognitum appellat*; quod à Deo, rerum omnium Architecto, rebus, unico inſtanti, eſt infuſum. Helmontii ſententia.

Verùm enim verò de hac mortalium vita, ab anima ſola, corporibus præſtita, nobis, diſcurſum purè Medicum tractantibus, non eſt quæſtio. In eo ſolummodo vitæ examine acquieſcimus, quæ, ex amicabili quatuor primarum qualitatum, ad certum conventionis & compatibilitatis gradum, ab admirabili Artifice, Natura, redactarum, & in calido innato, tanquam compoſito ſubſtantiali, reſidentium, conſtat & reſultat. Quatenus nimirum activitates earum, per cauſas certas, aut nimium exaltatæ, aut nimium depreſſæ, à ſymmetria competente recedunt; aut, oppreſſæ, aut impeditæ, aut ſuffocatæ ſanitatis, vitæque diſtructionem, everſionem & finem moliuntur; qualiter denique, in ſtatu, ſibi naturaliter debito, conſervatæ, vitam & ſanitatem diutiſſimè ſartam tectámque ſuſtinent, & conſervant. His itaquè, pro meliori rei notitiâ, præmiſſis: Quatuor qualitates primæ.

habile reddentem, ab ipſo Deo homini eſſe implantatam: per quam rationem, Spiritum, ſeu animam rationalem, ab ipſo Deo homini inſpiratam, cum Theologis, intelligo: & hanc animam eſſe vitam humanam, aut vitæ humanæ radicem, pleraque pars hominum bene, piisſimequè credit. Quod & Seneca agnoviſſe videtur, quando, *in Epiſt. ad Lucilium 41.* ait: *ita dico, mi Lucili, ſacer intra nos Spiritus ſedet, bonorum malorúmque noſtrorum obſervator & cuſtos.* Hinc quoque Paracelſus, *de anima lib. Philoſophiæ ſagac. cap. 1:* dicit, Spiraculum vitæ eſſe ſpiritum, à Deo, in prima hominis efformatione, in faciem Adæ inſpiratum & vivificantem: vi cujus Deo ſimilis factus eſt homo: & hunc Spiritum, ſeu ſpiraculum vitæ, eſſe ipſam animam rationalem, hominum corporibus, de limo terræ ſumptis, vitam impertientem; imo ipſam vult eſſe vitam, nec ab anima rationali realiter, ſed ſolùm ratione; differre, ita, ut ſynonyma ſint anima, & vita. Cum verò hæc altioris contemplationis, & alterius artificis, nimirum verſatiſſimi Theologi ſint, me ad magis Phyſica confero.

Quid vita, ex Sennca.

Idem Paracelſus, *lib. 4. de vita rerum naturalium*, vult, vitam hominis nihil aliud eſſe, quàm balſamum aſtralem, ſeu impreſſionem rei balſamicæ, ſeu ignem cœleſtem, inviſibilem: id eſt, virtutem balſamicam, à Deo infuſam, quæ corpora vegetet, à putredine & teredine tueatur & defendat.

Ille ipſe Paracelſus, *lib. 1. de vita longitudine, cap. 1.* ſic vitam definit: *Nihil, me hercule, vita eſt aliud, quàm mumia quædam balſamica, conſervans mortale corpus à mortalibus vermibus, & eſchara, cum impreſſa liquoris ſalium commixtura.* Ubi, per mumiam balſamicam, calidum innatum (quod & Galenici balſamum innatum, ſeu ſubſtantiam balſamicam, corpori humano primogeniam, ſpiritu & calore undique perfuſam, in partibus ſpermaticis, in corde tamen primariò, ſubjectatam, cum Gal. *lib. de uſu pulſ.* dicunt) ſubintelligere videtur Paracelſus.

Virtus balſamica.

Quia hoc calidum innatum eſt vinculum, & nexus, quo anima, informans corpus, cum corpore connectitur: quod Paracelſo, Galeniſtarum ſingulari Antagoniſtæ, peregrinis ita nominibus indigitare placuit, ne idem, cum Galenicis, aſſerere videretur; quod tamen devitare non potuit. Calidum innatum eſt nexus.

Gerardus Dornæus, *lib. Philoſophiæ ſpeculativæ*, vitam dicit eſſe corporis animam. Joannes Argenterius, inter alias vitæ deſcriptiones, dicit, vitam eſſe eſſentiam, permanentiam & ſubſiſtentiam rerum animatarum. Et hanc optimam vult eſſe vitæ definitionem, eò, quòd vita nihil ſit aliud, quàm actus animæ, qui Philoſophis primus dici aſſolet; ſeu eſſentialis vita ipſa ſit anima, corpus informans & actuans.

Helmontius, Philoſophus eximius, ait, *quòd vita ſit lumen & initium formale, quo res id agit, quod agere juſſa eſt*: per lumen, dubio procul, intelligendo corporis animam: quia, *de venat. ſcientiarum, fol. 24. num. 52. animam lumen ſimplex, creatum, & incognitum appellat*; quod à Deo, rerum omnium Architecto, rebus, unico inſtanti, eſt infuſum. Helmontii ſententia.

Verùm enim verò de hac mortalium vita, ab anima ſola, corporibus præſtita, nobis, diſcurſum purè Medicum tractantibus, non eſt quæſtio. In eo ſolummodo vitæ examine acquieſcimus, quæ, ex amicabili quatuor primarum qualitatum, ad certum conventionis & compatibilitatis gradum, ab admirabili Artifice, Natura, redactarum, & in calido innato, tanquam compoſito ſubſtantiali, reſidentium, conſtat & reſultat. Quatenus nimirum activitates earum, per cauſas certas, aut nimium exaltatæ, aut nimium depreſſæ, à ſymmetria competente recedunt; aut, oppreſſæ, aut impeditæ, aut ſuffocatæ ſanitatis, vitæque diſtructionem, everſionem & finem moliuntur; qualiter denique, in ſtatu, ſibi naturaliter debito, conſervatæ, vitam & ſanitatem diutiſſimè ſartam tectámque ſuſtinent, & conſervant. His itaquè, pro meliori rei notitiâ, præmiſſis: Quatuor qualitates primæ.

Vita formaliter deſcripta. miſſis: Dico, ſalvis aliorum doctiſſimorum Virorum ſententiis, & vitæ deſcriptionibus, quòd vita formaliter ſit conjunctio animæ cum corpore, cujus conjunctionis vinculum & nexus eſt calor natutalis, in humido radicali fundatus. In hoc calore naturali, & humido radicali, vita, tanquam neceſſario, & radicali ſuo fundamento, conſiſtit, teſtante ſic Gal. *lib. 9 method. med.* ubi dicit: quòd *maxima virium ipſarum ſit dignitas, quandoquidem vivere ipſum, ex harum cuſtodia, nobis conſtat.* Quòd autem vires ſint calor inſitus, & in humido radicali fundatus, docemur ab eodem Galeno, *lib. 11. method. med.* aſſerente: *cùm eſſentia virium, quibus corpus regitur, tum in ſpiritu, tum in inſita ſolidarum partium temperie conſiſtat*, hæc nobis, ubi integra fuerit, ſervanda; corrupta verò ad integrum revocanda erit.

Calor naturalis, vitæ radix.

Eſſentia virium.

Caloris pabulum eſt humor. Hujus caloris inſiti pabulum eſt humor ille radicalis, aëreus, &, inſtar olei, pinguis: qui humor ſi deficiat, aut alio quocunque modo inficiatur, calorem naturalem in igneum convertendo, reſolvendo, extinguendo, *mors, caloris nativi reſolutione, contingit*: innuente ſic Galeno, *lib. 2. de temperamentis.*

Mors unde? Quod optimè advertens Helmontius, (qui aliàs de humido radicali, utpote excogitato à Scholis deliramento, nihil audire vult; cum tamen, ut alibi monſtrabitur, ſub peregrinis nominum ſchematibus humidum radicale doceat.) *In Phyſica Ariſtotelis, num. 17.* ait: *Mors eſt vita extinctio.* Quaſi vellet dicere: mortem eſſe caloris nativi extinctionem; quia, *lib. de cura Magnetica vulnerum, num. 3. vult*, quòd *Spiritus influens, & vita pereant, in vi interemptis: qui Spiritus inſitus, ſeu virtus mumialis, è cranio dein laqueo ſuſpenſorum per uſneam prodit.* Propter hunc calorem inſitum, humidum radicale inhabitantem, idque paulatim depaſcentem, vita humana, candelæ ardenti, non inconvenienter, comparatur: quia, ut illa ardendo minuitur, ejusque pingue liqueſcit, & à flamma paulatim depaſcitur; ſic vita humana ſenſim & pedetentim evaneſcit, evaneſcente, ob conti-

Vita humana candelæ ſimilis.

continuam caloris inſiti activitatem, pabulo, humido nimirum radicali; cujus quò minor copia, eò propinquior ſemper ad ſenectutem, & mortem, acceſſus: confirmante id Galeno, *lib. de Maraſmo:* & Hippocrate docente, *eundem nos calorem interficere, qui genuerat.* Finis vitæ quomodo.

Hanc vitæ humanæ labilitatem accuratiùs ſecum perpendens Seneca, *Epiſt 26 ad Lucilium*, plusquam vera loquitur, inquiens: *Carpimur non ſubitò, ſed ſinguli dies aliquid detrahunt viribus; naturâ enim ſolvente, dilabimur.* Hinc primum inſtans vivere, eſt primum inſtans mori; juxta tritum illud & vulgare Carmen:

Naſcendo morimur, finisq; ab origine pendet.

Quæ tibi primum dedit hora naſci, hæc mori primum dedit. Ita revera eſt, ut, ob mirabilem hanc, in corpore humano fieri ſolitam metamorphoſim, ſapientiſſimus Seneca, *ad Lucilium, Epiſt. 30.* veriſſimè aſſerat: *Vitam cum exceptione mortis datam eſſe, & naturam non aliam voluiſſe legem noſtram eſſe, quàm ſuam: quidquid compoſuit, reſolvere.* Sicquè vita & mors per vices eunt, Vita & mors ſimul inchoant. compoſita reſolvuntur, & reſoluta componuntur. Omnia lege naturæ morti adjudicata ſunt: quod caloris nativi, & humidi radicalis conſumptione, reſolutione, & extinctione accidit. Cùm igitur tanta ſit calidi innati dignitas, tantúmque ad vitæ conſervationem conferat; ſummè neceſſarium judico, ut ad fuſiorem, de humido radicali, & calore innato, tractatum transeamus. Calidi innati dignitas.

Caput II.

De Calido innato.

DOctiſſimus, & in omnibus rebus Medicis exquiſitisſimus Daniel Sennertus, *Inſtitution. Med. 1. cap. 5. de calido innato*, inquit, quòd, circa calidi innati inveſtigationem, tot ſeſe obtrudant difficultates, nodiq; obvient Gordio longè impli-

implicatiores, ut de eo tractantes *facilem, apud viros doctos, mereantur veniam, ſi* aut *à verò aliqualiter aberretur*, aut enodandum ad vota omnium non enodetur. Hâc itaque ſpe fretus, dico, *calidum innatum eſt ſubſtantia partium viventium balſamica, pingvis & oleoſa, ex optima utriusq; parentis ſeminis portione reſultans, calore vivificante, gratioſo, & blando undiq; perfuſa, in partibus ſpermaticis, in corde tamen primariò ſubjectata. vi cujus, anima dat effectum formalem vigoris, & actûs.* Hoc calidum innatum adeò pretioſum, & ad vitæ conſervationem neceſſarium, agnovit Galenus, ut, *lib. de Tremore, naturam & animam nihil aliud eſſe* aſſeruerit, *quàm calidum innatum*, volens non animam rationalem intimare, ſed quòd illa ſuas, ſine hoc calido innato, actiones non poſſit exequi. Quia, *lib. de formatione fœtûs, circa finem* fatetur, *ſe animæ ſubſtantiam ignorare*; calidum verò innatum, ejusq; ſubſtantiam, apprimè Galeno notam fuiſſe, conſtat, quia, *libro de palpitat. & convulſ.* ait, *calidum innatum eſſe mixtum, ex calore & frigore oriundum.* Et, *lib. 5. de ſimpl. medicam. facult. cap. 8.* inquit: *Verùm nihil prohibet, ſanguineam ſubſtantiam, ſimulq; aëream, unà cum ſpiritu, calidum innatum dici*; quia ſanguis & ſpiritus cedunt calido innato in nutrimentum: & ex iis quid tale ſubſtitui poteſt, quale eſt calidum innatum; licet non tantæ perfectionis, tantæ copiæ, quantæ perfectionis & copiæ illud erat, quod, unà cum ſemine, ſolidis partibus, in prima earum delineatione, & efformatione contigit. Negat & ipſe Galenus, calidum innatum eſſe quid adventitium, aut, tractu temporis, extra primam partium ſpermaticarum plaſmationem acquiſibile: prima impotentiæ cauſa ab ipſo eſt petenda calore: quia omne finitum agens eſt finitæ virtutis, repatiturq; agendo. Proinde uſu atteritur calor, fitque tractu & ſucceſſu temporis imbecillior: ideoq; non poteſt jacturam humoris, quem ipſe calor abſorpſit, & devoravit, ut proprium pabulum, reſarcire; quia illo, ut flamma oleo, utitur.

Calidum innatum quid?

Galeno notum.

Calidum innatum naturâ mixtum eſt.

Nutrimentum calidi innati.

Calidũ innatum non eſt adventitium.

Eſt

Eſt igitur primordiale,& inſitum primis generationis principiis, utriusq; nimirum Parentis ſeminibus, primariò; & ſanguini, ſecundariò. Atq; ideò quidem utriusque Parentis ſemini ineſt calor nativus, in humido radicali fundatus; ut velut motus ad generationem requiſitus, fermentativus ſeminis, diverſarumq; partium, ſeu particularum in ſemine contentarum, digeſtionem, & conformationem inſtituat, perſequatur, & perficiat. Hanc cauſam agnoſcens Ariſtoteles 2. *de generat. animal. cap.* 3. docet; *omni ſemini ineſſe calidum: idq; non ignem eſſe*, inquit, *ſed ſpiritum, aut calorem benignum, in ſpumoſa ſeminis ſubſtantia, ut illud faciat fœcundum.* Eſt inſitum.

Hoc modo primum, ſummeque neceſſarium naturæ inſtrumentum dicitur, quo nobilis illa architectrix, Natura, ad admirandam corporis humani fabricam perficiendam, utitur: ſeu, quod verius, ipſa eſt natura, corpus humanum auguſtum DEI templum, & ſimulachrum conficiens, in quo, ut in numiſmate, character Cæſaris, ſic Dei imago conſpicitur: ut innuit Andreas Laurentius. Hinc utriusque Parentis ſeminibus fœcundis, tanquam cauſis efficientibus, & opificibus, partium ſpermaticarum conformatio attribuitur: quæ, benè conformatæ, ſunt totius operis baſes, & fundamenta. Sanguis verò maternus, ſecundum generationis principium, præbet materiam, ſcilicet, tum ut partes carnoſæ, ad totius perfectionem requiſitæ, perficiantur, tum, ut eo ſpermaticæ nutriantur: tradente ſic Andrea Laurentio, *lib. 8. hiſtor. Anatomic. cap. de principiis generationis.* Primum naturæ inſtrumentum. Conformatio partium à quo? Sanguis maternus.

Hîc oritur quæſtio: qualiter calidum innatum diſtinguatur ab humido radicali, & calore inſito; ſeu, quod idem eſt, innato, ſeu nativo? Cui quæſtioni reſpondeo, quòd calidum innatum diſtinguatur ab humido radicali, & calore nativo, ut totum à ſuis partibus, diſtributivè ſumptis: quia calor innatus, cum pretioſo humido radicali, facit compoſitum, quod calidum Calidum innatum à quo conſtituatur.

dum innatum dicitur, calórque innatus ſe habet ut pars activa, informans; humidum verò radicale, ut pars paſſiva, informata; quia calor nativus, in humido radicali reſidens, illud, ſenſim & pedetentim agendo, leniſſimè conſumit.

Caloris nativi ſedes.

Hîc notandum eſt ex Hippocrate, *lib. 1. de ratione victûs:* quòd calor nativus, in humido radicali, tanquam ſubjecto ſibi unicè amato, & ſolùm competente reſidens, temperatam ſiccitatem; humidum verò radicale, moderatam ſibi adjunctam habeat frigiditatem: quæ quatuor qualitates, ſub calido innato, tanquam concreto, contentæ, tam mirabilem mutuæ compatibilitatis & amicitiæ terminum, beneficio naturæ mirabiliter operantis, ſunt ſortitæ, ut una qualitas alterius deſtructionem immediatè non machinetur. Propter has qualitates, tam amicam inter ſe correſpondentiam tenentes, calidum innatum dicitur Temperamentum innatum; quod toti compoſito, & cuique parti, ad totius compoſitionem facienti, à natura, in primo ortu, contigit.

Una qualitas alteram alit.

Quærenti ex me, & interroganti, quid commodi quatuor iſtæ, ad tam amicum mutuæ compatibilitatis & conventionis gradum redactæ qualitates corpori viventi præſtent: Reſpondeo, ex Galen. *lib. 2. de facult. natur. cap. 4.* ſic dicente: *patiuntur ſe calidum & frigidum, humidum & ſiccum, in calido innato*, ut calidum motu ſuo, & virtute vitali ſanguinem generet, ſpiritum vitalem conficiat, & reliqua munera, corpori viventi obeunda, perfici faciat: ut frigidum calorem intra limites ſibi competentes coërceat, ne calor penitus diſſipetur, & in auram abeat: ut inquit Galenus, *lib. de Tremore*: ſecundò, *ut frigidum calori nativo cedat in nutrimentum*, ut docet Hippocrates, *lib. de carnibus ſect. 3.* attemperando nimirum calorem, ne, nimium exaltatus, in furorem abeat, milleque pœnas corpori viventi inferat. Eodem modo reliquis duabus facultatibus ſua munia obeunda manent; quia humidi eſt unire; confirman-

Quatuor qualitatum amicitia & utilitas.

Omnia conſervant.

mante id Galeno, *in Art. parva, cap. 90.* ubi inquit: *humiditas eſt cauſa unionis*, &, *lib. 3. de Sympt. cauſis*, docet, *quòd naturalia inſtrumenta, quò ſunt humidiora, eò ſint nutritionis capaciora*: ſicci eſt, ſuperfluum humidium adventitium abſumere, ſimulque præcavere, ne humiditas quædam pretioſo calori innato ſubintret.

Cùm igitur duo calidum innatum, calor ſcilicet nativus, & humidum radicale, conſtituant; de iis ſpeciales erunt formandæ quæſtiones, capite ſequenti.

Caput III.
De Calore nativo.

SI quæ unquam, in rebus Medicis, difficultates ſeſe obtulerunt, quæ à Viris doctrinâ, experientiâ, & dexteritate præſtantibus, in diſputationem & controverſiam vocatæ fuerunt: id profectò contigit, cùm de calore innato cœptum eſt diſceptari. Semper enim, ac omnibus, plerumque ardua viſa eſt hujus materiæ tractatio: ſeu conſulas illos, qui multis nos ſæculis anteceſſerunt; ſive eos, quos haud paulò antè Libitina ſuſtulit; ſive hos etiam, quos adhuc vita fecit ſuperſtites. Alii enim calorem innatum voluerunt eſſe purè elementarem: ut Galenus, *lib. 1. de tuend. ſanit.* alii cæleſtem & divinum: ut Fernelius, *lib. 2. de abditis rerum cauſis cap. 7.* alii verò eum utrique analogum dixerunt, ut plurimi Neotericorum; alii tandem, ut Helmontius, illum aut planè negârunt, & Scholarum figmenta nominârunt; aut ſaltem eam calori inſito virtutem non conceſſerunt, quæ ipſi jure pleno competit. Dico: calor nativus eſt vis & energia, quæ, cum primis generationis principiis, ſingulis corporis viventis partibus indita eſt, ſecundùm propriam partium exigentiam: cujus beneficio & adjumento omnes actiones, corpori humano viventi quo-

De caloris nativi natura.

Ab Helmontio negatur.

Calor nativus quid?

ti quocunquè modo competentes, proximè & immediatè perficiuntur. Quod agnoſcens Galenus, *lib.* 1. *aphoris. comment.* 15. *& lib. 8. de placit. Hipp. & Plat. calorem nativum, facultatem quandam gubernantem corpora noſtra, & naturalium omnium operum auctorem eſſe & effectorem,* pronuntiavit. Hic calor nativus, ut partium architectus eſt & author: ita quoque nutritionis earundem promotor, & conſervator exiſtit; quia idem debet eſſe ſervator, qui fuit rerum Author.

Omniā peragit.

Author nutritionis.

Unde quærenti ex me, quid ſit Vita longa, reſpondeo, ſalvis aliorum ſententiis, me judice, non inconvenienter, quòd vita longa ſit, diuturna caloris nativi, cum humido radicali, in corpore permanſio. Vitam enim in calore nativo, & humido radicali conſiſtere, rem penitiùs conſideranti luculentiſſimè patebit; quia, hiſce vigentibus, corpora humana plenè nutriuntur, integræ actiones perficiuntur, florida conſpiciuntur univerſa: iisdem è contra languentibus, & ad ignobiliorem ſtatum, per adverſas rerum viciſſitudines, devolutis, corpora langueſcunt, corrugantur, contabeſcunt, franguntur, conſternantur, evertuntur, & in amariſſimum præcipitantur exitium. Siquidem omnes vitæ actiones, caloris, potiſſimum ritè ſe habentis, adminiculo eduntur laudabiles & inculpatæ: teſtante ſic *Hipp. lib. 1. de vict. rat.* ubi ait: *Ad ſummam calor omnia, quæ ſunt in corpore, ſuo agendi modo, ad univerſi incitationem; parva cum magnis, & magna cum parvis diſponit.* Quò reſpiciens Joannes Baptiſta Montanus, præſtantiſſimus quondam Veronenſium Medicus, *in explanationem ſuarum artis parvæ Galeni cap. 86. calorem digeſtionum matrem* nominat. Galenus, *2. ad Glauconem, calorem nativum virtutum ſubſtantiam* appellat: intimare volens, hunc calorem corpori viventi adeò eſſe neceſſarium, ut meritò proximum animæ, ejusque facultatum, inſtrumentum dicatur, quo illa, ejusque facultates, ad actiones corpori viventi obeundas, ut ſummè neceſſario utuntur

Vita longa.

Corporis languor unde?

Calor omnia regit.

Calor viriū ſubſtantia.

tur organo. Summam quoquè hanc caloris inſiti neceſſitatem agnoſcens divinus Hippocrates, eum omnium operationum naturalium Authorem eſſe voluit: Unde & Galenus, *lib. 6. epid. cap. 5.* ait: *Primum caloris nativi officium eſt, corpus noſtrum alere, ſanguinem primum creare, & hominem ad iram excitare.* Idem confirmat Gal. *in comment. aphoriſ. 15 ſect. 1.* dicendo: *Neque enim aliud quidquam, præter calorem inſitum, animal ab initio formavit, neque aliud ad juſtam magnitudinem perduxit, neque aliud denique ad finem usque vitæ alit, & ſuſtentat; ſiquidem omnium actionum naturalium auctor eſt,* cibos ingeſtos bene coquendo, bene coctos in ſanguinem transmutando, transmutatos diſtribuendo, diſtributos deniquè partium ſubſtantiæ diſſipatæ aſſimilando, hocquè mirabili agendi modo, corpora à carie præſervando. Hoc adhuc aliis in locis à Galeno ſtabilitur, ut, *lib. 5. de ſimpl. medicam. facult. cap. 5.* ubi aſſerit, *naturales actiones à calore innato adaugeri*, & eò quidem magis, quò copioſior humidi radicalis ſubſtantia, & operoſior in eo reſidentis caloris inſiti potentia fuerit; ut ab eodem, *in Comment. aphoriſ. 15. ſect. 1.* docetur, dicente: *neque hîc quis, velim, putet, ſolas actiones naturales ab hoc calore nativo dependere: quia omnes omninò tam vitales, quàm animales, ut pulſus, ſenſus, & motus, ſuam ab hoc calore originem habent*: tradente ſic Hipp. *lib. 1. de victûs rat.* Ubi, ſumptâ, à calore externo, ad internum comparatione, ait: *potens calor corpus humanum continet, qui cunctis corporis partibus dominatur, omniaq; ſecundum naturam moderatur, ſine ſtrepitu, tum viſu, tum tactu, in quo animus, mens, prudentia, incrementum, motus, imminutio, permutatio, ſomnus, vigilia. Hic calor omnia in totum gubernat, & hæc, & illa: neque unquam quieſcit.* Cui Galenus aſſentitur, *8 de Placit. cap. 7.* inquiens: *una quadam, in ſingulis earum, exiſtit virtus; quandoquidem, quod præſtantiſſimum eſt in ſingulis, unum tantùm exiſtit: ſicuti & perfectio una, quam Virtutem vocamus.* Unico ut cuncta dicam verbo, nobiliſſimum

Calor animal formavit.

Omnes actiones à calore naturali.

omnium actionum naturalium, vitalium, & animalium inſtrumentum eſt calor innatus, in humido radicali fundatus; quo anima, ejusquè facultas, utitur, edendo quascunque actiones.

An calor elementaris, vel cœleſtis?

Hîc jam quæritur: utrum calor innatus ſit elementaris; an verò cœleſtis? Reſpondet Monavius, apud Cratonem, *Epiſt. 208.* ex Ariſtotele, dicens: (*Ariſtotel 2. de ortu animal. cap. 3.*) *ineſt enim in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod vocatur calor: idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoquè corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elemento ſtellarum. Certè, caloris hujus ingeniti eſſentiam ſpirituoſam eſſe, pronuntiat, & quodammodo igneam, ut alibi ſæpe appellat, non tamen adurentem, ſed blandè foventem, & mitem, omnesquè vitæ actiones regentem. Quare etiam, ob eandem cauſam, calori cœleſti & æthereo, qualis eſt Solis, rectè illum comparat; cùm tamen alioquin reverà ſit elementaris.* Ita Monavius. At nos

Utriquè analogus.

Dicimus: calorem, partibus corporis viventis inſitum, nec omnino eſſe elementarem, nec omnino cœleſtem; ſed utrique analogum; quia frigori non omnino contrariatur. Videmus enim, quòd, tempore hyberno, ſummo urgente frigore, maneat integer calor, & quaſi meliùs conſtitutus, quàm æſtate; ob meliorem caloris influentis, utpote calori inſito ſubſtituti pabuli, diſpoſitionem; qui, tempore hyemali, ob pororum conſtipationem, conſervatur integrè, augetur plenè, &, per conſequens, copiosè calori nativo in alimentum cedit; quo ille, tanquam gratioſo nutrimento, ad ſatietatem refectus, revirere incipit. In æſtate verò, ob externum Solis æſtum ambientem, fit largisſima pororum reſeratio, ſicque, reſeratis poris, copioſa ſpirituum influentium, ab æſtu externo ambiente, evocatio; factâ evocatione, pabuli, calori inſito deſtinati, amiſſio: ſicquè notabile virium, in caloris inſiti conſervatione & integritate ſubſiſtentium diſpendium infertur.

In hyeme eſt fortis.

In æſtate debilis eſt calor.

Secun-

Secundò natura caloris innati eſt genuina, non ignea, ſed temperata, vaporoſa, blanda, & mitis: quia talia quoque effluvia, teſtante ſic Galeno, *in comment. aph. 14. ſect. 1.* calorem nativum conſequuntur. Ergo pro temperato habendus eſt calor nativus. Calor hic blandus eſt.

Tertiò non eſt ita calefactivus, ut elementaris calor, ab extrinſeco adveniens; qui, innuente Galeno, *lib. 3. de pulſ. cauſ.* & *comment. aphor. 14 ſect. 1. eſt intemperatus, & quaſi igneus*, factâ comparatione cum calore inſito; à quo differt, quòd hic conſervet, ille verò deſtruat; quia eſt elementaris, & ab extrinſeco adveniens. *Cum enim elementorum ſubſtantiæ miſcentur corporibus; & eorum qualitates miſceri neceſſe eſt*, edicente ita Petro Foreſto, *obſervat. 1. lib. 1.* adeoquè à calore, ab extrinſeco adveniente, incitatus, & quandoquè in furiam quaſi actus calor inſitus, Hippocrati, Galeno, & Ariſtoteli, urere dicitur; non, quòd reverà urat, ſed quòd, diutius moram trahendo, in denſiorem materiam vires ſuas exercens, tam vehementer agat, ut urere quaſi videatur. *Hoc modo calculus, non ſemper, ut aliquibus placet, & calore intenſiore renum immediatè producitur; ſed diuturniore, quantumvis moderato, calore:* docente ſic Andrea Laurentio, *lib. 2. controverſ. anatomicar. quæſtione. 2.* Quî differat ab elementari. Calculi cauſa.

Quartò nec planè cœleſtis naturæ eſſe videtur: quia Ariſtoteles inquit, proportione reſpondere elemento ſtellarum, ob fœcundam ejus facultatem ſeminatricem: habere autem proportionem tantum inibi dicit, quantum, non eſſe omnino tale.

Helmontius, miris in Scholas turgidus convitiis, & ſarcaſmis, calorem nativum, in humido radicali fundatum, atque cor, tanquam communem & primariam ſanguinis & ſpiritûs vitalis officinam primariò inhabitantem, negat; dicendo, eſſe mera Scholarum figmenta, ex ignorantia excogitata, quibus ſuam palliare inſcitiam nitantur. Vultquè, Helmontius notatur.

Negat caloris virtutem

què, in ſuo, *de Blas humano, Tractatu, fol. 146. num. 15.* quòd, *poſtquam hos conſiderare cœpiſſet, deprehenderit, calorem primariò, & ex ſe, non ineſſe cordi: minùs verò eſſe digeſtionum Vulcanum; quia illæ,* ut inquit, *ab efficaci ſtomachi fermento peraguntur. Sed calorem eſſe vitæ & animæ ſocium:* in ſiniſtro autem cordis ſinu, tanquam ſtomacho, ſingulare fermentum maximè vitale, & luminoſum habitare; quod transmutati cruoris, ſeu ſanguinis venoſi, in ſanguinem arterioſum, eſt cauſa efficiens; prout ſanguinis in ſpiritum vitalem transmutationi præeſt.

Fermentum vitale quid?

Simile generat ſimile.

Ad primum Helmontii, negantis, calorem cordi primariò ineſſe, argumentum reſpondeo, & dico, quòd ipſe dicat, cordi ineſſe fermentum vitale luminoſum, generans ſanguinem & ſpiritum vitalem; ubi per fermentum vitale luminoſum haud aliud quidquam ſubintelligere poteſt, quàm ſpiritum cordi inſitum; quem & ipſe cordis motorem nominat. Adhæc, æternæ veritatis eſt, quòd ſimile generet ſibi, in ſua ſpecie, ſimile, ut homo hominem; ſic ſpiritus quoque ſpiritum generat: quod idem affirmat Helmontius, *in tractat. ſuo, de Blas humano, num. 57.* ubi ait: *nimirum ſpiritus innatus intendit, ex vitali influo, ſibi ſimile generare, idq; in ſingulis ſenſuum officinis, illiquè dat ſigillum ſui organi:* & ſic clarè docet, dari ſpiritum vitalem inſitum, cujus officii eſt, generare ſpiritum vitalem influum in corde; ſicquè in corde primariò reſidere, eiquè ineſſe, ex ſe ipſo, à prima partium efformatione debet. Sed quis nunc Medicorum reperietur, qui, ullis perſvaſus rationibus, neget, ſpiritum, in prima generatione, partibus inſitum, eſſe fixum, & cum calore naturali eundem: quod teſtatur Hippocrates (quem & Helmontius ipſe, ubi appetitui ejus ſapit, guſtui ſuo applicat) *lib. de carnibus, ſect. 3. fol. 208.* docens, quòd *plurimum cordi inſit calidum, eamquè ob cauſam ſpiritum inſe contineat; quod omnium, quæ in homine ſunt, membrorum maximè calidum.* Imò & ipſe Helmontius, *in ſuo, de Solis Tabernaculo, cap.*

Cor caloris ſedes.

docet,

docet, quòd lumen noſtrum vitale aliquam, cum Sole, ſimilitudinem, partemquè igni culinario conformem habeat; eò, quòd ſemper debeat habere, pro indeſinenti fomento, ſpiritûs vitales luminis ſubſecutivi dependentiquè capaces & adminiſtros: non quidem quòd ſpiritûs in ſe, & ex ſe magis caleant, quàm radii ſolares; cum Sole tamen ſymbolizent; quòd videantur accenſionem propagare, ſubſiſtantquè centraliter in corde. Ubi &, calorem nativum in corde primariò reſidere, nobiſcum docet. Eum etiam cum calore elementari ſymbolizare aſſerit, eumque vitæ & animæ ſocium, id eſt, vinculum illud tradit, quod animam, ut formam informantem, cum corpore, ut materiâ informatâ, connectit. Quibus jam ſat ſuperquè probatis, clarum quoque evadit, quòd calor innatus, ab influente coadjutus, ſit digeſtionum Vulcanus: quia idem eſt principium digeſtivum primæ coctionis, in ſtomacho fieri ſolitæ, quod eſt principium digeſtionis in corde: atqui monſtravimus, in corde fieri digeſtionem, à calore cordi inſito: ergo etiam in ventriculo; cùm ubique ſit par agendi ratio. Quod idem docet Helmontius, Tractat. *de cauſ. & initiis naturalium, num. 24.* dicens, *quòd fermentum ſit ens creatum formale, ſemina præparans & excitans:* quod & *alibi* Solis calori tribuit, ut, *cap. de Solis tabernaculo*, quòd Sol generale lumen, id eſt, calorem generalem ſuggerat, excitandis ſeminibus; quod & genuini Hippocratis & Galeni ſectatores docent, dum calorem, cuiquè ſemini inditum, rerum omnium artificem appellant. *Hipp. de vict. rat. lib. 1.* ait, *quòd hic calor omnia in totum gubernet, & hæc, & illa, neq; unquam quieſcat.* Gal. *in art. medicinal. cap. 87. calorem nativum omnium actionum opificem nominat.* Quòd autem hic calor in ſiniſtro cordis ſinu reſideat, hoc nullus unquam Medicorum negavit; imò omnes uno ore docuerunt, & de facto docent. At Helmontius objicit, quòd ſi calor innatus eſſet illud pretioſum vinculum, corpus & animam inter, deberet, vitâ ſublatâ, calor nativus

Helmontius calorem docet.

Sol cauſa generalis.

Calor actionum opifex.

Objectio.

tivus

tivus tolli: ſed, homine jam extincto, in cadavere adhuc manet calor: ergo calor innatus non poteſt ſtatui, aut dici, quòd tantum corpori præſtet uſum, ut vinculum, ſeu nexus, connectens animam cum corpore, dici mereatur. Reſpondeo, calorem, in cadavere aliquamdiu adhuc ſuperſtitem, & oculis, reliquisque ſenſibus manifeſtè conſpicuum, alium eſſe, & à vitali atque inſito diſtinctum; quia elementaris, cum temperamenti reliquiis manet, qui in vivente ſopitus jacebat. In viventibus enim duo ſunt calores; quorum, uno extincto, alter manet. Tamdiu vivunt homines, quamdiu vitalis illius, & inſiti caloris tantillum reſtat.

Reſponſio.

Hîc quæritur: utrum quidam plus; quidam verò minus, de calido innato habeant? Huic quæſtioni reſpondet Hippocrat. *aphoriſ. 14. ſect. 1.* dicendo: *Qui creſcunt, plurimum habent calidi nativi, ideoq́, copioſo opus habentes alimento adoleſcentes, minùs adhuc pueri, famem ferunt:* teſte eodem Hippocrate, *aphoriſ. 13. ſect. 1.* Vult nimirum copioſus puerorum calor nativus, & influens, actione pleniſſimus, continuò occupari, &, in quam agat, materiam habere, cibos digerendo, chylum in ſanguinem transmutando, ſanguinem partibus alendis applicando, eas augmentando, & ad juſtam magnitudinem perducendo.

Alii plus; alii minus caloris habent.

In ſenſibus parum ineſt caloris nativi, ut, *eodem aphoriſ. 14. ſect. 1. ideoq́, paucis ſuccendiculis,* id eſt, *cibis egentes ſenes jejunium facilè ferunt.* Metus enim eſt, ne ſenibus calor, jam tum debilis, pro fomite & reſtauratione cibos habens, ab iisdem, affatim & confertim ingeſtis, obruatur, & prorſus extinguatur; qualiter paucæ ignis ſcintillæ ab ingenti lignorum cumulo ſuffocari ſolent. Vidi ego aliquando Perilluſtrem, magnæque prudentiæ Virum, Rhadecii Bohemiæ, in conventum R. R. PP. Conventualium, ſexaginta aliquot annorum ætatem habentem, qui, inter ſvaviſſima optimorum Amicorum colloquia, ſeſe copioſiore alimento refecerat: cui mox tales, ob nimium

Senes frigidi.

nimium ciborum infarctum, obortæ fuerunt anguſtiæ, ut illicò exſpiraturum putaremus; quod dubio procul ex eo accidit, quòd plus cibi ingeſſiſſet, quàm calor naturalis debilis & paucus fuerat ferendo.

Præter hanc quæſtionem, jam reſolutam, alia adhuc reſtat, quâ quæritur: utrum omnes infantes, ejusdem quantitatis, & perfectionis, calidum innatum à ſuis obtineant genitoribus, vi cujus vitam longiorem, aut breviorem conſequantur. Reſpondeo: cùm ſemen ſit corpus humidum, album, calidum, & ſpumoſum, ex optima, & perfectiſſima, alimenti ultimi, & ſpirituum, ab omnibus corporis partibus defluentium, permixtione, in teſtibus, ad perfectam animalis generationem elaboratum; & multi generent, aut non admodum bonæ valetudinis, aut provectæ ætatis, aut vitiatæ, ab occulto quodam miaſmate, omnium, aut ſaltem quarundam partium temperaturæ: non poſſunt principia generationis ubique, & in omnibus ſubjectis, ejusdem eſſe perfectionis, & virtutis; aut ob contractam caloris genitorum debilitatem, aut infirmitatem, aut tacitam qualitatem, vel omnes quorundam corporum partes, vel aliquas tantùm inhabitantem. Quò enim perfectior eſt cauſa, eò quoque eſt perfectioris effectûs productiva; hinc perfectè ſanus, perfectè ſanum; infirmus, infirmum; calculoſus, calculoſum; podagricus, podagricum generat. Unde non rarò contingit, integras quasdam familias certis perire morbis; ut tabe, podagrâ, calculo; aliquos pedum debilitas, & ambulandi difficultas invadit; quorum viſus, ad extremam planè ſenectutem, incontaminatus perſiſtit. Aliis, è contra, viſus circa quadrageſimum ætatis annum perit, aut notabiliter evaneſcit, quibus pedum robur, per longiſſimum annorum decurſum, manet integrum. Quippe ex univerſali ſeminis ſpiritu, ab omnibus corporis partibus promanante, juxta Hipp. *lib. de aëre, aquis & locis*, item, *lib. de genitur.* ſui

Pueri calore inſito differunt.

Sanus ſanum generat.

Semen à ſingulis partibus fluit.

ſui inoleſcunt ſingularum partium rectores, qui retinent earum partium diſpoſitionem, & temperamentum, quod habent partes, à quibus defluit. Unde illud ortum, apud Poëtam:

Qui viret in foliis, venit à radicibus, humor;
Sic Patrum, in gnatos, abeunt, cum ſemine, mores.

Qui longioris vitæ?

Unde diuturnioris vitæ promiſſiones ſibi jure merito facere poſſunt, qui ab optimæ, robuſtæ, vegetæque conſtitutionis & ætatis Parentibus in lucem prodeunt; niſi unà, cum principiis generationis, à parentibus deſcendentibus, ut frequenter in utero materno evenire ſolet, aut caſualiter, per rerum viciſſitudinem, lædatur: ut ſi quis, ex ſaniſſimis natus parentibus, in atrociſſimos incidat dolores podagræ, vi contagii, ex lecto communicati, & contracti.

CAPUT IV.

De Humido radicali.

Humidum radicale.

DIco: humidum radicale, ſeu balſamum primigenium, eſt ſeminis pars optima, balſamica, pinguis, aërea, & oleoſa, unà cum calore nativo, partibus ſolidis, in prima earum formatione, implantata, ut ſit caloris nativi fomentum, & domicilium ac ſubjectum, maximam cum aëre & aqua habens communionem: volente ſic Galeno, *in comment. aphor. 14. ſect. 1.* ubi ait: *Ingeniti caloris ſubſtantia eſt aërea, & aquea.*

Helmontius negat humidum radicale.

Omnes unanimi oris tono Medici, quos legere mihi hactenus contigit, humidum radicale, utpote maximè neceſſarium caloris inſiti domicilium & pabulum, omnibus corporis viventis partibus, ad totius integrationem facientibus, implantatum docuerunt, & admiſerunt, unico excepto Helmontio, ſequentibus motivis inducto; quòd humidum radicale partium ſolidarum, in atrophia & tabe ex toto conſumptum, per con-

congruam alimenti exhibitionem, *& corallatum dulce Mercurii diaphoretici* reparari poſſit: quo & ulcera pulmonum curari, & conſolidari, ait.

Secundò: ſenii ariditatem ex poteſtatum vitalium, ſeu ſpiritûs inſiti defectu induci, juxta illud ſcripturæ: *Spiritus meus attenuabitur, & dies mei abbreviabuntur.* Id eſt, ſpiritus meus paulatim reſolvetur, & conſumetur: cujus conſumptionem mors ſequitur. Tertiò fatetur Helmontius, ſe quidem agnoſcere humidum ſeminale, primigenium, corporis noſtri conſtitutivum; ſed ejusdem prorſus ſpeciei cum eo eſſe, quo creſcimus, & alimur, inceſſanter per alimentorum aſſumptionem communicato: quia eo nutrimur, quo conſtamus; conſtamus autem humido primigenio: ergo & eodem nutrimur: docentibus ſic Scholis; ergo eſt eadem utriusque humidi ratio: vultquè, quòd humidum primigenium, à rore ſecundariorum humorum, ſorte & felicitate, non autem naturâ, diſtingvatur. Senii cauſa?

Hiſce objectionibus, ab Helmontio, convitiis celebri, factis reſpondeo primò, falſum eſſe, tabem, & ulcus pulmonum, altiùs eorum ſubſtantiam depaſcens, & inveteratum, curari poſſe, ob rationes *aphoriſ. 11.* & *12.* & *14. ſect. 5.* quia capillorum defluvium, alvi fluxus, & ſputa fœtida, non fiunt, niſi calore inſito, & humido radicali, jamjam ad incitas redacto, & totaliter penè conſumpto: cujus conſumptio & extinctio eſt mors ipſa: docente ſic nobiſcum ipſo Helmontio, *lib de cura Magnet. vulner. num. 96.* ubi inquit: *de cadavere autem ſponte, & fatiſcente naturâ, mortuo tam inſitus, quàm influens ſpiritus migrârunt ſimul:* quod dubio procul præcaveri poſſet, ſi humido primigenio quid ſimile generari poſſet. Hanc impoſſibilitatem agnovit Galenus, *lib. 4. cap. 5. de locis affect.* & *5. method. med.* dicens: *ulcera pulmonum curatu eſſe difficillima*, eò quòd tusſiendo pars ulcerata ſemper magis magisque laceretur. Helmontius refutatur.

Ad hæc: pauca medicamenta, aut extrinſecè admota, aut per os aſſumpta, integris viribus ad pulmones exeſos pertingunt: quia, per os aſſumpta, ad ventriculum, tanquam commune omnium per os aſſumptorum receptaculum, deſcendunt, in quo potior eorum vis & nervus, per concoctionem, digeritur; ut ita finem ſuum aſſequi non valeant. Deinde: cum ulcere pulmonum ſemper conjungitur febris, refrigerationem & humectationem requirens; ulceris verò expurgationi frigida contrariantur: ſiſtendo enim materiæ purulentæ exſpuitionem, & augendo humoris fluxum, ulceri nocent: ulcus econtrà exſiccationem poſtulat, per quam febris intenditur. *Unde his ſatisfacere ſcopis tum difficile eſt, tum impoſſibile*; ut ait Capivaccius, *de affect. medii ventris, cap. 7. ob indicationum, in hoc malo occurrentium, difficultatem & contrarietatem.* Apageſis ergo, in re tam ardua, imò impoſſibili, mi Helmonti, cum tuo Corallato dulci Mercurii diaphoretici, tantum, in hoc effectu, profuturi, quantum muſcæ pingvedo ad lienis duritiem, diu ſine ſenſu perſiſtentem, & curationem non admittentem.

Ulcera pulmonum incurabilia.

Refutatur ſecundò.

Secundò reſpondeo: quòd ariditas, ſeu ſiccitas ſenii, ex poteſtatum vitalium, id eſt, ex defectu ſpiritûs inſiti, & humidi radicalis (quæ duo Helmontius poteſtates vitales nominat, ut quid hactenus inauditi docere videretur; cùm tamen, ſub peregrinis nominum ſchematibus, idem nobiſcum inſinuet) accidat: quod univerſa hactenus Medicorum Schola, ab Hippocrate, in præſens usquè tempus, unamini conſenſu docuit. Imò & ipſa nominis etymologia id ipſum nobis indicat; quia ariditas aliud nihil eſt, quàm humidi privatio; iſta autem privatio de alio humore intelligi non poteſt, quàm de humido radicali, caloris inſiti habitaculo; reſpectu cujus verum eſt, quòd, quò magis ſeneſcimus, eò magis areſcimus: teſtante id Hippocrate, *aphoriſ. 14. lib. 1.* & Galeno, *in eodem comment.*

Nam,

Nam, reſpectu humorum excrementitiorum, ariditas ſenibus non ineſt: quia tantâ quandoque humorum pravorum, ex vitalium poteſtatum defectu ortorum, copiâ abundant ſenes, ut, iis in partem principem irruentibus, ſuffocentur.

Reſpondeo tertiò: falſum illud quoque eſſe Helmontii, aſſerentis; quòd humores alimentarii ejusdem omnino ſint rationis, cum humido radicali, & ab eo non differant, niſi ſorte & felicitate. Quia omnis cauſa, ut cauſa, ſemper majoris eſt perfectionis effectu, à ſe producto; atqui Archeus, ſeu ſpiritus inſitus, cum humido radicali, in diverſis corporis partibus, chylum, ſanguinem, & ſpiritum, ad totius corporis nutritionem requiſitum, perficit: ergò calor inſitus, ut cauſa ſucci alimentoſi productiva, eſt longè perfectior effectu à ſe producto. Refutatur tertiò.

Secundò: nunquam ſuccus alimentoſus tot, tantæque perfectionis officinas ſubit, quot humidum radicale cum ſeminis materia ſubintrat. Quia ſeminis materia, reſpectu caloris & balſami nativi, eſt ipſiſſimus flos ſanguinis ſpirituoſiſſimi, quæ, inſtinctu ipſi divinitus inſito, per vias certas, ad teſtes migrat; qui tantâ ſanè virtute ſunt præditi, ut non modo omnimodam ſemini fœcunditatem & perfectionem præbeant; verùm etiam ad temperamenti, habitûs, & ſubſtantiæ propriæ, morumque alterationem plurimum faciant. Sanguis ſemine imperfectior.

Hôc commotus Galenus, *lib. 1. de ſemine, teſtes alterum caloris inſiti fontem ſtatuit*: quia in teſtibus vult contineri focum, quo univerſum corpus incaleſcit; ad horum immutationem etiam immutatur corporis temperies; quod in ſpadonibus, & caſtratis, luce meridianâ clarius apparet. Illis enim exſectis, aut contortis, aut refrigeratis, omnis laſcivientis animi fervor corruit, urgentis libidinis ſtimulus extinguitur, corporis animoſitas perit, inſignis omnium membrorum fortitudo collabeſcit, & hebetatur. Hiſce itaque ſufficienter, ad lapidem Teſtium virtus. Caſtrati debiles.

pidem Lydium, ut dicitur, probatis, ad te, Helmonti convertor, cum interrogatione; utrum adhuc putes, ſuccum alimentoſum ejusdem eſſe perfectionis cum humido radicali, ingentem, præ alimento (ut jam dictum eſt) excellentiam habente, & miras, in diverſis, iisque prorſus nervoſis officinis, virtutes accipiente? Quod negare non potes. Cùm igitur humidium primigenium admiſeris, & ſpiritum ſemini inſitum, & ab omnibus partibus defluum, utpote infirmitatum hæreditariarum (quibus integræ quandoque familiæ, ut aſſeris, tolluntur) characterem conceſſeris, etiam admittes humidum radicale, & lubens fatebris, te, inter tot jactantias & vaniloquia, nihil diſtincti à Scholarum doctrina docere, & nihil, præter meram verborum heteroſin, & famoſum verborum monopolium proponere. Cur enim diceres, *cap. de vita, circa finem, poteſtates vitales extingui, & , inſtar flammæ, in horas labiles eſſe, & extingvibiles*, niſi, re benè conſideratâ, verum inveniſſes, vitam humanam candelæ ardenti optimè comparari; quod & nos dicimus? Nonne poteſtates tuæ vitales ſunt ſpiritûs vitales & inſiti, quos & nos in humido radicali, tanquam in ſubjecto ſuæ inhæſionis, dari docemus? Nonne & ſpiritûs vitales & inſitos, ob ſuam ſalſedinem, balſamicos, atq; ideo à corruptione præſervantes, dicis, in tuo, *de aura vitali*, capite? Hoc quoque nos admittimus, dicentes, humidum radicale eſſe balſamum præſervans, & conſervans calorem noſtrum, mitem & blandum, ne, ſylveſtrem induendo naturam, ad morborum generationem concurrat. Cur ergo humidum radicale negas, cùm tamen fatearis, *cap. de ſpiritu vitæ, quòd aqua vitæ ſit liquor volatilis, & oleoſus*, id eſt, aëreus: quod & à nonobis humidum radicale indigitatur? Quòd Hippocrates ipſas naturas morborum medicatrices nominat; & id verum eſſe, quis unquam Medicorum negavit? Ex hocnè ergo corruat, dari humidum radicale? Nequaquam. Quin potiùs noſtram confirmat

Aqua vitæ.

Natura morborum medicatrix.

firmat ſententiam, quà aſſerimus, cum Galeno, *in arte Medicinali, cap. 87. naturam certè aliam non eſſe, quàm calorem noſtrum nativum, temperiémq́, corporis, quâ rectè omnia munia obeuntur.* Ac propterea facultatem noſtri corporis rectricem, jure meritiſſimo Naturæ nomine inſigniendam, Galenus idem aſtruxit. Quæ ſagax, & bene docta natura, quid factu opus, ſuggerit; eaque in tempore adminiſtrat, quæ uſui futura ſunt; teſtante Galen. *lib. 2. de art. curand. ad Glaucon. cap. 5.* &, ut, *lib. de ſympt. cauſ. cap. 1.* inquit: *magna ſanè ejus facultatis, qua totum corpus regit, potentia eſt, quæ naturæ vocabulo donanda eſt.* Hæc enim validos, in corpore, motûs excitat; hæc, in morbis, decretoria facit, noxia pellit, utilia ſervat, vias aperit, ſibique per omnia aditum parat; à morbis etiam exitialibus ſeſe vindicat; ut, quem notis etiam certiſſimæ mortis moriturum putaveris, ipſa, ductu ſuo, ſæpè contra artis præſagia, liberet. Natura. Naturæ opera.

Quærenti ergo ex me: quid ſit Natura? Reſpondet Riolanus, *Phyſiolog. ſect. 7. cap. 5. Natura, primo & generali ſignificato, nihil aliud eſt, quàm vis quadam divina, ſublunarium omnium opifex, diſperſa per univerſum.* Quod Deo, utpote naturæ univerſali, ſoli, & ſemper, competit: quo modo etiam à Seneca, *lib. 5. de Beneficiis, natura nihil, præter Deum, dicitur.* Ariſtoteles, *2. Phyſicor. cap. 1.* inquit, *naturam eſſe principium, & cauſam motûs & quietis, in eo, in quo eſt, primò, per ſe, & non per accidens.* Sed nos, rem Medicam tranctantes,

Dicimus: natura humana eſt calor nativus, humido radicali inſitus, actionum corpori viventi competentium auctor & opifex. Ita Hipp. *lib. de carnibus*, & Galenus, *in Art. parv. cap. 87.* Hipp. *aphoriſ. 57. ſect. 4.* ubi calori nativo, ab externo adjuto, Tetani, à repletione facti, curationem in totum tribuit. Quod idem Galenus docet, *in comment. aphoriſ. 21. ſect. 5.* & *aphoriſ. 22. ejusdem ſect.* dicens: *calor nativus, vegetior revocatione ad interna factus, & à calore externo excitatus, non ſolùm diſtenſionem,* Naturæ definitio.

ſed

ſed & convulſionem omnem curat : quia natura utique eſt calor nativus; quam Hipp. 6. *epid. ſect.* 5. morborum medicatricem nominat, *quæ ipſa ſibi per ſe, non ex conſilio, motiones ad actiones obeundas invenit :* à nullo quidem edocta natura, citráque diſciplinam, ea, quæ conveniunt, efficit. Quibus naturæ miraculis in admirationem raptus Galenus, *lib. 2. de diebus decretor.* inquit : *quanta ſit providentia naturæ, quantus ordo, & ornatus in motionibus ejus, animalium generationes, ortûs, & incrementa indicant : quæ omnia admirari, non verò imitari licet;* dicente eodem Galen. *lib. 10. de uſu part.*

Naturæ providentiæ.

Hîc quæritur : utrum humidum radicale, & calor nativus, regenerari non poſſint? Reſpondeo negativè. Quia, cùm humidum radicale, & ſpiritus inſitus, ſit optima & ſpirituoſiſſima ſeminis portio, partibus ſingulis, in prima formatione, elegantiſſimè indita; fieri non poteſt, ut in ejus locum talis, tanta, & tam perfectè elaborata ſubſtituatur, qualis illa erat, quæ partibus cum primis generationis principiis contigit: quia ſanguis partium nutritioni deſignatus, nunquam tot perfectæ coctionis officinas ſubit, quot, ut jam dictum eſt, ſemen, ex optima ſanguis maſſa præparatum, ſubintrat. Secundò : omne agens finitum eſt virtutis finitæ, repatitúrque agendo : proinde uſu atteritur calor, fitque tractu temporis imbecillior; cujus imbecillitate, & humidi radicalis inopiâ contingit, ut contabeſcat corpus paulatim : atque ob id ipſum exiſtit ſenectus; referente ſic Gal. *lib de maraſmo* : ideóque non poteſt jacturam humoris radicalis, quem ipſe calor nativus abſorpſit, ut proprium ſuum alimentum, quo, ſicut flamma oleo, nutritur, reſarcire. Andreas Laurentius, *lib. 1. de ſubject. anatomic. quæſt. 10.* ait : *Rationes, cur nec tale, nec tantum, quale & quantum erat humidum, reſtitui poſſit, ſunt multæ. Prima : non æquè coctum & elaboratum humidum reponitur, quale in principio generationis, in plexibus labyrinthæis, erat adumbratum, in teſtibus*

Humidum radicale nō regeneratur.

Cur non regeneretur.

teſtibus excoctum, in deferentibus vaſis & adenibus proſtratis perfectum ſemen, ex quo partes ſolidæ conformantur. Nunc verò non eodem ſemine, ſed ſanguine tantùm dealbato, aluntur partes. Secunda ratio eſt: quòd perennem & continuam ſubſtantiæ jacturam patiatur qualibet pars; at reſtauratio ſenſim, & non, niſi per varias alterationes, perficitur. Tertia ratio eſt: quòd non poſſint, niſi nutritione, partes humectari; alimentum verò ut tardiùs in duram, quàm in mollem particulam vertitur; ita magis ab ea afficitur. Quare non poteſt alimenti humiditas tantum addere, quantum ſolidarum partium actio detrahit, priusquam nutriantur. Quarta ratio eſt: quòd continuâ actione fatiſcat calidum; quia omne agens naturale agendo patitur; itaque deterius ſibi parat alimentum, &, licet eadem ſit vis animæ, ejus tamen inſtrumentum, multo uſu detritum, non poteſt, quod ab eo jure naturæ exigitur, perficere penſum: quo fit, ut quotidiano agitatus opere calor fiat vegetus, deinde flacceſcat, poſtremò verò aboleatur. Ex quibus ſequitur, calidum innatum regenerari non poſſe, ſed tantùm rigari.

Ex hiſce jam fuſiùs, hoc & priori capite, enarratis, cuilibet, rem diligentiùs ponderanti, & accuratiùs ſecum ruminanti, facillimo etiam negotio, patebit, cur homines, hâc ætate, per tantam annorum ſeriem non vivant, per quantam priſcis vixerunt temporibus. Quia ſpiritus nimirum, ſeu caloris inſiti, & humidi radicalis energia, flos & vigor, per generationum traductiones, morborum injurias, temporum adverſitates, annorum cariem, millenáſque rerum viciſſitudines, in nos, utpote Majorum noſtrorum ſucceſſores, tranſlati, ita paulatim hebetatur, infringitur, & minuitur, ut vix tertiam, vel quartam humoris radicalis partem, ſpirituúmque inſitorum perfectionem habeamus; unde etiam, factâ vitæ noſtræ cum Majorum comparatione, vix decimam annorum partem aſſequimur.

Brevioris vitæ cauſa.

Caput V.

De Caloris inſiti, & Humidi radicalis conſervatione.

Cum jam ſat fusè monſtraverimus, in calore nativo, & humido radicali, conſiſtere vitam, adeoque omnium actionum corpori viventi competentium eſſe artificem, & unicum animæ, ejusquè facultatum, ad actiones obeundas, inſtrumentum; totis in id viribus erit incumbendum, ut ſolidis, & partim Veterum, partim Recentiorum Medicorum authoritate bene ſuffultis rationibus, legitima methodus monſtretur, quâ calor nativus, & humidum radicale, adeò pretioſa, in eodem, quantum poſſibile eſt, vigore & virtute conſerventur: aut vita ſaltem, ad extremam ſenectutem, & exactam humidi radicalis conſumptionem, protrahatur: in quo conſiſtit terminus à Deo præfixus, qui præteriri non poteſt.

Quæritur ergo primò: qualiter conſervetur calor nativus, cum humido radicali? Reſpondeo: calor inſitus in humido radicali conſervatur, duplicis alimenti beneficio: quorum alterum formale; alterum verò materiale dici poterit.

Humidi radicalis alimentum duplex.

Pabulum, ſeu alimentum caloris nativi formale, eſt ſpiritus influens, ſubſtantia rariſſima, tenuiſſima, maximè mobilis, in parte principe, corde nimirum, ex optima ſanguinis arterioſi portione, aëreque, per inſpirationem à pulmonibus attracto, atque cordi communicato, reſultans; à quo deinde in omnes corporis partes influit, ut ſpiritum inſitum foveat, recreet, eiq; unitus deducat de potentia ad actum, vitam dando, vitalemquè actionem impertiendo.

Materiale caloris inſiti alimentum, eſt humidum radicale, quod ipſum ſuam, à ſanguinis optimâ portione, nutritionem & conſervationem accipit. Utrum verò hic ſanguis ſit veno-

venoſus; an verò arterioſus, multum hactenus Authores inter ſe diſputârunt: ego verò competentem utriúsque partis reſpectum habendo, omnino judico, &

Dico: ſanguinem puriſſimum, arterioſum, optiméque in corde, utpote ferventiſſima ſanguinis & ſpiritûs officina, excoctum, cedere humido radicali in refectionem & alimentum; quia ſanguis arterioſus eſt calidus & humidus, correſpondens elemento aëris; quod etiam humido radicali competit. Secundò: omnis pars corporis alenda exigit, trahitque alimentum, inſtinctu naturali ſibi notum & familiare, ut eo inſtauretur, augeatur, & roboretur: ergo & humidum radicale, appetitu naturali, fertur in alimentum ſibi analogum & familiare: quia naturæ ſuæ conſervationi quàm maximè intenta, hujus humidi radicalis ſuſtentationi tam induſtriè, dubio procul, laborat, quàm nullius alterius rei; reliquarum enim corporis partium vigor, & proſperitas, dependet ab humidi radicalis integritate, flore, & conſervatione. Tertiò: humidum radicale eſt optima & elaboratiſſima primorum generationis principiorum portio & ſubſtantia: ergo etiam alimentum exigit optimum, & elaboratiſſimum: juxta illud perpetuæ & infallibilis veritatis Axioma: Nutriri partes corporis ſibi ſimilibus. Quia, teſtimonio Galeni, *lib. 2. de tuenda ſanitate: unumquodq; ſervatur ſimilibus: nam quibus ſimilis eſt ſubſtantia, iis mutari inter ſe fas eſt;* volente ſic eodem Gal. *lib. de natural. facultat. ſubſt.* Et, *lib. 6. de uſu part.* ait: *Quale unumquodq; eſt, tali ipſum nutriri alimento neceſſe eſt:* atqui nobilior ſanguine arterioſo in corpore non generatur ſanguis; ergo ſanguis arterioſus eſt nobiliſſimi humidi radicalis pabulum, ſaltem juxta magis oleoſam ſui portionem, qui cum ſpiritu vitali influo, in corde, unà cum ſanguine arterioſo fabricatus, ad ſingulas corporis partes, nutritione opus habentes, migrat, ut ſpiritus inſitus refocilletur; ſine quo aliàs fugax eſt.

Sanguine optimo nutritur.

Partes ſibi ſimilibus nutriuntur.

Cùm igitur calor inſitus, & humor primogenius, à calore influente, & ſanguine arterioſo, in ſuo conſerventur vigore; omni poſſibili diligentiâ in id incumbendum eſt, ut utrumque, & calorem navum, & humidum primigenium, per congruam alimenti, qualitate, quantitate, & utendi modo correſpondentis porrectionem, incontaminatum ſervemus: ad hoc, ut plurimorum dierum & annorum valetudine, & vita fruamur incolumi. Ad diuturniorem longioris vitæ conſervationem, opus eſt nutrimento viſcido, lento, & craſſo, teſte Galeno, *lib. de maraſm.* ubi ait: *omne, quod nutrit, neceſſe eſt, ut ſit viſcidum, lentum. & craſſum*: quia requiritur, ut alimentum, corpori, in dies ſingulos, alendo & reſtaurando exhibendum, habeat ſimilitudinem cum humido radicali, quod ſimiliter craſſitiem, viſcoſitatem, & lentorem poſſidet. Ubi tamen non quemcunque lentorem, craſſitiem & viſcoſitatem crudam, qualis phlegmatibus indigeſtis, & excrementitiis, ineſt, ſubintelligi velim; ſed talem lentorem, qui aliqualem ſoliditatis, viſcoſitatis, & craſſitiei, inſtar pinguedinis, aut balſami, facilè adhæreſcentis, portionem habeat. Quia partes continuæ attritioni ſubjectæ ſolidæ ſunt, viſcoſæ, & craſſæ; ergo & ſimilibus ſibi alimenti portionibus reparandæ. Hinc Ariſtoteles, *ſect. 21. problemat. 12.* & *13. triticum omnibus hominibus cibum dicit familiarem;* non aliâ perſvaſus ratione, quàm quòd ſucco lento, viſcoſo, & craſſo, faciliq; negotio cum partibus ſolidis commutabili, ſit præditum.

Ad diuturnam vitam quo opus?

Tria autem alimentorum genera plerumque ac Authoribus notantur. Primum eſt ſanguis, in viſceribus coctioni aut ſanguificationi præfectis, ritè beneque præparatus, diſtributus, qui primùm in partem nutriendam influit, roriſque adinſtar diſperſus, proximè in alimentum evadit. Secundum eſt gluten, inſtar glutinis parti nutriendæ jam adhærens. Tertium eſt cambium, ubi jamjam in ſubſtantiam viventis converſus

Alimentum triplex.

ſus

ſus ſanguis deſinit eſſe humor. Hocque procedendi modo fit ex alimentis, per os aſſumptis, & diverſas diverſarum partium actiones expertis, nutritio; quæ eſt vacuati, per adjectionem, repletio; ſeu, ut aliis placet: Eſt converſio alimenti in ſubſtantiam partis nutritæ: quia ideo nutrimur, ut à calore nativo, & influente, diſſipata reſarciantur, fiátque alimentum unum cum parte nutrienda; qui eſt non modò asſimilationis, ſed etiam omnium antecedentium, à viſceribus factarum, coctionum, ac omnium mutationum extremus finis. Nutritio.

Denique hîc obſervandum, corpora nutriri ſolo ſanguine. Quia verò corpus non ex partium homogeneitate, ſed heterogeneitate conſtat; id eſt, ex particularum diverſarum commixtione: hinc quoque contingit, ut in ſanguine, correſpondens corporis partium heterogeneitati contineatur alimenti diverſa proportio: de quo ſanguine pars quævis, auxilio facultatis attractricis, ſibi proprium & familiare, pro naturæ exigentia, attrahat alimentum. Sanguis eſt heterogeneus.

Sic cartilago, ductu naturali, illam alimenti portionem rapit, quæ eſt apta tranſire in cartilaginem: oſſa, quæ in oſſa: venæ & arteriæ, quæ in venas & arterias, &c. Pro hujus admirandi laboris varietate, natura varia quoque machinata eſt vaſa & organa, quibus alimenta, tot varietatibus dotata, pro cujusvis partis exigentia & neceſſitate excoquat, bonum à malo, & malum à bono diſcernendo, & ſegregando.

Cùm igitur, ex hactenus actis, cuilibet, rem conſideratè ſecum perpendenti, luculentiſſimè conſtet, quibus vita noſtra nitatur baſibus & fundamentis, qualíque opus habeat alimento, ad longiorem vitæ ſanitatisque conſervationem: idcirco ad res ſangvinem laudabilem generantes, ſpiritum inſitum ſpirituoſum præbentes, ſicquè humidum radicale conſervantes, ſpiritum inſitum reparantes tranſibimus. Harum ſex ſunt, & à doctiſſimis Medicis Res non-Naturales dicuntur: quæ Res non naturales ſex.

 bene

bene adminiſtratæ, ſanitatem tuentur; & malè adhibitæ, eam deſtruunt: nempe aër; cibus, & potus; quies, & motus; vigiliæ, & ſomnus; repletio, & inanitio; atque animi accidentia. Hæ res non naturales, &, ob ſingularem ſuam neceſſitatem, inevitabiles dicuntur; quia ſine iis calido innato debitum ſubtrahitur alimentum. Quare, cùm tanta ſit rerum ſex non naturalium neceſſitas, de iis impoſterum, capitibus ſingularibus, erimus acturi, incipiendo ab Aëre, cæteris valentiore, & magis neceſſario.

Caput VI.

De Aëre, ejus qualitate, uſu, & neceſſitate.

Quantum uſum, quantamquè utilitatem, temperatus, &, inter res ſex non-Naturales primum locum obtinens, aër corpori humano præſtet, ex hoc vel maximè elucelcit, quòd Hippocrates, *lib. de flatibus*, dicit: *tantam omnibus corporibus ſpiritûs*, id eſt, aëris, *ineſſe neceſſitatem, ut, quamvis aliis omnibus, & cibis & potibus, quis abſtineat, duos tamen & tres, iiſq; plures dies vitam ducere poſſit: at ſi quis ſpiritûs*, id eſt, aëris, *in corpus vias intercipiat; vel exiguâ diei particulâ homini ſit pereundum.* Adeò neceſſarius eſt aëris uſus in corpore humano!

Aëris ſumma neceſſitas.

Secundò: cum ab omnibus aliis actionibus homines quieſcant, quòd innumeris actionibus vita ſit expoſita; ab hac tamen ſola actione nunquàm animalia deſiſtunt, quin aut ſpiritum adducant, aut reddant. Quòd igitur omnibus animantibus cum aëre maxima intercedat communio, clariſſimum eſt: adeoque, ut nexus ille (de quo antea nobis frequens erat ſermo) corpus inter & animam, diutiùs conſervetur; aër, in quo verſamur, ſit bonus & temperatus, ad calidum potiùs & ſiccum, quàm humidum & frigidum declinans: in qualitatibus ſuis, tam activis, quàm paſſivis, non excedat; ſit mundus

Qualis aër conducat.

dus & clarus; ſit jucundus & ſvavis; Sole oriente citò caleſcat; occidente, ſtatim frigeſcat: quia talis non ſolùm ad ſpiritûs & ſanguinis nutritionem, augmentum, clarificationem, ſubtilitatem & depurationem plurimum facit; ſed etiam, ſpiritûs clarificando, concoctionem, ob levem pororum adſtrictionem promovendo, mentem ſerenando, digeſtioni, omnibus viſceribus competenti, ſuccurrendo, robur ſuppeditat; præſertim ſi omni inquinamentorum infectione caruerit; ſi lenibus ſvaviterque ſpirantium ventorum flatibus agitatus, & ſalubri non rarò pluviâ irrigatus fuerit. Hic enim, per inſpirationem à pulmonibus attractus, eosque ſubiens, omnibus naturis ſanus & conducens, à Galeno, *lib. 1. de ſanit. tuendâ*, dicitur.

Calor,ècontra, temperati limites excedens, calorem inſitum diſſolvendo, humidum radicale exſiccando, laxas facit juncturas, ſitim infert, ſpiritûs diminuit, virtutem dejicit, digeſtionem impedit & turbat, calorem genuinum, naturæ, ad actiones inculpatè edendas, datum reſolvit, cor, omnis vitæ fontem, baſim & fundamentum, moleſtat, humores colliquando, accendendo, irritando, movendo; quos dum in partes principes quandoque impetuoſiùs irruere facit, variorum morborum originem præbet: ut teſtatur Hipp. *lib. de flatibus*, ubi ait: *Mortalibus autem aër tum vitæ, tum morborum ægrotis cauſa eſt*: quatenus nimirum, caliditate excedens, calorem inſitum accendit, & humidum radicale depopulatur. Intemperati aëris noxæ.

Nec minoris noxæ eſt aër frigidior, tam per inſpirationem adveniens, quàm externos corporis limites ambiens; quia, à pulmonibus attractus, temperatum cordis calorem refrigerat, humores incraſſat, ſpiritûs condenſat, morbos parit frigidos, diuturnos, nervis, oſſibus, & pulmonibus apprimè nocentes. Per nares ad cerebrum migrans, varia fluxionum genera excitat: fauces potentiùs intrans, anginas, & columellæ exulcerationes inducit: in aures irruens, producit earundem Frigidi aëris nocumenta.

ſibilum

ſibilum & tinnitum, humores ibidem hoſpitantes incraſſando; auditum impedit, & obauditiones generat: in oculis fluxiones & lippitudines elicit: pectus penetrans, tuſſes, ejúsque gravedines producit: in inteſtinis diarrhœas & alvi fluxûs: in pedibus & manibus gignit chiragram, podagram, & nervorum impotentias, atque dolores varios, pro humoris, ad diverſas partes fluentis, varietate.

Externos corporis limites ambiens frigidior aër, cutis meatûs & ſpiracula denſat, occludit, putrilaginoſorúmque humorum effluxum & tranſpirationem impedit (ut placet Galeno, *lib. 10. meth. med.*) quam ſequuntur ſanguinis putredines, inflammationes, deſtillationes &c.

Humidi aëris incommoda.

Quis abominandam aëris humidioris naturam non deteſtetur; quia, corpora præter modum humectando, ſpiritibus torporem inducit, ingenii gravitatem & ſtupiditatem parit, vehementes oculorum fluxiones & catarrhos concitat, ita, ut aërem humidiorem, ad pituitæ generationem plurimum facere, ſit infallibile? Quod docet Galenus, *in Comment. aphoriſ. 11. ſect. 3.* inquiens: *Morbi pluvioſis temporibus, ferè ſunt febres longæ, alvi fluores & putredines.* Idem docet Hipp. *aphoriſ. 16. ſect. 3. Continuis imbribus morbi ferè fiunt febres longæ, fluxiones alvi, putredines, epilepſiæ, apoplexiæ, anginæ* &c. Ita revera eſt, quòd excrementum pituitoſum, in cerebri ventriculis natum & congregatum, magnas offenſiones inducat, cerebri intemperiem non ſolùm miris modis alterando & immutando; ſed etiam ventriculi robur diſſolvendo, ejusque facultates inſigniter infringendo: imò ſæpius, violenter in cerebrum irrumpendo, ſubitaneæ mortis cauſa eſt.

Siccus aër quibus proſit & obſit.

Licet nonnullis corporibus ſicciorem aëris conſtitutionem clementiorem experiamur, quatenus nimirum copioſiores exſiccando humores abſumit: nihilo tamen minus naturis quoque maxima damna inferre potis eſt; quia corpora denſat,

denſat, exſiccat, ad phthiſim, maximéque ulcera pulmonum diſponit, ophthalmias, articulorum dolores, urinæ & inteſtinorum difficultates adfert, teſte Hippocrate *aphoriſ.16.ſect.3.*

Quare cuilibet, diuturnioris vitæ amatori, amicè ſvadeo, ut aëri puro luminoſo, inquinamentis & fœtore carenti ſtudeat; quia impurus cor alterat, cerebrum perturbat; turbidus triſtitiam, ignaviam, & ſomnolentiam inducit: malignitate & fœtore infectus, violenter humidum radicale depopulatur, calorem nativum, in eo reſidentem, in furorem adigit: ut in febribus malignis & peſtilentibus contingere ſolet. Qui, in furorem actus, taliter ad totius deſtructionem concurrit, qualiter, in ſtatu ſibi naturaliter debito, ad omnium actionum integritatem, & totius conſervationem concurrebat, inducendo cordis anxietatem, ſitim, capitis dolores, vigilias, deliria, linguæ ariditatem, & alia ſexcenta mala, ſtimulante malignitate, per aërem communicatâ, in corporis ruinam vergentia: de quibus Authores conſulendi. Aër purus omnibus prodeſt.

Hîc ſaltem obiter notandum, malignam aëris peſtilentis tincturam alia ſubjecta faciliùs; alia verò difficiliùs inficere. Qui enim, perversâ victûs ratione uſi, cacochymicis abundant humoribus; quique, ob bilis abundantiam, & ſangvinis caliditatem, facilè inflammationi ſunt obnoxii, hiſce maligni aëris afflatus levior, facili negotio, virus malignum & peſtilens communicat: accedente præſertim rei apprehenſione & metu, quibus, tanquam optatâ occaſione, leviſſima etiam contagii ſpicula ad cor deferuntur; quod, è contrario, viſcerum munditiem habentibus, puroque & moderato ſangvine præditis, non ita facilè contingit, concomitante præſertim animi fortitudine intrepidâ. Cur alii citius; alii difficiliùs inficiantur.

Hinc habitatio ſit lucida, ſit alta, Orientem potiùs, & Occidentem ſpectet, quàm Meridiem & Septentrionem: quia Oriens, ventos ſpirans ſubſolanos, tenuem & ſubtilem red- Aër in peſte qualis.

E dit

dit aërem: innuente ſic Hippocrate, *de aëre, aquis, & locis*, quia calor & frigus ſe moderatè habent. Nam venti ab Oriente ſpirantes, calidiore & ſicciore diei parte, plurimum exhalationum terreſtrium ſecum trahunt, ita frigiditatem & humiditatem attemperando, ut non, niſi optimam, corporibus vegetationem præſtent.

Occidentales venti boni.

Occidens ſvaviſſimos Favonios, ſeu Zephyros, vaſtiſſimam Oceani immenſitatem transeuntes, ſubmittit: qui, ob inſignem, quem corporibus ferunt, fructum, vitam afferentes dicuntur; quia Favonii, à fovendo dicti, venti ſunt genitales, & ſpiritûs mundi; quorum beneficio plantæ, hyberno tempore enectæ, vernante anno reviviſcere creduntur.

Meridionales mali.

A Meridie venti, Auſtrales dicti, oriuntur, qui naturâ ſuâ calidi & humidi, ab exhalationibus, è lacubus & ſtagnantibus aquis, elevati, corpora laxandi & reſolvendi, putredines cauſandi, peſtes, ac peſſimarum plagarum myriades excitandi, potentiam habent. Ita, ut Hippocr. hac de cauſa commotus, *aphoriſ. 5. ſect. 3.* in hæc verba eruperit: ***Auſter auditum hebetat, caliginem viſui obducit, caput gravat, membris tarditatem & langvorem conciliat.*** Quorum malorum cauſas Galenus, *in comment. ejusdem aphoriſmi*, pulcherrimas reddit, dicendo: quòd his ventis, naturâ ſuâ calidis & humidis, vis quædam & potentia inſit capita replendi; quódque, poſitâ nimiâ repletione, nervi motui dicati humectentur; hisque præter modum humectatis, à voluntatis imperio dependens motus torpeat, langveat, & quaſi ſolvatur.

Septentrionales corpora firmat.

A Septentrione oborti venti, Boreales dicti, naturæ ſunt frigidioris & ſiccioris, qui ſingularem quandam, corpora adſtringendi, firmandiquè potentiam obtinuerunt; affirmante ſic Hipp. *aphoriſ. 17. ſect. 3.* ubi ait: ***Quotidianæ tempeſtates aquilonia cogunt corpora & firmant, mobiliora item, & expeditiora, magisq; colorata, atquè auditu valentiora reddunt:*** quia ventus ſic-

cus

cus & frigidus excrementa corporum humidiora abſumit, & inſtrumentis, à nimia humiditate occupatis, hacquè de cauſa langventibus, robur addit; ſicque corporum facultates ad actiones tam animales, quàm naturales, obeundas diſponit.

Hîc obſervandum eſt: quod non omnis aër, & ventus, omnibus ſine diſcrimine naturis ſit conveniens. Quia, innuente Hipp. *aphoriſ. 16. ſect. 3.* & Gal. *in eodem comment. adoleſcentes, vere; pueri, ætatis principio optimè degunt:* at ſenibus, propter caloris imbecillitatem, & naturæ frigiditatem, æſtas utilis eſt; ſicuti florentem,ècontrà, ætatem agentibus hyems utiliſſima. Hyemis enim frigiditate, utpote biliosæ conſtitutioni contrariâ, bilis acrimonia obtunditur; ſicuti, ècontrario, æſtatis caliditate corporum ſenilium, phlegmatis ſuccique frigidioris frigiditas, atteritur. Hinc Gal. *lib. 1 de tuenda ſanitate: Puriſſimum & temperatiſſimum ventum, & aërem in pulmones attrahere, omnibus juxta ſalutare eſt. Nam impurus aër & ventus omni ætati adverſatur. At verò, quæ ex calore, frigore, ſiccitate, humiditateq́, diverſitas aëris contingit, non perinde ſe ad omnes homines habet; ſed corporibus optimo temperamento dotatis, optimè temperatus aër conducit. In quibus verò aliqua exſuperans qualitas dominium habet, iis utiliſſimus aër cenſetur, qui qualitati prædominanti pari gradu adverſatur.* Adeoque cuilibet ætati, ſenili præſertim, & laborum morborumque frequentiâ & vehementiâ attritæ, ob caloris debilitatem, diligenter auræ, temporumque mutationibus attendendum, ut juxta eas, non modo quilibet ſe diſponat, verùm &, iisdem ſerviendo, ipſorum qualitatibus complexioni humanæ contrariantibus, congruâ remediorum ſerie atq; diætâ inſtructus, obviam procedat.

Naturæ diverſæ diverſus aër prodeſt.

Hîc quæritur: utrum ſydera ad vitæ longævitatem & brevitatem faciant? Et utrum manifeſtis tantùm, an verò etiam occultis qualitatibus? Reſpondeo: ad vitæ diuturnitatem, & fugacitatem cœleſtium ſyderum & planetarum, diver-

Sydera inclinant, non neceſſitant.

diverſimodè influentium, aſpectûs, & influxûs, plurimum conferre, diſponendo, inclinando; nequaquam verò neceſſitando: quia ad Lunæ mutationes maximæ, in hiſce inferioribus, fiunt alterationes: ut criſes, & ſimilia. Unde Gal. *lib. 3. de dieb. decret.* docet: *Lunæ motûs cauſam eſſe omnium mutationum, quæ in corporibus fiunt.* Corpora nimirum cæleſtia, ob qualitates occultas, præter manifeſtas, in iis reperibiles, eorum, quæ in hoc mundo fiunt, rariorum effectuum paradoxorum ſunt cauſa, nullique, niſi latentis virtutis miraculo, adſcribi poſſunt. Quod probatur: ſi ſydera calore & luce, aliiſque manifeſtis qualitatibus elementorum agerent tantùm, iidem ſemper lucis & caloris effectûs deberent ſequi, in hiſce inferioribus: ſed non ſemper iidem, ab hiſce ſolis dependentes, ſequuntur effectûs; ergo effectûs ſyderum non tantùm in hiſce inferioribus à manifeſtis qualitatibus producuntur. Quia multa in terræ viſceribus, mariſque profunditatibus, fiunt, quò nec aſtrorum calor, nec lux pertingunt; & tamen concurrenti ſyderum influxui omnia eorum opera tribuuntur; teſtante id S. Dionyſio, *4. de divinis nominibus*: ubi dicit: *quòd corpora cæleſtia ſint eorum cauſa, quæ fiunt in hoc mundo*, quia ab ipſis omnium rerum fœcunditas, generatio, & vegetatio: &c. Quod & Fernelius, *lib. 1. de abdit. rerum cauſ. cap. 8.* docet, quòd *ab intimis, abditiſſimiſq́ terræ viſceribus profecta, & eruta, tum metalla, tum lapidum ſtirpiumq́ genera, convenienter & appoſitè præparato ſolo, ſuæ formæ eſſentiam è cœlo hauriant.* Et paulò pòſt, ex Ariſtotele, *3. de generat. animal. ſub finem*, inquit: *Itaq́ quod calor in animalibus è cibo facit, idem temporis, in ambiente nos aëre, calor è terra & mari coquendo concernit & conſtituit. Quia, quod in terra facit humor, id in aqua facit ſpiritus;* ita, ut confirmetur illud Ariſtotelis, *problemat. 15. lib. 10.* dicentis: quòd *omnes mutationes, in hiſce inferioribus fieri ſolitæ, efficiantur ab inſolente quadam, & admodum rarâ concurſione permixtioneq́ ſyderum.*

Occultè operantur ſydera.

Ritè conſtituta vitam tuentur.

ſyderum. Idem Fernelius, *lib. 2. de abdit. rerum cauſ. cap. 12.* inquit: *gravem eſſe eorum ſtupiditatem, qui ſydera nihil in aërem, niſi calorem & frigus, imbres, aut ſiccitatem, lumine motuq́ ſuo inducere contendunt. Si illa, bene conſtituta, omnium vitam tuentur & conſervant; cur, malè conſtituta, vita non incommodent? Illinc prima eſt rerum omnium ſalus & conſervatio: illinc quoque ruina & interitus. O verè felices, qui ſecretiore hac cognitione ſapientiſſimi fiunt, quâ neq; ad præcavendos, neq; ad præſervandos peſtilentes morbos eſt ulla præſtantior. Itaq́ puræ, ſimplicisquè peſtilentiæ cauſa eſt cæleſtis configuratio, vim inferens, quæ neque temporum mutatione, neque ullâ manifeſtâ qualitate, ſed ſolo eventu, deprehendi poteſt.* Quis igitur, hiſce penitiùs conſideratis, negabit aſtrorum influentias, aëre mediante, corpora ſubintrantes, multum, imò plurimum, facere ad vitæ longitudinem, vel brevitatem? Quis ergo non fatebitur, Aſtrologiæ cognitionem, cuilibet diuturnioris vitæ ſectatori, & imprimis Medico, ad longam vitam vias monſtranti, ſummè neceſſariam eſſe? Ipſi etiam Ruricolæ, quotidianâ rei experientiâ, lumineque Naturæ ducti & edocti, ita œconomiam ſuam diſponunt, ut in ſeminando, ligna ſecando, reliquisque ſuis operibus, diligentiſſimi ſint Aſtrorum Lunæque motuum obſervatores. Aſtrologiæ neceſſitas.

Ex hiſce nova eruitur quæſtio: cur aliorum locorum incolæ diutiùs; aliorum verò breviùs vivant? Et cur hæ provinciæ morboſæ; illæ verò ſanæ; hæ fertiles; illæ ſteriles inveniantur? Et utrum hæc ratio ſolis ſyderum influentiis ſit danda? Reſpondeo; ſi quæ loca brevioribus, aut longioribus vitæ temporibus, & particularibus morborum ſpeciebus ſunt obnoxia, id nequaquam cæcis ſolorum Aſtrorum influentiis adſcribendum eſſe; ſed ſpecificis terræ proprietatibus, & inquinamentis, quæ, unà cum ſucco, & ſpiritu terræ, in fructûs è terra prodeuntes tranſeunt: qui fructûs deinde, animantibus in eſcam cedentes, pro variante inquinantis Diuturnioris & brevioris vitæ cauſa.

& deſtructivi miaſmatis natura, nunc graviores; nunc mitiores morbos pariunt. Inſunt terræ ſpiritûs fermentativi, qui, ſtirpium meatûs intrantes, aut ſuccum vitioſum, in terræ viſceribus latentem, naturæque humanæ contrariantem, ſecum rapiunt; aut, ab eodem vitiati, fructibus ſuum imprimunt characterem; qui eò magis, vel minùs, corporum vitæ incommodant, quò magis, vel minùs, ſucci nocentis & inquinati qualitatibus ſunt infecti.

Spiritus terræ varius eſt.

Hi ſpiritûs totidem ſunt, quot fructûs ex terra germinantes: ſinguli ſingulis, pro ſua natura, terræ fructibus inducuntur, variantquè, pro locorum varietate, & differentia. Quotidianâ enim docemur experientiâ, quòd in hac Provincia naſcantur, v. g. poma aurantia, granata, olivæ &c. quæ in aliis Provinciis non creſcunt; licet ſemina eorum fructuum translata ſeminentur. Aut enim planè non fructificant, aut fructûs adeò miſeros proferunt, ut, reſpectu fructuum, in loco ſibi naturaliter competente ortorum, ne quidem umbram repræſentent.

Ineſt nimirum ſuus cuiquè terræ ordo & radix immutabilis, ab ipſo Deo, rerum omnium Architecto, in prima rerum creatione indita; vi cujus potens eſt, ſtatutos producere effectûs, tam in fructibus, quàm mineralibus, juxta tritum illud: *ſolo natura ſubeſt, nec omnis fert omnia tellus.* Hæc illa quoq; eſt natura provinciarum quarundam fertilitatis & ſterilitatis cauſa. Quòd enim aliquæ Provinciæ, Orientem verſus ſituatæ, ſint fertiliores; aliæ magis ſteriles: id nequaquam ſolius cæli clementiæ tribuendum eſt, ſed fertilibus terræ ſpiritibus, & ipſiusmet terræ pinguioris, vel ſiccioris naturæ, potiùs in hac, quàm illa Provincia vigentis, beneficio reddendum; quia copioſi & fertiles pingvioris terræ ſpiritûs, à fertili & benigno cæli ſpiritu excitati, non poſſunt non copioſum producere fructum, pro cujuslibet terræ proprietate & natura.

Fertilitatis & ſterilitatis cauſæ.

Si igi-

Si igitur quævis terrarum Provincia ſuos patitur manes; & quævis ferè particularem terræ ſpiritum & proprietatem poſſidet; quid ergo mirum, ſi etiam quamlibet Provinciam ſui manent morbi, Endemici dicti? Quid ergo mirum, Marcomanniam noſtram, & in ea ſituatam Urbem Echinopolitanam, frequentioribus Podagræ doloribus obnoxiam, calculi cruciatibus ſubjectatam, colicis, & exinde malè curatis paralyſibus frequentioribus divexatam, coxendicumque malis tantoperò affligi ſolitam? Quid ergo mirum, fertiliſſimam Marcomanniam noſtram meris ferè, ex tartaro, ſale, & nitro oriundis morbis conflictari? Terra enim hujus amantiſſimæ patriæ tam copioſo undique tartaro, ſale, & nitro abundat, ut vix locus, in Provincia, ab eorum inquinamentis immunis deprehendatur: unde copioſus quoque terræ ſpiritus hiſce infectus ſit, neceſſe eſt, qui omnium eſculentorum & potulentorum ſubſtantiam ſubintrans, à calore corporis noſtri excitatur, & potentiori agenti conjunctus, ſuas vires exerit, craſſiorem mucilaginoſioremque materiam motu ſuo incraſſando, in lapides & tophos redigendo, ſicquè calculum, podagram, colicos dolores, & reliquas nervorum impotentias inducendo. Quia hic ſpiritus terræ tartareus, ſalino-nitroſus, ipſa etiam metalla in terræ viſceribus coagulat, & figit, teſte Cardano *lib. 5. de varietate rerum*, & Paracelſ. *lib. paragran. cap. de Philoſoph.* Dioſcoride, *lib. 5. de materia medica, cap. 80.* ubi ait, *ſalem adſtringere, extenuare, repurgare &c.*

Quævis Provincia ſuos habet morbos.

Hîc mihi non absque ratione objici poſſet, quòd in mea, ad Lectorem, Præfatione, mira, eaque laudabilia de utriusque ſexûs civilis, urbem Echinopolitanam inhabitantis, annoſitate dixerim; qualiter nimirum plurimi octuageſimum & nonageſimum ætatis annum excedentes inveniantur: quod reverâ non fieret, ſi tanta eſſet Moraviæ, atque in ea ſituatæ urbis Echinopolitanæ & circumjacentis terræ malitia, ex tartaro,

Echinopolitani cur diu vivant.

ſale,

ſale, & nitro conſtans. Ad quæ reſpondeo: quòd excrementa terræ nitroſa, per potulentorum & eſculentorum aſſumptionem, corporibus communicata, utpote à primo ortu coæva, iis tanta damna non inferant, niſi aut occultam quandam complexionem, & corporis diſpoſitionem, jure hæreditario contractam, inveniant; quam excitando & adjuvando in actum redigunt; aut in magnum humorum cacochymicorum apparatum incidant, eum augeant, ſicque multorum morborum cauſæ evadant. Quia, teſtimonio Hipp. *aphoriſ. 30. ſect. 2. Conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minùs moleſta eſſe ſolent. Cibus enim, & potus*, ut ait Gal. *in ejusdem aphoriſ. comment. in corporis partibus, maximè verò ventriculo adſcititiam effecit naturam*, vi cujus naturæ, alimentum, etiam ſuperiùs enumeratis vitiis inquinatum, quodammodo familiare redditur. Sic vetulæ illi Athenienſi, cujus Galenus, *lib. 3. de ſimpl. medicam. facult.* meminit, *exiguam cicutæ portionem, ſæpius auſpicatæ, & ad magnam ſenſim progreſſæ copiam, nihil nocuit cicuta, adeò, ut verum ſit, conſuetudinem eſſe alteram naturam, ut proprium corporis temperamentum ſpectandam:* monente ſic Gal. *8. method. med.* Ad hæc, *ſal* & *nitrum*, teſtante ſic Dioſcoride, *lib. 5. cap. 85.* & Joanne Schrödero, *in Pharmacop. ſua Medico-Chymic. cap. 21.* & *23. putredini reſiſtunt, viſcera penetrant, peccantes ſuccos incidunt, & reſolvunt:* ergo ad vitæ longitudinem Echinopolitanis noſtris ſal & nitrum non parum emolumenti conferre videntur, niſi quantitate excedente peccaverint.

Natura mirabilis.

Hîc ultimò quæritur: an, & quâ methodo, exceſſivas aëris qualitates refrænare, & corrigere poſſimus? Reſpondeo: exorbitantem, æſtivo tempore, caliditatem attemperari poſſe, conclavia conſpergendo foliis roſarum, ſalicis, nenuphari, pampinorum &c. item cydoniorum, pyrorum, pomorum aurantiacorum, granatorum odore, aquæ roſarum, aceti camphorati fragrantiâ: quæ omnia aërem immoderatè calidum

Aër qualiter corrigendus.

calidum attemperant. Eodem modo ſuffumigiis, ex aromatibus compoſitis, aliisque herbis, immoderatum frigus corrigere poſſumus.

Caput VII.

De Cibo in genere.

INter res ſex non naturales, Cibus & Potus ſecundum ſibi locum vendicant: ſiquidem calor nativus, ſolidis implantatus partibus, cum humido radicali, continuo diffluxionis incommodo eſt obnoxius. Naſcentem inde alimenti penuriam reſtaurare oportet; quod congruente cibi & potus exhibitione peragitur, ſolidioris partis diſſipationem, cibo; humidioris verò ſubſtantiæ amiſſionem, potu reſtituendo; ut ita partium robur, ad longioris vitæ tutelam requiſitum, quantum poſſibile eſt, conſervetur.

Cùm igitur tanta alimenti reſtaurantis ſit neceſſitas, ut corpus, ſine hujus ſuppeditatione, ne paucorum quidem dierum curriculo, abſque notabili virium dejectione, durare poſſit, ob calorem inſitum & influentem, continuæ actioni aſſvetum, qui, indeſinenter vires ſuas exerens, in defectu alimenti, per cibum & potum ſubminiſtrandi, non modò agit in humorum nutrientium ſuperfluitates; ſed etiam vegetiorem partium ſolidarum ſubſtantiam, cum humido radicali, nunquam ex omni parte reparabili, devorat & conſumit: ideò, ut congruum tot tantisquè diſſipationis periculis ſubjecto corpori præbeatur alimentum, hoc capite, de Cibi ſubſtantia, quantitate, qualitate, modoque exhibendi, in genere, agemus; ut plurimorum dierum vitam aſſequamur, & infinitos, in Cibo & Potu, committi ſolitos exceſsûs, & errores præcaveamus.

Dico itaque, cibum eum eſſe ſaluberrimum, qui eſt boni multique ſucci, facilis digeſtionis, corruptionis & perverſæ quali- Cibus quis bonus.

qualitatis expers, tempore opportuno, ordineque debito, aſſumptus; qui nec quantitate deficit, nec excedit, quiquè, in ore ritè maſticatus, ventriculum, communem totius culinam, ingreditur. Bona enim maſticatio eſt primæ digeſtionis præparatio. Quod agnoſcens Ariſtoteles, *2. lib. de hiſtor. animal. cap.* 5. dicit: *Animalia dentes bonos habentia, longioris eſſe vitæ, illis, quæ vel nullos, vel paucos habent dentes:* idq; non aliam ob cauſam, quàm quòd bonos dentes habentia probè maſticent. Econtrà paucos, vel nullos dentes habentia, ob probæ maſticationis defectum, breviorem vivunt vitam, quia mala maſticatio eſt multarum ægritudinum occaſio, ob impurius humidum, quod ex ea ſequitur. Ventriculus enim, præſertim languidus, cibos aut integrè deglutitos, aut minùs bellè maſticatos, vel planè non comminuit, aut non, niſi cum ſumma difficultate, in chylum redigit: unde calor nativus agendo repatitur, & atteritur, prævalentibus paulatim cruditatibus. Primæ enim coctiones errores non emendantur in ſecunda coctione; minùs adhuc in tertia: unde corpora morboſa fiunt, ob neglectam maſticationem: dum, viciſſim, optimè coquunt, qui cibos bene mandunt.

Bona maſticatio.

Primò autem, in omni refectione, conſideranda occurrit ciborum ſubſtantia, utrum nimirum ſint evchymi, id eſt, boni ſucci, præſtantis ſaporis: utrum evpeptici, id eſt, facilis concoctionis: an verò putredini obnoxii, & excrementorum copiâ redundantes? Temperati enim temperatum generantes ſangvinem, cuique ætati & ſexui conducunt, maximè temperato. Ut autem pauci homines temperati ſunt; ſic etiam pauciſſima alimenta temperata inveniuntur. Hinc ventriculum calidiorem habentibus craſſiores pauloque durioris concoctionis cibi magis conferunt, quàm leviores: quia hos corrumpit: illos verò coquit, & in laudabilem ſuccum redigit. Hac de cauſa Rhaſes, *ad Manſorem, cap. 9. lib. 3.* jubet *craſſiora*

Ciborum ſubſtantia conſideranda.

Pauci cibi ſunt temperati.

craſſiora & indiſſolubiliora alimenta multum laborantibus exhibere: tenuiora verò, & ſubtiliora delicatioribus corporibus, vitam otioſam & mollem degentibus. Quod confirmans Avicenna, dicit: *Exercitati, duriquè caloris homines, magis tolerant craſſa alimenta; eò quòd multum laborantes calorem habeant vegetum & exercitatum; ideoq́; oppilationibus non ſunt obnoxii.* Hinc multo, viſcoſo, & indiſſolubili alimento opus habent, quod partibus, per laborem durioribus effectis, applicari debet. Etenim cibi teneriores facilè ab his corporibus abſumuntur, carnes molles generando, *& majore nidore poteſtates vitales ſuffumigando:* ut loquitur Helmontius, *ultim. de arcan. Paracelſ.* Non enim putandum eſt, quòd, uti victus evchymus, debitâ quantitate convaleſcentibus datus, robur amiſſum reddit, etiam robuſtiores eodem cibo alantur, & ad ſummam virtutem deducantur: quia, eſto, ſangvinis copia generetur; non tamen talis eſt ſangvis, qualis à partibus ſolidis robuſtis requiritur. Secundò unà cum ſangvine copioſo copioſa generantur excrementa, vaſa æquo magis replentia & diſtendentia, quæ, per motum localem, unà cum ſangvine agitata, incaleſcunt, putreſcunt, & morbos calidos pariunt. Unde tales cuique cibi, in refectione corporis, eligendi, qui cuique conſtitutioni vitæq́ue generi correſpondeant; & à longo tempore, imò ab ineunte ætate, fuerunt in conſvetudine: quia tanta vis & poteſtas ineſt conſvetudini, ut *conſveta longo tempore, etiamſi deteriora ſint inſvetis, minùs tamen moleſtare ſoleant*, ut inquit Hipp. *aphoriſ. 50. ſect. 2.* Hacquè de cauſa *pejoris notæ cibus & potus, ex longa conſvetudine naturæ familiaris, optimæ ſubſtantiæ cibi & potus eſt præferendus*, jubente Hipp. *aphoriſ. 38. ſect. 2.* Atque hoc non modò de bene valentibus, ſed etiam infirmis & convaleſcentibus, intelligendum eſt: *à ſtomacho enim, quamvis ratione carente, docemur, quem potum ſitiat, & quem cibum eſuriat.* Nam, aſſerente Hipp. *lib. de vict. rat. quem avidiùs & voluptuo-*

Diverſi homines diverſa alimenta.

Cibi conſveti proſunt.

ſius ſuſcipit, eum arctiùs complectitur, firmiùs retinet, meliùs coquit, & in laudabiliorem chylum redigit. Ingratus verò, & coactè aſſumptus cibus ventriculo nauſeam, & inflationem generat: eamque ob cauſam à ventriculo nauſeante aut indigeſtus relinquitur, aut non eo, quo deberet, modo coquitur. Quò major enim cibum nutrientem inter, & partium nutriendarum naturam, cognatio & familiaritas intercedit, eò facilior & ſvavior aſſumpti cibi & potûs amplexatio, concoctio, partiumque nutritio ſubſequitur. Ideo ab Hipp. *lib de veter. Medicin.* aliqui Medicorum non immeritò caſtigabantur, qui cibum & potum, ab ægris quandoque ſummè deſideratum, aut planè denegabant, aut, iisdem, cum appetitu aſſumptis, omnia, quæ alia etiam ex cauſa ſuperveniebant, ſymptomata adſcribebant: neſcientes, *quantum conſvetudini* (ex doctrina Hipp. *lib. de ſalubr. vict. rat.* & *lib. de vict. rat. in acut.*) *ſit concedendum*, quæ à Galeno, *lib. 3. de ſimpl. medicam. facult. cap. 18. altera, & quaſi adventitia natura dicitur; quæ ſagax beneq; docta eſt.* Hinc Prognoſticis ferendis, & Curationibus ritè inſtituendis, valdè utilis eſt conſvetudinis obſervatio: quia ad competentis auxilii inventionem plurimum facit, teſtante ſic Gal. *lib. 9.* & *11. method. med.* ubi ait: *Ex ætate etiam, vita ſtudiis, & conſvetudine, remediorum indicationes ſumuntur, competens victûs ratio monſtratur;* ut innuit Gal. *7. meth. med.* ubi, *convaleſcentem ad eos cibos reduci, jubet, quibus ſanus aſſveverat:* quia aſſvetorum oblatione natura gaudet, & quaſi reviviſcit. *Nutrimur enim naturæ familiaribus; illi verò adverſantibus, in contrarium dedũcimur;* teſtante Gal. *lib. de evchymia & cacochymia.*

Conſvetudo altera natura ſemper obſervanda.

Hinc conſvetudinis, etiamſi deterioris, ad inſveta mutatio, aut planè non eſt tentanda, aut ita inſtituenda, ne minima naturæ moleſtia fiat: *ſubita enim, in contrarium, facta mutatio corpus diſſolvit, actiones impedit, capitis gravitatem,* aliarumquè affectionum myriades parit; ut aſſerit Hipp. *de rat. vict. in acut.*

Hac

Hac etiam de cauſa, uni tantùm refectioni per diem aſſvetum, ad ſecundam non oportet adigere: quia, *ſi pranſi v.g. fuerint, quibus prandere non conducit, ii ſtatim graves & corpore ſegnes ſiunt; itemq́ mente pigri, hiatuq́, ac oſcitatione, & ſiti pleni. Si verò cœnaverint, cœnare non aſſveti, & flatûs & tormina oriuntur, alvus laxatur; adeoq́ multis magni morbi principium hoc fuit, ſi cibos, quos ſemel ſumere conſveverant, bis aſſumpſerint. Econtra, ſi ii, quibus prandere conducebat, non fuerint pranſi; quamprimum tempus præterierit, corripit illos impotentia vehemens, tremor animi, deliquia, præterea oculi pallidiores, os amarum, vertigo, iracundia, viſcera iis pendere videntur*, ut loquitur Hipp. *lib. de veteri med.* Quin imò, in hiſce mutationibus, ſæpe errantes mortem ipſam præmaturè accelerârunt, ut tradit Gal. *lib. de conſvetudine*, ubi, ob neglectam à Medicis Arii Peripatetici, aquam non bibentis, conſvetudinem, Arium emori fecerunt; quia, ardente febri correptum, ad aquæ potum coëgerunt; quo facto, mox vitâ defunctus eſt. Quare in exhibitione cibi & potûs diligentem conſvetudinis rationem obſervari, &, ad contrariorum uſum non, niſi ſummâ urgente neceſſitate, transgredi velim, ne mutatio plus noceat, quàm commodet.

Secundò cibi quantitas ſpectanda venit, quæ tanta ſit, oportet, ut vitæ principia, calor nimirum innatus, & humidum radicale, ab eâ non graventur, aut, propter alimenti multitudinem, opprimantur, aut ejusdem penuriâ contabeſcant. Tanta igitur exhibeatur alimenti copia, quantâ, pro cujusq; corporis refectione, opus fuerit; quæque ritè à ventriculo ſuſcipi, bene conſtringi, &, ſine caloris ſtrage, in laudabilem ſuccum redigi poſſit: quia taliter virium robur ſervatur, &, per ſangvinis probioris, ſpirituumque vitalium generationem inſtauratur, & augetur: quod, modum ſervando, contingit. Hinc ita bibendum eſt, ut ſitiamus; comedendum, ut

Cibi quantitas.

ut eſuriamus. Quod idem jubet Spiritus ſanctus, *Eccleſiaſtici cap. 37. verſ. 32.* ubi inquit: *noli eſſe avidus in omni epulatione; & non te effundas ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram: propter choleram multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Ubi verò contrarium accidit, vel nimiam alimenti copiam ingerendo, ibi corpus, ob gravatum ſtomachi calorem, debilitatur: vel nimis parcam cibi quantitatem exhibendo, etiam in marcorem partes corporis abeunt. Quare, cùm dupliciter alimentum peccet: de iis ſeorſim agemus.

Cibi copia nocet.

Cibi igitur, etiamſi ex natura ſua ſint optimi, plurimumque corporibus nutrimenti adferant; ſi tamen juſtæ quantitatis menſuram excedunt, & æquo copioſiùs aſſumuntur, vires opprimunt, non benè digeruntur, ſucci crudi & indigeſti naſcuntur, & colliguntur: qualis eſt ille humor (ut inquit Gal. *lib. 1. de aliment. cap. de tritico*) qui in urinis ſubſidet, puri quandoque non diſſimilis. Hi, præter modum intemperantiâ aucti, morbos plenitudinis, putredines, aliosque plurimos exinde ſubſequentes affectûs pariunt, ita, ut revera, ſubintrante guloſâ voluptate, facilè deſinat eſſe vita. Hinc Hipp. *aphoriſ. 17. ſect. 2.* docet, *à cibis copioſiùs, quàm natura ſit ferendo, ingeſtis, morbos generari; ſiquidem omne nimium eſt naturæ inimicum*: eodem docente Hipp. *aphoriſ. 51. ſect. 2.* Eapropter etiam, *aphoriſm. 3. ſect. 1.* aſſerit, *omnem repletionem gravem periculoſam eſſe*: quia ſcilicet calor digeſtioni præfixus, à nimia ingeſtorum ciborum multitudine aut obruitur, aut ſuffocatur, aut lentè contabeſcit. Confirmat idem Gal. *lib. 1. de venæ ſect. adverſ. Eraſiſtr.* ubi inquit: *In quacunque cibi menſura erratum fuerit, graviſſima ſemper incommoda producuntur; ut in hominibus extenuatis, & imbecillibus conſtat: in quibus, ſi quid minùs, quàm par ſit, nutriant, virtutem tabidam reddet: ſi verò modum exuperet, naturæ potiùs oneri, quàm nutrimento erit, illamque penitus extinguet,*

& ſuf-

& ſuffocabit. Quemadmodum verò non plus cibi ingerendum, quàm natura ſit ferendo; ſic quoque *tenuior ciborum copia, paulò pleniore cibi exhibitione, eſt periculoſior*: dicente ſic Hipp. *aphoriſ. 5. ſect. 1.* quia præparca cibi penuria, ſeu inedia, bonos in corpore humores abſumit, depravat, exſiccat, &, ut Gal. *lib. 1. de venæ ſect. adverſ. Eraſiſtr.* loquitur, *ex inedia virtus defatigatur, ſucci bilioſiores, & amarulentiores efficiuntur, frequentes cordis morſûs, & inquietudines oriuntur.* Quod confirmatur ab eodem Gal. *lib. 2. adverſ. Eraſiſtr.* aſſerente: *ab inediis abſtineamus, quia ægrotos ingenti moleſtiâ ſolent afficere, & vigilias & inquietudines, afflictionesq́; in ſuperiore ſtomachi orificio, atq́; humorum corruptionem inferre, ac omnia demum excrementa mordaciora reddere.* Hæc deinde ad ventriculum migrant, quem perturbando & affligendo, cerebrum quoque in conſenſum trahunt, per nervos, ſuperiori ventriculi orificio inſertos, lipothymiasque & epilepſias non raro excitant, ſpiritûs inflammant, morbos plurimos calidos pariunt. Hinc quemlibet diuturnioris vitæ cupidum monitum velim, ut omne nimium, quia naturæ inimicum, vitet, & temperantiam, bonæ longæque vitæ comitem, amplectatur: cujus merces eſt inconcuſſum corporis robur, & ſanitas diuturna. Inediæ nocumenta.

Tertiò plurimum ad diuturniorem vitam faciens ciborum qualitas advertenda venit, circa quam diligenter, & induſtriè enitendum, ut ſuus cuique ætati, & complexioni familiaris & competens cibus præbeatur. Sic Galan. *lib. 1. de tuend. ſanit.* infantes primò lacte alendos; erumpentibus verò jam dentibus, paulò ſolidiori cibo aſſvefaciendos docet. Quo modo, & ordine ita aſcendendum, creſcentibus annis, ut, quò magis ſenuerint, eò ſolidiora alimenta præbeantur corpori; pro ætate & complexione competentia. Eodem quoque modo mediæ ætatis homines cibandi, tali ciborum genere eos reficiendo, qualis ætati, & naturæ proprietati, cor- Qualitas cibi.

correſpondeat. Sic calidi, refrigerante; frigidi, calefaciente; humidi, ſiccante; ſicci, humectante victûs ratione ſunt tractandi, &, ſi à ſtatu naturali aberrare contigerit, ad naturalem reducendi.

Senes cautè cibandi.

Senes verò, qui, ob fractum virium robur, debilemque corporis conſtitutionem, levi momento, aut occaſione, in morbos incidunt, ſimili prorſus ratione ſunt reficiendi, quo ex morbo convaleſcentes reficiuntur; optimo nimirum alimento; & quidem ſæpius. Tutius enim eſt, debili ſeni modicum, eumque bonum dare cibum, cum terna vel quaterna repetitione, ſi opus fuerit; quàm eum unâ vice, cum virium adhuc ſuperfluarum attritione & jactura, infarcire, aut durioris ſubſtantiæ, & qualitatis cibis onerare, quos, ob virtutis debilitatem, digerere ampliùs non valet. Sint itaque Senum cibi calidi & humidi, ut partes eorum ſolidæ, ob caloris defectum, frigidæ, & quaſi aridæ incaleſcant, & ſvaviter humectentur: ſint recentes & bis cocti, eò quòd magis ſint ſubſtantifici. Ideo Hipp. *lib. 2. de Diat.* ait: *Alimenta recentiora majores, quàm alia inveterata, habent vires, eò quòd vitæ ſint propinquiora; antiqua è contra, & marcida magis, quàm recentia, alvum movent, quia putredini ſunt propinquiora.* Sint bene cocta & parata, ut digeſtio, arte acquiſita, debili ſenum calori laborem non faciat. De quo diligenter monendi ii, qui ciborum præparationi præſunt, ne carnes ſemiputres, & cibos obiter coctos, bonis ſenibus obtrudant: quod ſi faciunt, iis ad dierum decurtationem concurrunt. Hinc Senes obediant Gal. *lib. 5. de ſanit tuenda* dicenti: *Senibus cavendum eſt ab alimentis durioris concoctionis, cujuscunque demum nominis & naturæ:* quia vegetum, ad ſui digeſtionem, calorem requirunt; qui ſenibus deeſt. Cibum quoque, exceſſivas, & peregrinas, naturæque contrariantes qualitates habentem, quivis cane & angue pejùs fugiat: quia cibus calidior humores calefacit, ſpiritûs inflammat,

Quales ſenum cibi eſſe debeant.

flammat, morbos gignit calidos. Sic frigidior cibus frigidos humores generat, indigeſtiones, obſtructiones, pallidum colorem, arthritidem, ſimilesque membrorum impotentias inducit. Eodem quoque modo, ſiccior & humidior cibus ſibi congeneres morbos parit: ut de aëre humido & ſicco ſat fuſè dictum eſt.

Verùm enim verò, cùm tot humanarum complexionum differentiæ, & contrarietates occurrant, tam parum poſſibile eſt, ut Medicus unam omnibus complexionibus convenientem vitæ regulam præſcribat, quàm parum poſſibile eſt ſutori, unam omnium hominum pedibus accommodatam crepidam conficere. Quia videmus, cibos hos nonnunquam tali qualitate præditos, huic naturæ conducere; illos, aliâ qualitate donatos, iſti complexioni prodeſſe; ob latentem, non rarò, nobisque incognitam virtutem; quos aliàs, ob manifeſtas qualitates, ſummo naturæ detrimento futuros putabamus. *Hæc natura occulta eſt, quam transformare non licet*: ut inquit Hipp. *lib. 1. de diæta.*

Exquiſita in cibis regula præſcribi non poteſt.

Hîc quæritur: Utrum majus peccatum committatur in cibi quatitate; an verò in qualitate? Cui quæſtioni reſpondeo ex Cratonis *Epiſt. 210.* & *248. Plus peccari in quanto, quàm in quali: quia cibus, etiam paulò deterior, minusq́ ſaluber, &, ob hoc, morborum productioni accommodatus, in moderata quantitate, cum delectatione, & aviditate aſſumptus, minus detrimenti corporibus adfert, quàm ille, qui, ex natura ſua quidem ſaluberrimus, ſed appetitui naturali contrarius eſt.* Hinc verum illud, imò veriſſimum eſt, quod communi fertur adagio: *Quod ſapit, hoc nutrit*: quia cibi, à vetriculo cum ſvavitate aſſumpti, promptiùs ab eodem excipiuntur, & expeditiùs concoquuntur; cùm, ê contrario, cibos, ſtomacho nauſeam excitantes, ille, ut ingratos hoſpites, averſetur.

An quantitas, vel qualitas, plus noceat.

Quod ſapit, hoc nutrit.

Quare ſani & incolumes cibis, ſtomacho præ reliquis arridentibus & appetitis, cum moderamine, tutò veſci poſſunt, non immemores aureæ illius, apud Cratonem, Regulæ: *Ne quid nimis.* Non eſt in tantum curandum, quid: ſed quantum, edatur, juxta illud Lucretii:

Nec reffert quidquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo, quod capias, concoctum dicere poſſis
Artubus, & ſtomachi humectum ſervare tenorem.

Quilibet enim exceſſus, in quacunque re, pernicioſus eſt. Modum ſervâſſe, juvat; quod teſtatur Sanctus Bernardus, *Sermon. 63.* dicens: *Omnia mediocria ſunt utilia, & in ſuo modo perfecta. Quæ cum temperantiâ fiunt, ſalubria ſunt: bona autem, immoderato uſu, noxia fiunt. Omnis enim nimietas in vitio deputatur.*

Exceſſus omnis malus

Ordo in cibis ſervandus.

Quartò: uti in alio omni rerum genere bonus ordo ſervatus prodeſt, ſic etiam in cibi & potûs adminiſtratione, ad productiora vitæ tempora conſequenda, ordo neceſſariò eſt intertenendus; ita, ut cibi humidi, liquidi, molles, concoctuque faciliores, ſolidis, duris craſſis, lentis, viſcoſis, digeſtuque difficilioribus, præmittantur; juxta vulgare illud & notum Scholæ Salernitanæ:

Ut vites pœnam, de potibus incipe cœnam:
Præmittas calidum gelidis, & mollia duris.

Licet enim cibi naturâ ſuâ ſint optimi, &, ex longa conſvetudine, naturæ gratiſſimi ac ſvaviſſimi; præpoſtero tamen utendi ordine ſtomacho laborem facere poſſunt: quando nimirum duri, ante molles aſſumpti, tardiùs; molles verò citiùs coquuntur: imò, ante duriorum concoctionem, non raro corrumpuntur: unde ructûs nidoroſi, eructationes acidæ, cerebri, ob vaporum, ex corrupti cibi portione elevatorum, aſcenſu, turbatio, vertigo, aliaq; incommoda non raro oriuntur.

Hîc quis objicere poſſet: quòd multi exactiſſimâ victûs ratione utantur, obſervantes obſervanda; & tamen continuis

nuis malorum inſultibus miſerè crucientur. Ad hoc reſpondeo, ex Gal. *lib.2.de aliment. cap. de Cucumere:* quòd multorum ventriculi biliofis & perverſis nonnunquam humoribus abundant, qui alimentum, naturâ ſuâ etiam præſtantiſſimum, in tales naturæ ſuccos abire faciunt, quales illi ſunt, qui in ventriculo, & viſceribus redundant, concurrente præſertim viſcerum antipraxiâ. Hiſce motivis inductus Hipp. *aphoriſ.10.ſect.2.* dixit: *Impura corpora quò magis nutries, eò magis lædes.* Quod aliqui, non raro, Medici, Themiſonis Collegæ, cum magno infirmorum detrimento, ignorant, dum, neglectâ viſcerum antipraxiâ, redundantem humorum cloacam continuis catharticorum propinationibus tollere, naturamque langvidam dulcium electuariorum confortantium uſu reſtaurare conantur; cum tali rerum ſucceſſu, ut, tentatis ſufficienter, ut malè putant, Artis præſidiis, illico Patientes ad membrorum impotentias, paralyſes, phthiſes, contabeſcentias, & alias ejusmodi furfuris fatales afflictiones adigant: primò, quia omne medicamentum dulce, confortans, ex natura ſua, eſt analogum alimento dulci; ſed omne alimentum dulce, homini bilioſo datum, facilè tranſit in bilem; ergo omne medicamentum dulce, datum corpori, bilioſo ſucco redundanti, facilè cum eo commutatur: quia hoc medicamentum plerunque conficitur ex fructibus, eorum ſuccis, & medicamentis durioribus, pulveriſatis cum melle, ſaccharo, aut alio conveniente liquore mellagineo penitius mixtis *Sed mel, ſaccharum, & alii liquores mellaginei, ob partium ſuarum tenuitatem, in corporibus calidis, promptè in bilem convertuntur:* docente ſic Gal. *lib.3. de aliment. cap. de melle*: ergo bilioſis ſuccis abundanti corpori dulcia non ſunt danda. Secundò: viſcerum antipraxia *alvum ſubducentibus promovetur*, teſte Hipp. *lib. de locis in homine:* quia calefaciunt & debilitant. Tertiò: viſcerum antipraxia nullâ medicamenti violentiâ emendari poteſt, teſtante Hipp. *lib. de lege*, ubi

Cur multi temperati ſint valetudinarii.

Multi dulcibus læduntur.

ubi dicit: *Naturâ, omnium morborum medicatrice, repugnante, irrita ſunt omnia.* Cùm igitur antipraxia viſcerum ſit ipſa viſcerum temperies, in adverſam mutata: ſeu potiùs natura, à ſtatu ſibi competente aberrans; lento & moderato regimine eſt reducenda: quia omne violentum eſt Naturæ contrarium: quæ, teſte Gal. *in art. medicinal. cap. 86. non patitur eas, quæ ſubitò fiunt, mutationes, ſed ordinatè procedit:* ut inquit Montanus, *in Explanatione.* Hinc *multum, & repentè evacuare*, Hipp. *aphoriſ. 51. ſect. 2. incertum, & naturæ inimicum habendum* eſſe, docet.

Multa evacuatio nocet.

Hîc notandum, quòd, licet communiter dicatur, ab Hippocrate, Galeno, & tota Medicorum Schola: dulcia corporibus non modò eſſe grata, ſed etiam multum, & copioſum nutrimentum præbere; id non eſſe intelligendum de quacunque cibi dulcedine. Nam alius cibus actu dulcis eſt: ut mel, guſtui; alius potentiâ, ut, qui, corpori exhibitus, gratum & amicum officium præſtat. Sic aqua, quoad guſtum inſipida, homini ſitienti grata eſt, & dulcis; quia moleſtam oris ariditatem tollit, & corporis ardorem reſtinguit. Hinc Hipp. *lib. de aliment.* inquit: *Dulce, non dulce; dulce facultate, velut aqua; dulce guſtu, velut mel.* Sic Cichorium, ex facultate, & naturâ ſuâ, amarum, multis dulce eſt, vi ſvavitatis, quam comedentium ſtomachis adfert, ob naturæ idioſyncraſiam, quæ cichorii amarorem in tantum appetit, ut dulcem putet.

Cibandi tempus obſervari debet.

Quintò: cibandi tempus obſervandum eſt, ad vitam longam; ut nimirum corpora tali reficiantur tempore, ne refectio refectionem turbet. Id eſt, nunquam novus aſſumatur cibus, niſi, priori menſâ aſſumptus, ſit concoctus, & ſtomachus vacuatus; ita, ut cibus, famem; potus, ſitim expectet; juxta illud Scholæ Salernitanæ, *cap. 6.*

Tu nunquam comedas, ſtomachum ni noveris antè
Purgatum, vacuumq́, cibo, quem ſumpſerit ipſe:
Ex deſiderio id poteris cognoſcere certò.

Nihil

Nihil enim eſt corpori humano pernicioſius, quàm nova ciborum ingeſtio, ante priùs aſſumptorum concoctionem facta; quia novorum ciborum aſſumptione priorum digeſtio turbatur & impeditur, humorum cruditas generatur, cruditatem putredo ſequitur, ex putredine diverſi, iiquè graviſſimi, naſcuntur morbi. Idque non aliam ob cauſam, ut inquit Hipp. *lib. de veter. med. quàm quòd non expectatur juſtum tempus, donec venter ingeſtos cibos perfectè conſumpſerit & evicerit, & evacuatus fuerit, & quieverit; ſed in ferventem adhuc & fermentatum novos ingeſſerit.* Hinc *naturas paulò debiliores,* idem Hipp. *eodem loco, graviùs* dicit *affici, ſi juſtum edendi tempus non obſervetur.* Juſtum autem edendi tempus ſtatuitur undecima diei hora antemeridiana: & ſeptima, illam ſubſequens, cœnæ hora: quia, intra ſex horarum decurſum, coctionem plerumque perfici, ab omnibus fere Medicis docetur. Secundò: experientiâ docemur, quòd ſex circiter, poſt ſumptum prandium, elapſis horis, pleraque pars hominum fame & ſiti, comedendi & bibendi deſiderio, proritari incipiat.

Unde cruditas oriatur.

Concoctio quot horis perficiatur.

Eodem prorſus modo, ad longioris vitæ conſervationem, annuæ mundi converſioni, ætatiquè hominum attendendum eſt; ut, juxta temporis annui, & ætatis mutationem, cibus & potus quoque mutetur. Ut, ſi ferveat, æſtivo tempore, aër, reficientium ciborum, potuſque humor calorem ſuperet: ſi hyberno tempore frigeat, calor frigus attemperet; ita tamen, ut qualitatis corrigentis exceſſus ſit moderatus, habeatque humor quidglutinoſi, & quaſi ſtiptici; quò membris irrigatus diutius fixiusque hæreat, ſicque fortiùs caloris agentis actionem obduret.

Anni mutationes obſervandæ ſunt.

Ubi verò ætas, complexio, locus, tempus calidum ſiccumque illabitur, oportet quoque paulatim ad oppoſita declinare: at ubi frigidum & humidum prævaluerit, tali quoque iis obviandum erit diæta, ut exuperantis qualitatis domi-

nium in tantum refrenetur, ne vitæ diuturnitati præjudicare, & incommodare poſſit.

Denique, circa cibum, omnibus & ſingulis, diuturnioris vitæ ſtudioſis, ſummâ diligentiâ obſervandum eſt, ut quæcuncunquè animalia, tam volatilia, quàm quadrupedia, corporibus alendis deſtinata, ſint bonis, & electis altiorum & odoriferorum pratorum, ac ſalubrium locorum alimentis enutrita, antequam eorum carnibus veſcantur, & nutriantur. Sint nimirum omnia animantia, herbæ, fructûs, fruges, vina, & quæcunque in nutrimentum cedunt, ex altis & ſalubribus regionibus allata, quas venti temperati ſerenant, blandi Solis radii fovent; quæ nullis aquarum ſtagnantium, & fœtidis cloacarum evaporationibus inquinantur, culta fimetis non putreſcunt, ſed humore nativo, benigno & puro diu à teredine & putredine aſſervantur. Ubi enim, quæ creſcunt, diu à corruptione præſervantur, ibi terrarum fundis bonitas ineſt; quia, docente ſic Hipp. *lib. de genitura: fructûs, & omnia naſcentia fere locum ſequuntur ſui ortûs*, id eſt, naturam provinciæ ſui productivæ. In tali igitur regione, talique loco, habitandum eſt, ibidemq; naſcentibus veſcendum. Nam non video, qualiter quis ſperare poſſit, ex alimentis facilè putreſcentibus humores ad nutritionem neceſſarios ſe comparaturum, durantes videlicet & à putrefactione remotos. Quò enim aliquid ſuccis ad putredinem inclinantibus magis eſt imprægnatum, eò faciliùs putreſcit. Hinc multi cibi, in locis paludinoſis & æquo humidioribus nati, putridis, craſſis & crudis ſuccis redundantes, ſecundùm aliquam ſaltem ſui portionem, in id reſolvuntur, ex quo conſtant, ob nativam, & ex terra contractam conſtitutionem alimentorum. Qui ſucci mali, unà cum alimento bono, corporis viſcera ſubeuntes, id ipſum aliquando non modo inficiunt, ſed etiam unà ſecum non rarò putreſcere faciunt;

Cibi optimi quales ſint.

con-

conſentiente quàm maximè viſcerum antipraxiâ: ſicq; morbos pariunt, & mortes præmaturas.

Hiſce igitur rationibus perſvaſi, non arbitremur, diuturnam nos, illis in locis, victuros vitam, in quibus terræ fructûs à corruptione diu præſervari non poſſunt: quia fructûs, in ſimilibus locis noxiis nati, eorum quoque vitiis ſunt coinquinati, qui, per eſum, corporibus communicati, illa eodem modo putrefactioni obnoxia faciunt, quemadmodum ipſi fructûs in corruptionem proclives fuerunt. Hinc quoque pani, tanquam nobiliſſimo reliquorum ciborum fundamento, attendendum eſt, ut ex frumento, ſalubri loco genito, paretur. Quò enim triticum, ſiligo, hordeum, & aliud quodcunque frumentum, panibus pinſendis idoneum, meliori loco crevit, eò ſaniori flore, in nutrimentum cedente, eſt dotatum. Putredo facilis quid doceat.

Quærenti: quis ſit optimus panis? Repondet Gal. *lib. 1. de aliment. facult. cap. de tritico*: *quòd panis ſiligineus puriſſimus*, id eſt, ex flore ſiliginis paratus, *benè fermentatus, probeq́; ſubactus, & in clibano, moderato igne, coctus, ſit optimus*: eò, quòd nec nimis levis, plurimum alimenti præſtet, & concoctu ſit facillimus. Cui ſubſcribit Hipp. *lib. 2. de diæta*, inquiens, *tragum, ſeu olyram*, id eſt, ſiliginem, *eſſe tritico leviorem*, &, per conſequens, panem ex eâ factum, concoctu faciliorem pane triticeo: cui, dubio procul, hanc ob cauſam, *loco jam citato*, Gal. inter panes, ſecundum locum tribuit, quia ſtatuit, triticum quidem multi eſſe ſucci, ſed viſcoſi; quod patet in comeſtione panis triticei, viſcoſiùs dentibus adhæreſcentis. Utrum verò olyra à noſtra ſiligine quid diſtinctum fuerit Antiquis, à Matthiolo, *lib. 2. cap. 84.* inquiritur, diſputatur, & controvertitur. Optimus panis ſiligineus. Triticum viſcoſi ſucci.

Ego mihi vix perſvaſero, ad uſûs humanos tam utilis & neceſſarii, támque præſtantis & æſtimati fructûs progeniem & ſemen, per rerum viciſſitudines, adeò deleri potuiſſe, ut ne ejus reliquiæ quidem apparerent. Eſto enim, omnes Italiæ

liæ partes, hoſtilibus bellorum tumultibus adeò fuiſſe devaſtatas, ut agricultura ſusque deque jacuerit; in aliis tamen, altâ pace gaudentibus regionibus, ſeminata fuerit olyra, ex quibus, ut reliqua frumentorum grana, in exhauſtam Italiam revehi potuiſſet. Quare ſiliginem noſtram, quæ per univerſam Europam, imò (ut arbitror) per totum mundum, panibus pinſendis adhiberi ſolet, eandem cum Veterum olyra eſſe, non dubito.

Panis qualis cuilibet conducat.

Ad quæſtionem verò, de Panis electione factam, reſpondeo, eum cuique panem eſſe optimum, cui quisque, ab ineuntibus annis, & tractu temporis, aſſvevit; quique ſingulari idioſyncraſiæ beneficio appetitur: quia ille facilè digeritur, facilè diſtribuitur, & plurimum ad totius conſervationem confert.

Ciborum correctio vitia tollit.

Hîc notandum eſt, quòd locorum minùs ſalubrium incolæ pernicioſas alimentorum, iſthic natorum, qualitates, partim diligenti & artificiali coctione, partim competente aromatum conditurâ, corrigere & emendare poſſint. Teſtatur enim Hipp. *lib. 2. de diæta*, quòd ſingulis alimentis vires detrahere, & addere, ſit poſſibile; *quia ex igne & aqua omnia alia conſtituuntur, & è terra naſcentia, & ex his augeſcunt, & in hæc ſecernuntur, & reſolvuntur. Fortium igitur eduliorum vim ſæpe coquendo ac frigefaciendo detrahere oportet: &, vice verſâ, augere, hoc modo, humidorum humiditatem torrendo, ac aſſando, auferre; ſiccorum verò ſiccitatem rorando, humectando, & madefaciendo addere &c. tale, de reliquis exuperantibus qualitatibus, judicium formare oportet.* Si verò coctio, ob radicatas eduliorum cruditates, non ſuffecerit, aromata, quæ, calore ſuo, non tantùm in artificiali coctione excedentes alimentorum qualitates crudas auferunt, verùm etiam in ventriculi digeſtione ſuppetias ferunt, adhibenda erunt, quæ latentem aut impeditam ſtomachi virtutem excitent, & inſtaurent. Id teſtatur Dioſcorides,

lib.

lib. 2. ſimpl. medicam. cap. 148. inquiens : *Piper concoctionem adjuvat, pectoris vitiis, ex frigiditate ortis, medetur, capitis pituitoſitates per os purgat, ſomnum & appetitum cibi conciliat,* & ſexcentas alias utilitates, moderatè aſſumptum, corpori adfert, quas omnes enarrare, nimium foret longum. Unde mirabiles, doctiſſimorum quorundam Virorum, procedendi modos mirari non ceſſo, quòd noſtrarum regionum, verſus Septenptrionem vergentium, ideoque frigidorum, inquilinis omnem, ſine diſcrimine, piperis uſum, quaſi cane & angue pejorem, diſſvadere conantur; eò, quòd putant, vitam piperis eſu, quaſi laqueo jamjam collo imminente, ſubripiendam: cùm tamen ipſe Galenus, celeberrimus quondam Romæ, & in aliis calidiſſimis regionibus, Medicus, *lib. 4. de tuenda ſanit.* piperis uſum iis ſvadeat, *quorum præcordia ſuccis crudis & pituitoſis ſunt refecta, & inflata; quia aliquid piperis longi, aut nigri, præſertim verò albi, cum cibo datum, ventriculum roborare,* docet. Secundò: licet liberaliori nonnunquam manu piper detur, non nocet magnopere ſanis, quia *exceſſiva piperis caliditas circa primas venas extinguitur, neque in totum corpus perfertur,* ut inquit Gal. *loco jam citato, aut ſaltem ex integro, & conſtantibus viribus.* Tertiò: teſtante ſic Dioſcoride, *cap. & lib. ſuperiùs citato,* quotidianâque experientiâ, *piper, groſſiuſculè contuſum, tantum caloris effectum non edit, quantum minutiſſimè pulveriſatum.* Quin imò, novi Illuſtriſſimum quendam Baronem, diverſis, in Aula Cæſaris Auguſti, officiis fungentem, vitæ, & belliſſimæ ſanitatis, etiamnum ſuperſtitem, qui urgentes quandoque, in dorſo, flatûs, aliis artis præſidiis pellere nequit, quàm tribus vel quatuor piperis nigri granis, in quatuor partes diſſectis, & in ovo ſorbili ſumptis. Hinc velim, ut quilibet, pro naturæ ſuæ exigentia, & corporis diſpoſitione, in hiſce præſertim regionibus, ſuccorum frigidorum copiam parientibus, cum moderamine tamen, absque omni anxietate, pipere utatur.

Piper coctioni ſervit.

Piper aliquando multum prodeſt.

Piper quibus confe-rat.

tur. Nec eſt, quòd vitæ abbreviationem, per piperis uſum, timeamus; maximè verò, qui frigidioris ſunt complexionis, & declinantis jam ætatis, aut modicæ exercitationis. Hiſce enim piper, moderatè cum cibis aſſumptum, multos, imò plurimos addet dies, langventem corporis calorem excitando, exhilarando, augendo, &, in digeſtionibus perficiendis, adjuvando.

Abſolutâ cibi disquiſitione genericâ, tandem quæritur, cùm detur certum quoddam criticorum hominum genus, qui, particulari phantaſmate imprægnati, ab omni ciborum, etiam ad guſtum alioquin paratorum, genere, humanis attacto manibus, non modò abhorrent, ſed etiam mirâ convitiandi dexteritate ejusmodi cibos averſantur: quâ arte cibi poſſint, & debeant, parari, ut phantaſtico eorum ſtomacho placeant, & quo remedio à nauſeabunda hac maledicentia ſint liberandi. Reſpondeo: cùm hic affectus ſit ita rarus, ut è centenis millibus vix unicus ſanæ mentis homo eo laboret: ſic etiam huic affectioni tollendæ nullam adhuc, à Medicis, præſcriptam methodum inveni; nihilo tamen minùs, cùm omnis affectus ſit tollendus, congruentius, me judice, vix medium invenietur, quàm ſi agreſte hoc hominum genus, pro humani appetitûs excitatione, & ſanioris mentis recollectione, ad Phrygiæ & Lycaoniæ campeſtria, per tempus, dimitteretur: quorum fit mentio apud Varronem, *lib. 2. de re ruſtica, cap. 6.* Linguæ affectioni, Maledicentia dictæ, accommodatius non reperio medium, quàm apud Cratonem, *Epiſt. 103.* quò hoc affectu divexatos remitto.

Caput VIII.

De Potu.

QUantam Cibus, ad vitæ humanæ conſervationem, tantam quoque Potus, ad ejusdem provectionem, neceſſitatem habet. Ut enim cibus amiſſam, ſeu deficientem

ſolidarum partium ſubſtantiam reſtaurat; ita illatam humidæ ſubſtantiæ diſſipationem potus reficit. Unde natura, conſervationis ſuæ ſtudioſa, per ſitim, tanquam humidi & frigidi appetitum, neceſſarium ſibi potum exhiberi poſtulat, ad præcavendam partium exſiccationem, *cujus culpâ omne genitum corpus mortale eſt, & ad mortem properat*: ut inquit Gal. *lib.* 6. *de tuend. ſanit.* Adeoque oportet humidas ſervare partes: quandoquidem moderata humiditas maximè ad vitæ longitudinem facit. Quâ re motus Gal. *loco jam citato*: *ſiccos humectante victûs ratione, frigidi & humidi potione, reficere* jubet, ut vires, humidi diſſipatione exſolutæ, recolligantur: quod aquæ frigidæ, ut inquit Hipp. *lib.* 2. *de diata*, & *lib. de humidorum uſu*, aut alterius convenientis frigidi liquoris potione perficitur. *Aqua enim potabilis frigida humectat, & frigefacit*, innuente Hipp. *locis jam citatis*. Dicitur: *frigidi liquoris potione*: quia calidum id præſtare nequit, ob caloris intenſionem, quæ fit, dum calidum calido advenit. Ideo humiditas à frigiditate, utpote qualitate magis activa, & calorem (quem ſemper ſiccitas, ut effectus cauſam, ſequitur) refrenante, in potu adjuvari debet, ut optatam partibus refocillationem potus præſtet.

Sitis humidi appetitus.

Corpus cur mortale.

Ubi tamen obſervandum, non quamcunque potûs frigiditatem, ſed moderatam, ſubintelligendam eſſe; quæ, juxta variantes naturarum complexiones, continuas anni, cæli, & ætatis mutationes, variari debet. Omnis enim exceſſus eſt naturæ hoſtis, quia, tradente Hipp. *lib.* 2. *de diata*: *frigidior potus humiditatem in corpore congelat*, id eſt, incraſſat & denſat, *ſi excellenter frigidus fuerit, & ſuâ frigiditate alvum ſiſtit; quia anima*, id eſt, naturæ *humiditatem ſuperat.*

Omnis exceſſus nocet.

Quem igitur, ad vitam longam, ſint facturi progreſſum, qui Vinum, aut alium quemcunque potum, glacie frigefactum, ex nimio luxuriantis gulæ ſtimulo, avidiſſimè hauriunt, id ſuo ſerius detrimento perſentient; ubi mor-

Potus glacie frigefactus nocet.

borum preſſuras, ex potu glacie frigefacto naſcentes, pati inceperint.

Quemadmodum enim aqua, ſemel conglaciata, & concreta, ob dulcioris, & levioris (quàm ante concretionem habebat) ſubſtantiæ amiſſionem, craſſior & ponderoſior effecta, immoderatâ ſuâ frigiditate *impensè refrigerat*, (ut loquitur Gal. *lib. 3. de tuend. ſanit.*) *& viſcera ferit*, concoctionem impediendo, urinam cohibendo, thoraci, pulmonibus, ventriculo adverſando, nervos lædendo, convulſiones, flatûs, plevritides gignendo: ſic quoque vinum, aut quicunque alius liquor potabilis, vehementer glacie frigefactus, viſceribus ſummopere nocet: quia, ob nimiam humorum incraſſationem, ex frigidiore potu, juncturarum & membrorum dolores, urinæ difficultates, calculorum ortûs ciet, & aliorum ejus generis malorum origo eſt. Hinc Divinus Hipp. *lib. de aëre, aq. & loc.* omnes has tales aquas malas pronuntiat. *Cùm enim ſemel concretæ fuerint, non ampliùs in priſtinam naturam reſtituuntur; ſed, quod quidem in ipſa clarum, leve, & dulce eſt, excernitur, & disperditur; quod verò turbidiſſimum & ponderoſiſſimum eſt, relinquitur.*

Aqua glacialis damnatur.

Quare omnes, cujuscunque demum ſtatûs & conditionis homines, reverenter monitos velim, ut vel, aſſveti, cum moderamine ejusmodi poculentis utantur; vel planè omittant, non aſſveti. Licet enim immoderata frigiditas, ob continuatam conſvetudinem, & fortem ventriculi calorem, aliquos diu non offendat; ſuo tamen exceſſu non poteſt non vitam abbreviare: quia nullum violentum eſt diuturnum: nimiaque concitatio neceſſariò in exitium ruit.

Præter hunc uſum primarium, alia, æquè neceſſaria, corpori ſervitia potus præſtat: ut nimirum, liquore ſuo, craſſiores cibi portiones ritè miſceat, ſicquè, potûs interventione, liquidiores redditi, faciliùs digerantur, per anguſtos venarum ductûs & propagines, ad perfectiora coctionum organa, deducan-

Potûs commoda.

ducantur, tandémque ex iis, ad quamcunque partem, humectatione & nutritione opus habentem, deriventur. Hiſce, de Potu in genere, præmiſſis,

Dico: Potus eſt ſubſtantia fluida & humida, ad ſitim compeſcendam, & ſiccatas corporis partes humectandas, ac cibum ritè miſcendum, & quoquoverſum derivandum, deſtinata. Quid Potus.

Hujus varia occurrunt genera: inter quæ primas obtinet Aqua, omnibus omnino Creaturis, in conſervationem, à Deo creata: quia nulla, poſt aërem, res, quantumvis valdè neceſſaria, tantum, ad creaturarum conſervationem, conferre videtur, quantum aqua. Quandoquidem quotidianâ docemur experientiâ, quòd, in defectu aquæ, fructûs, & omnia, exareſcant, aut non eo, quò deberent, modo ad ſuam perfectionem pertingant. Similiter, in defectu aquæ, corporum vires, ob exſiccationem, reſolvuntur, & emarceſcunt; denique, ſine aquæ concurſu, nec quisquam fere ciborum rectè parari poteſt: ut ita vero ſit verius illud Eccleſiaſtici, *cap. 29. verſ. 28. Initium vitæ hominis aqua & panis*: quâ etiam primi gentis humanæ propagatores, & præſertim, dum per deſertum horridum, annis omnino quadraginta, iter agerent, laſſatas vires leguntur refocillâſſe. Aqua enim eſt potus tenuis, & liquidus, qui facilè, per patentes venarum propagines, totum corpus permeat, & devaſtatam, à calore, humiditatem reſarcit, calorem attemperando, ſitim compeſcendo, cibum diluendo, pernicioſamquè partium ſiccitatem averruncando. Aquæ neceſſitas.

Quemadmodum verò magnam fructuum, è terra naſcentium, diverſitatem deprehendimus: ſic quoque magnam aquarum varietatem invenimus: aliæ enim ſtagnant; aliæ fluunt: aliæ ſunt ſapidæ; aliæ inſipidæ: aliæ dulces; aliæ ſulphureæ & ferratæ; aliæ nitroſæ & aluminoſæ: quarum Aquæ differentiæ.

 vim

vim indicat ſapor, color, & odor. Habent, præterea, multa diſcrimina aquæ: quarum pars tactu frigida, aut calida eſt; pars levis, aut gravis; ſalubris, aut mortifera: qualis Stygis, apud Nonacrin, Arcadiæ locum, è ſaxo profluens aqua dicitur, *quæ odore, ſapore, colore advenas decipit, tantaq; velocitate corrumpit, ut remedio non ſit locus: quia protinus hauſta duratur, nec aliter, quàm gypſum, ſub humore conſtringitur, & alligat viſcera*, referente ſic Seneca, *Natural. quæſtion. lib. 3. cap. 25.*

Verùm enim verò, cùm noſtri hîc non ſit inſtituti, univerſam emetiri Hydrologiam, ſed eam tantùm attingere aquam, quæ ad uſum humanum apta, atque ad vitæ prolongationem facit; hinc, miſſis ad rem noſtram non pertinentibus,

Aqua optima.

Dico: aquam, ex ſublimibus locis defluentem, & è terreis collibus, maximè verſus æſtivum Solis ortum, erumpentem, ſcaturientémque, æſtate frigentem, hyeme calentem, quæque, igni admota, citò calefieri, remota verò, præproperè frigefieri ſolet, laudatiſſimam, uſibusq; humanis convenientiſſimam eſſe: quia teſtatur Hipp. *lib. de aëre, aq. & loc.* quòd *aqua, ex profundiſſimis terræ viſceribus proveniens, omnem, in ſabuloſis ejus locis* (ſi tamen quam habuerit) *perverſæ qualitatis notam deponat.* Et *hinc neceſſe eſt, ejusmodi aquam eſſe ſplendidam, odoratam, levem, dulcem*, guſtui ſuavem, omnisque peregrinæ qualitatis expertem: hácque de cauſa, ventriculum, præcordia, aliásque corporis partes, absque notabilis moleſtiæ indiciis, pertranſit; humectatione verò, & frigefactione egentes, moderatè humectando, refrigerat.

Aqua pluvialis bona.

Non minoris præſtantiæ aquam pluvialem dixero, quæ, æſtatis medio, ſilente, planeque pacifico decidit cœlo: quia omnem aquæ noxam, à benignis Solis radiis, ita ſublatam credo, ut artis dexteritate purificari magis vix poſſit. Eam verò ſummè noxiam judico, quæ, inter concitatas aëris ventorumque commotiones, & coruſcantium fulgurum volati-

cos

cos ignes, ex denſatis repentè nubibus, decidit; eò quòd annexam malignitatem habeat. Ab exceſſivo enim aëris calore terra incaleſcit; ex quâ variæ variarum materiarum evaporationes fiunt; quæ, ad mediam aëris regionem elatæ, & unà cum vaporibus, è cloacis, aliisque paludibus attractis, commixtæ, atque in aquam reſolutæ, malignis & peſtiferis qualitatibus inficiuntur; quibus abundabant corpora illa, è quibus, à Solis radiis, fortiſſimè agentibus, fuerunt allectæ.

Ob malignam quoq; & putridam ſuam conſtitutionem, aquæ ſtagnantes & paluſtres primum pravitatis locum, ab Hipp. & Gal. 6. *de morb. vulg.* obtinuerunt: quas ideo ab uſu humano abeſſe jubet; quòd, ob æſtivum Solis calorem, decolores ac pravæ fiant, putreſcant, adversè oleant; ideóque, in potum adhibitæ, ventriculo obſint, hepar & lienem gravent, aliasque noxioſiſſimas affectiones pariant. Paluſtres malæ.

Secundum vituperii gradum ab Hipp. & Gal. *locis jam citatis, habent aquæ ſalſæ, petroſæ, aluminoſæ, bituminoſæ & nitroſæ;* quia *duritie & aſperitate ſuâ diuturniorem, in ventriculo, moram trahentes, eum percellunt, inflant, & gravant.* Hujusmodi naturæ aquam, ex duriſſima petra, in ſuburbio, erumpentem, ad longum murum, vulgò **bey der langen Wand** / Echinopolitani noſtri habent; ad quam morbis acutis decumbentes, tanquam ad nectar Deorum, concurrunt, putantes, ſe ejus potu, quaſi Panaceâ quâdam, à Largitore Jove ſubmiſsâ, indubiam longævitatem hauſturos: cùm tamen, ſpe inani defraudati, ex ejus potu, ob duritiem, præter inflationes, pectorisque gravedines, nihil recipiant: quia petroſa eſt, & copioſo nitro imprægnata. Aquæ malæ.

Nullus enim Echinopolitanorum civium negabit, nitrum intra & extra Urbis muros deprehendi. Nam in nonnullis cellariis integras nitri ſtyrias, ex petris emergentes, eſt videre: quod Sueci, ſuperioribus annis, urbe potiti, callidè obſer-

obſervârunt, atque idcirco, domûs ſuffodientes, nitrum in ſuos collegerunt usûs. Ut ita divini Hipp. & Gal. doctrinâ, ratione, & experientiâ inſtructus, fontis noſtri ſuburbani ſcaturiginem, Septentrionem verſus proſilientem, uti & omnem civitatis putealem, utpote petroſam, inſigniter frigidam, & nitroſam non poſſim non improbare: quia calorem, febrilem morborum acutorum fomitem, in hypochondriis radicatum, ſuâ frigiditate alterat, & coarctat; qui, coarctatus, aquam, ex naturâ ſuâ frigidam, & duram, tam diu impetit, usque dum calorem recipiat: quæ, calore ſemel concepto, talem de ſe æſtum præbet, ut, vaporibus ſuis æſtuantibus, maximas cordis anguſtias excitet. Adeoque fontis noſtri ſuburbani, ex petra originem trahentis, aqua, in morbis acutis non facilè eſt admittenda.

Hîc aliquis, non absque ratione, quærere poſſet: utrum ergò omnis aqua Civibus Echinopolitanis uſualis ſit mala? Cui reſpondeo: aquam ad amplas, in foro publico, aliísque plateis exſtructas ciſternas, per canales confluentem, eſſe bonam, & inſigniter laudabilem; quia ex mundiſſimis, & quaſi ſabuloſis ſcaturiginibus, Solem orientem directè reſpicientibus, & in ſat altis locis ſituatis, originem ducit; à quibus pleraque per meram arenam, & lapillos, cum gratiſſimo ſuſurro, defluit, nec ullas ſtagnantium paludum cloacas tranſit, & ad ſolidum milliaris quadrantem, per tubos, ex pino fabrefactos, ad Urbem ducitur. In quo itinere omnem (ſi quæ tamen ſuperſit) peregrinam qualitatem deponit; ut propterea aquam, culinis Echinopolitanis uſualem, ſaluberrimam, & ad vitæ longitudinem plurimum facere, omnino judicem.

Quantum magnorum fluviorum aquæ corporibus detrimenti adferant, ex hoc quàm maximè conſtat, quòd non modò diverſorum rivorum, adeóque diverſarum qualitatum aquas recipiant; verùm etiam multarum, ad magnorum fluviorum

Fluminum aquæ cur nocivæ?

viorum ripas plerunque ſituatarum urbium immunditiem, & mephitim admittant: unde non modò limoſæ, fœculentæ, ſed etiam intemperatiſſimæ fluviorum undæ exiſtunt: fieri enim vix poteſt, ut aqua altera per omnia ſit ſimilis alteri. Hinc Hipp. *de aëre, aq. & loc.* dicit, quòd *quàm maximè calculo homines laborent, & è renum affectionibus, & urinæ ſtillicidio decumbant, & coxendicum morbo corripiantur, & hernioſi fiant, ubi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus, in quæ alii deferuntur fluvii.*

Hîc notandum eſt: quòd omnium provinciarum aquæ, conjecturâ ex incolarum conſtitutione deſumptâ, judicari poſſint. Si enim incolæ ſunt bene naturaliterque colorati, & ſani degunt, fauces ab adverſo odore & affectione liberas habent, caput, pulmones, & præcordia, à defluxionibus immunia poſſident, ventris dolores neſciunt, calculorum, renum, & veſicæ cruciatûs, urinæq; ſtillicidia ignorant; oppidò res agitur, & certum, de aquarum aërisque ſalubritate, indicium habetur. Nam multæ hinc inde dantur aquæ potabiles, colore, odore, & ſapore præſtantes; quæ tamen, per potum, corpus ſubintrantes, illud inſigniter, ob latentem altè inimicam qualitatem, afficiunt. Id Galliæ Narbonenſis, aliarumque Provinciarum Incolis accidit; qui, ob ſingulare aquæ miaſma, iſtis provinciis ſolis proprium, Bronchocele affliguntur: quia omnes inferioris, & potior pars ſuperioris Germaniæ incolæ, cæteræque nationes, bibunt aquas in ſuis provinciis obvias, & tamen hujuſcemodi mala non patiuntur: Ergo ab aquis ſpecificâ proprietate peccantibus ſtrumæ generantur. Sic Scaliger, *in Cardanum, exercit. 60.* teſtatur, quòd *omnes, in Valdoccam, Taurinenſis Provinciæ partem, commigrantes, ob aquæ malignitatem, Gutturones,* id eſt, *Strumoſi fiant; hancq; ob cauſam non diu vivant: ibidem verò natos, omnes ſimplices, & ad loquendum inhabiles dicit, ob gutturis mollitiem.*

Bonitas aquæ ex hominum ſanitate habetur.

Quæres: cùm aqua tantam, non modò ad vitæ humanæ, verùm etiam reliquorum animalium, ſtirpiumq; omnium conſervationem habeat neceſſitatem, utrum aqua etiam nutriat?

Reſpondeo: hanc quæſtionem videri problematicam: primò, quia nonnulli Veterum aquam non modò nutrientem, ſed ſummâ nutriendi virtute pollentem dixerunt. Inter quos, teſte Aëtio, Ægyptii aquam Nili ex paradiſo terreſtri (docente ſic Divo Auguſtino, *8. de geneſ. ad litteram, cap. 7.*) profluentis, & pauciſſimos, imò, ut quibusdam, cum Cardano, placet, non niſi duos recipientis rivos, miris deprædicare dicuntur laudibus, ob inſignem nutritionem, quam Nili aquæ tribuunt. Hipp. quoque *lib. de corde*, & *lib. de flatibus*, dicit: *corpora tum hominum, tum reliquorum animantium, triplici nutrimento ſuſtentantur: quorum hæc ſunt nomina: cibus, potus, & ſpiritus;* quæ alibi panem, aquam, & aërem nominat. Et, *lib. 1. de victûs rat.* inquit: *ignis ſiquidem omnia ſemper movere: aqua verò omnia ſemper nutrire poteſt.* Ubi expreſſiſſimis verbis docet, aquam nutrire. Cui aſſentitur Theophraſtus, *lib. 2. de plant.* &, cum eo, ex Recentioribus Medicis, Cardanus, *in ſuo, de aëre, aq. & loc. commento:* ubi probare conatur, aquam nutrire. Horum Virorum gravium authoritatem comprobat experientia, apud Albertum Magnum, de melancholico illo, multis diebus, ſolius aquæ potu vivente: ſicut etiam hiſtoria apud Rhodiginum, de puella, viginti duobus annis ſolius aquæ potu ſuſtentatâ.

Aqua nutrit.

Tertiò: aquam nutrire, probatur ratione: quia, docente Gal. *lib. 1. de ſemine*, & *lib. 6. de uſu part. iis nutrimur, quibus conſtamus.* Sed, teſtante Hipp. *de vict. rat. lib. 1.* & tradente Sacr. Scriptur. *Eccleſiaſtic. 29. verſ. 28. aquâ conſtamus:* ergò etiam aquâ nutrimur.

Alii, è contrario, omnem aquæ nutriendi facultatem denegant: primò, quia, teſte Gal. *lib. de maraſmo, omne ali-*

men-

mentum debet eſſe craſſum, lentum, & viſcoſum: ad hoc, ut faciliùs particulis alendis adhæreat, diutiusque inconcuſſum maneat. Sed *aqua*, præſertim ſalubris, teſte Ariſt. *de ſenſu & ſenſibili, cap. de ſapor. non poteſt craſſeſcere.* Ego aqua non nutrit. Aquæ nutritio negatur.

Secundò: Gal. *lib. 4. aphoriſ. in fine commenti aphoriſ. 13.* inquit: *Aqua verò epota, neq; ab extrinſeco adveniens, ex naturâ ſuâ, non poteſt ſolidas animantis partes nutrire;* quod, *lib. 4. de uſu part.* confirmat, ubi, de ſeri officio agens, docet, *eundem aquæ uſum eſſe, qui ſeri: ſiquidem ex eâ nutriri nulla particula poteſt.* De his plura volentem ad Caſpari à Reies *Elyſium Jucundar. Quaſt. Camp. quaſt. 58.* remitto.

Verùm enim verò tametſi, inter tam acria gravium Virorum certamina, non minùs ſit periculoſum, quàm arduum, velle aliquid decernere; nihilominus cùm meâ, hâc de re, ſententiâ nullum altioris doctrinæ & prudentiæ Virum me læſurum confidam, dico, quod ſentio. Si aqua partibus alendis nihil nutrimenti adferret; unde ergo longa illa vita, ſpatio propè infinito propagata, Majorum? Qui à Mundi, & excitatæ naturæ initiis, per multas ſæculorum ætates, ſine vino & cereviſia effloruerunt? Aquam biberunt, teſte Palladio, Plato, Diogenes, Pythagoras, & reliquus ſapientum Virorum cœtus; quorum tamen longiſſimas fuiſſe ætates, firma ſpiritûs & corporis affectione continuatas legimus. Unde Pythagoras (ut eſt apud Athenæum, *lib. 2.* & Laërt. *lib. 8.* ajebat, *iis, qui aquam ſimplicem biberent, & corporis valetudinem, & ingenii acumen provenire.* Aqua enim memoriam non turbat, mentis luminibus non officit; ſed, ut eſt apud Athenæum, ex Dioclis & Pythagoræ ſententiâ, *aqua videndi aciem intendit, minimè caput onerat, animi corporisq; motum facilem, promptumquè reddit.* Aqua revera nutrit.

Quid! nonne hiſce etiam noſtris temporibus quotidianâ docemur experientiâ, quòd pleraque pars Ruricolarum, graviſſimos labores ſuſtinentium, non niſi pane, aliisque groſ-

ſis cibis & aquâ fruatur, cum inſigni virium robore, præſtanteque partium corporis valore? Nonne exili hâc victûs ratione ſaluberrimam vivunt vitam? Nonne ætate annorumque ſerie eos longiſſimè excedunt, quorum corpora ſelectiorum ciborum varietatibus, potûsquè luxuriâ diffluunt? Ita revera: ut ſatis mirari non valeam, quòd aliqui, cum Gal. admittant, aërem nutrire; & aquæ, longè corpulentiori, omnem nutritionis virtutem denegent: cùm tamen, unanimi Medicorum conſenſu, partes ſolidæ ſolidâ ciborum portione reſtaurentur; exhauſta verò liquidarum partium ſubſtantia potu reficiatur: qui, quò melior fuerit, eò nutritioni erit accommodatior. Sed jam ad Cereviſiam, aquæ affinem, quæque ſecundum in poculentis locum obtinet, transgrediamur.

Cereviſia quid.

Dico: Cereviſia, à Cerere ſic nuncupata, eſt potus ex aqua, & congruente frumenti genere, & lupulo artificiosè coctus, uſuique humano, ad ſedandam ſitim, deſtinatus. Hujus differentiæ, pro frumenti, ex quo coquitur, aquarumque varietate, variant. Alia enim ex tritico paratur; quam Triticeam, aut etiam albam, vocant; alia ex hordeo fit, Hordeacea, aut nigra, à nonnullis appellata: alia verò ex utriusque frumenti mixtura conficitur; quæ ſpeciali nomine caret.

Differentia Cereviſiæ.

Potiſſimam cereviſiarum materiam eſſe aquam potabilem, nullus ignorat; quæ rerum ſibi incoctarum qualitates, & virtutem recipit, ita, ut, cum frigidis cocta, frigidam; cum calidis, calidam naturam induat, partem propriæ naturæ amittendo. Et licet quævis aquarum ſpecies cereviſiæ coquendæ apta putetur: nihilominus tamen, quò ea ſincerior puriorque fuerit, eò ampliùs ad cereviſiæ bonitatem conferet: quò verò aqua deterioris notæ extiterit, eò quoque cereviſia pejoris nutrimenti erit; quia, pro aquarum differentiis, etiam cereviſiarum differentiæ variant. Hinc provinciæ, ſalubrioribus undis irrigatæ, ſalubriores quoque parant Cereviſias.

Aqua pro Cereviſia commodior.

viſias. Cùm verò, de aquarum differentiis, hoc ipſo capite ſat fusè egerimus: hîc de Cerevifiarum naturis, pro polentæ varietate variantibus, tractabimus.

Gal. *lib. 1. de aliment. cap. 11.* inquit: *Ex recenti hordeo, mediocriter frixo, laudatiſſima fit polenta*: quia innata crudi hordei frigiditas maceratione, atque torrefactione quodammodo tollitur, calor augetur; ſiquidem torrefactio eſt quaſi aſſatio, & levis quædam aduſtio. Hinc Cerevifia, ex hordeacea polenta ritè præparata, lupuloque condita, frigidior & ſiccior à nonnullis creditur; qui, dubio procul, Gal. *lib. 1. de aliment. facult. cap. 6.* ſecuti fuerunt, ubi inquit: *hordeum, cum tritico, non eandem facultatem habet: ſiquidem hoc palam calefacit; illud verò non modò non calefacit, ſed, quoquomodo ipſo utaris, ſive panes ex ipſo feceris, ſive ptiſanam coxeris, ſive polentam feceris, vim quandam refrigerandi habere cernitur.* Unde etiam Capivaccius, *lib. 6. de febrib. cap. 28.* ait: *Hordeum, pro varia ejus præparatione, modò ſiccare, modo humectare, habet vim ſiccandi, ſi frigatur; humectat, ſi fiat ptiſana.* Polenta optima. Torrefactio.

Hâc verò ætate noſtrâ potior pars Medicorum hordeaceæ Cerevifiæ non modò vim frigefaciendi denegat; verùm etiam inſignem calefaciendi virtutem tribuit, ob hordei torrefactionem, lupulique, ſecundo gradu calefacientis & ſiccantis, incoctionem. Quotidiano enim rerum uſu docemur, quòd homines non minùs largiore cerevifiæ, quàm vini, potu incaleſcant, & inebrientur: quod ob calidorum, ex cerevifia effumantium, caputque petentium vaporum copiam accidit; quia calida caput petunt: calida, hilarem paucarum horarum inſaniam (ebrietatem dico) pariunt; non verò frigida: aliàs etiam aqua hordeacea, ex naturâ ſuâ frigida, & immoderatiùs hauſta, deberet inebriare. Hordeaceæ vis.

Utrum verò cerevifia, ex hordeo parata, humectet: an potiùs ſiccet? à Medicis non parum controverti videtur: An hordeacea humectet?

quia hordeaceam, cum reliquo alimentorum apparatu, calefaciendi, ſiccandique potentiâ prædito, ab uſu ægrotantium abeſſe jubent, hâc perſvaſi opinione, quòd ad calculi, aliorumque morborum, ex calidorum ſiccorumque uſu naſcentium, generationem faciat. Hipp. enim, *lib. 2. de diæta*, inquit: *Hordeum naturâ ſuâ frigidum eſt & ſiccum*: quem ſequitur Gal. *lib. 7. de ſimpl. medicam. facult. cap. de hordeo*, ubi ait: *Primi ordinis, in exſiccando & refrigerando, eſt hordeum.* Si ergo hordeum crudum exſiccandi & refrigerandi virtutem habet; majorem habebit polenta, ex hordeo, per macerationem, putrefactionem, & exſiccationem, ſeu levem quandam aſſationem parata: &, per conſequens, cerevſia ex hordeacea polenta, artis dexteritate, cocta, calefaciet, & ſiccabit: quia dictum eſt, quòd aqua rerum incoctarum virtutem imbibat.

Verùm ad controverſiam reſpondeo, primò, Hippocrati & Galeno, *locis jam citatis*, de hordeo crudo, integro; non verò decorticato fuiſſe ſermonem: quia eſto, quòd hordeum diverſas præparationis officinas & modos ſubeat; ita tamen illud mortificari non poteſt, ut non partem, eamque potiorem, naturalis ſuæ conſtitutionis redoleat. Ideo in aqua maceratur hordeum, ut nimia abſtergendi facultas adimatur, aquâ repletum faciliùs putrefiat, ignique exſiccanti reſiſtat, ne nimiâ ignis virtute exuratur, ſicque congruentem aquæ, cui incoquitur, ſubſtantiam nutrientem imprimat. Quod ut commodiùs in actum redigatur, polenta, ante cerevſiæ coctionem, commolitur, ut eò meliùs polentæ flos, per bonam aquæ coctionem, extrahatur, & ab aqua imbibatur: vi cujus plurimùm humectat, nutrit, & blandum partibus alendis nutrimentum præbet, proportione ptiſanæ reſpondens: quæ ideo ab Hipp. *lib. 2. de rat. vict. in morb. acut.* tantopere laudatur, quòd *lentorem habeat levem, continuum, efficacem ac lubricum, mediocriterq; humeſcentem, ſitim minime inferentem, &, ſi quid elui indi-*

indiget, probè eluentem. Hanc quoque, & majorem, agnoſcens virtutem, *lib. de ptiſana*, inquit Galenus: *Hiſce de cauſis maximè ex uſu eſt febribus ardentibus, quòd nimirum quacunq; ex parte obſiſtat refrigerans & humectans, nec non putridos humores detergens, & corpori non exiguum nutrimentum ſuppeditans; eos verò humores, qui ex dimidio putruerunt, concoquens, atque in optimum ſuccum permutans.* Ut verbo dicam, priſana, ob admirandam refrigerandi, humectandi, calorique febrili reſiſtendi, vim, & valorem, tantopere commendatur, ut etiam à toto ferè Medicorum cœtu, unica, in æſtu hectico, omnem corporis vigorem depaſcente, quaſi panacea, unicumquè ſalutis remedium, adhibeatur. Agnoſcunt enim univerſi, quòd, ſuo lentore, mirum in modum humectando, exhauſtam, ab hectico calore, humidam partium ſubſtantiam plurimùm reficiat.

Quis ergo ſingularem hordeaceæ cereviſiæ humectandi potentiam negabit? Certè flos polentæ, humectantem lentorem exhibens, integrè ſervatur. Accedit, quòd cereviſiæ potatores bene coloratos, bene pingves, beneque robuſtos videmus. Unde autem coloris bonitas, niſi à ſangvinis vigore? Unde ſangvinis integritas, & vigor, niſi ab alimenti nobilitate & virtute? Hinc illæ buccæ; hinc admirandum illud robur, quod noſtris, per Marcomanniam, Bohemiam, aliasque orbis provincias, braxatoribus ineſt: quod revera non contingeret hujusmodi hominibus, niſi optimum, ex Cereviſiæ hordeaceæ potu, nutrimentum reciperent. Si enim mali, ex hordeaceæ hauſtu, generarentur humores; neque colorati eſſent, neque homines tanto robore præditi forent.

Hordeacea humectat.

Effectûs hordeaceæ laudabiles.

Quærenti autem ex me: unde tanta quandoque hordeaceæ, aliarumque cereviſiarum noxa contrahatur, vi cujus plurimis non rarò obeſt? Reſpondeo: eam ex diverſis cauſis

poſſe

Hordeaceæ mala unde. poſſe oriri: vel ob malitiam, hæreditario jure aquæ implantatam; quæ emendationem non ſuſcipit: vel ob materiam, ad cereviſiæ coctionem requiſitam, minùs ſinceram. Ex mala autem, & inhabili materia, nunquam, artis beneficio, quid boni fieri poteſt: vel ob malam polentæ præparationem, aut neglectam cereviſiæ probam cocturam. Has enim ob cauſas, ex optima polenta, lupuloq; probatiſſimo, aut aduſtionem cereviſiæ olent, aut magnas cruditates habent, vi quarum ſtomachum offendunt, viſcerum cruditates pariunt, renibus & veſicæ nocent, ſtranguriam, aliasq; veſicæ difficultates gignunt. Nonnunquam Cereviſiæ crudeſcunt, ob fermentationem, vel ab ambientis aëris frigore impeditam, vel etiam, ob fæcum admixtionem, ſuo tempore non adhibitam. Et hæ cereviſiæ valde ſunt nocivæ, eò, quòd non ſufficienter deferbuerint, & nunquam facilè clareſcant.

Triticum calefacit. Cùm *triticum ſit primi calefacientium ordinis*, docente Galeno, *lib. s. de ſimpl. medicam. facult. cap. de tritico*, atque ob id moderatè calefaciat, & copioſiſſimum quidem, at craſſi denſiq; ſucci alimentum ſuppeditet, aſſerente eodem Gal. *lib. de attenuante victûs rat.* & *lib. 1. de aliment. cap. de tritico*, ac in reliquis qualitatibus paſſivis ſe temperatè habeat; non poteſt non laudabilis cereviſia ex polenta triticea, ritè diligenterq; parata, confici, niſi Artificis negligentiâ peccatum committatur: quia non tam calor tritici remiſſus notabiliter augetur, quàm ſingularis ejus viſcoſitas, per macerationem moderatam, putrefactionem, & torrefactionem corrigitur & emendatur: ut ita cereviſia ex tritici polenta ſit calida & humida, & alimenti boni. Sunt tamen, qui de omnimoda viſcoſitatis ablatione dubitent, & velint, albam cereviſiam, ex triticea polenta coctam, hepar, lienem, meatusq; urinæ excernendæ deſtinatos obſtruere, calculiq; cruciatibus ſuos potores obnoxias reddere; hinc cum cautela bibendam eſſe.

Triticeæ effectus.

Cerevi-

Cereviſia, ex tritico & hordeo permiſtis cocta, non tantùm medio ſe modo habere à doctiſſimis Viris dicitur, ſed etiam ſaluberrimum præſtare potum perhibetur: quia temperati alimenti ſuccum præbet; niſi error ab artifice, cereviſiam coquente, committatur, aut polenta aliunde ſit vitioſa. Ex hordeo & tritico mixtis bona.

Denique, ut paucis, de cereviſiæ uſu, monenda abſolvam, requiritur, ut cereviſia ex optimo hordei, vel tritici grano præparetur, probè coquatur, ſit clari boniquè coloris, & bene tincta. Quò enim clarior, magisque tincta fuerit, eò calidior cenſetur: quò turbidior, eò frigidior putatur. Non ſit recens, quia, quò recentior, eò, ob fæcum admixtionem, turbulentior & inſalubrior exiſtit: nec æquo ſit vetuſtior, ne acorem, nervoſo generi apprimè nocentem, nanciſcatur. Saporem habeat ſvavem & gratum, ut nervos alat, non offendat: ſtomachum recreet, non lædat: ex inteſtinis, aliisquè meatibus, facilè migret; non tenaciùs inhæreat: ſitim placet, non verò generet: mentem exhilaret, non perturbet: floridum colorem, & elegantem faciei formam pariat; non autem pallorem, langventis animi ſignum, producat. Moderatè bibatur: & paria ferè commoda præſtabit, quàm vinum; cùm, è contra, copioſiùs, & ad ebrietatem, ingurgitata, plurimum detrimenti gignat. Nam graves capitis dolores, ob vaporum, caput petentium, illudq; turbantium, craſſitiem oriuntur, corporis inflationes, morbique frigidi naſcuntur, ita, ut pejor ſit crapula à largiore cereviſiæ, quàm vini potu inducta; in his præſertim locis frigidioribus, in quibus phlegmata, & catarrhi frequentiores affligunt. Hinc unumquemque naturæ ſuæ rationem habere jubeo, ut cereviſiâ utatur optima, & ſuæ naturæ convenientiſſimâ: ſicquè ad vitæ longitudinem faciet. Cereviſia ad potum aptiſſima.

Tertius, illequè ſummus dignitatis locus, inter potulenta, *Vino* debetur, eò quòd, ſingulari præpotentis Dei benefi- Vini laudes.

cio conceſſum, ingentia commoda, & incredibiles utilitates omni hominum generi adferre ſoleat. Quid enim ſanitatem, ad perferendos quotidianos labores neceſſariam, meliùs conſervare, & tueri poteſt, quàm divinus ille liquor, prudenter, & honeſtâ moderatione, ſumptus? Quo, quæſo, alio adminiculo vis illa, ingeniiquè ſplendor & acumen, illud nobile validi corporis robur, ali, & effloreſcere commodiùs poteſt, quàm hoc coagulo fotum, hoc irrigatum fluento? Si enim vinum nihil ad ſanitatem unquam contuliſſet, non prodidiſſet quondam ex oraculo Pythia, Vinum, ſeu Bacchum, nominandum eſſe *præſidium ſanitatis*: neque divinus Plato, *lib. 2. de legib. vini uſum, ſanitatis causâ, inductum & repertum fuiſſe*, edixiſſet: neque largiores & lætiores invitatiunculas, ad bibendum vinum, in conviviis, conceſſiſſet: neque etiam ad eas, ut fructuoſiſſimas, maximeque ſalutares, invitâſſet.

Vinum ſapientiam inſtaurat.

Quæ cùm apud me cogito, ſic judico, tanta ineſſe vino præſidia, non modò ad vires corporis ſervandas & inſtaurandas, verum etiam ad augendum omne genus ſapientiæ, ut ſine illo vix præſtabile quidquam, & gloriâ dignum, effici poſſit. Quare hoc Orbis terræ judicio, his ſapientum vocibus, hoc omnium propè Philoſophorum teſtimonio, & ratione fretus, intrepidè decerno:

Vina bibant homines, animantia cætera fontes,
Abſit ab humano pectore potus aqua.

Ut verò penitius vini naturam inſpiciamus,

Vinũ quid.

Dico: vinum eſt liquor potabilis, ſecundi calefacientium & ſiccantium ordinis, ex uvis maturis expreſſus, uſuique humano, ad placandam ſitim, humidamque partium ſubſtantiam reficiendam, deſignatus. Hujus effectus, pro loci natalis, ſubſtantiæ, coloris, odoris, ſaporis & ætatis, varietate variant. Primò enim, ratione loci differentiæ, offerunt ſe vina Falerna, Cretica, ſeu Malvatica, Hiſpanica; quæ, ob inſignem cale-

Vini differentiæ.

calefaciendi potentiam, languenti, ex frigida cauſa, ſtomacho eximias ferunt ſuppetias; latentem oppreſſumque ejus calorem excitando, & ad peccantis humoris expugnationem adjuvando. Eodem modo vina in Gallia, & ad ripas Rheni, Moſellæ, Neccari, aliisque ſalubribus provinciis orta, ob præclaram ſuam, quâ pollent, indolem, cordis debilitati medentur, viriumquè reſtaurationi in tantum ſerviunt, ut multis retrò ſæculis *Lac ſenum* dici meruerint: quoniam frigida ſenum membra, blando calore, reficiunt; triſtitiam, tetricamq; melancholiam, ſenibus inprimis familiarem, fugant; ſaporem, quo magnâ ex parte ſenes deſtituuntur, ſvavi ſuo vapore, caput petente, & ſpiritûs animales ſicciores humectando ſopiendoque, conciliant; obſtructiones tollunt; urinas promovent; millenaq; alia bona marceſcentibus corporibus præſtant, & conferunt.

Secundò: ratione Subſtantiæ, vina alia ſunt tenuia, vires citò, ſi frequentiùs adhibeantur, reficientia, meatûs aperientia, hancquè ob cauſam, docente ſic Gal. *lib. 11. method. med. omnes corporis vacuationes promoventia;* ut ſudorem, urinam &c. Alia ſunt nigra, rubra, craſſa, dulcia, plus quidem tenuibus nutrientia, & *ſanguini generando aptiſſima*, ut loquitur Gal. *lib. 3. de aliment. cap. 38.* ſed ob diuturniorem, in partibus, moram, eas magis calefaciunt, ſiccant, & quandoque graves obſtructiones pariunt. Vinum à Subſtantia laudatur.

Tertiò: ratione Coloris, alia ſunt alba, fulvis quidem & flavis minùs calefacientia; ſed tamen peccantium in corpore humorum inciſionem moliuntur. Alia ſunt fulva, albis virtute proxima; quæ ſi tenuia ſimul fuerint, optima eſſe cenſentur: quia corporibus tale alimentum præſtare creduntur, ut præſtantius optari vix poſſit, ob mediocrem coloris & ſubſtantiæ potentiam. Alia ſunt rubra, moderatè calefacientia, ſanguinem bonum generantia; quæ, ſi craſſa fuerint, caput A Colore.

 ſingu-

ſingulariter non tentant, lienis tamen, & hepatis obſtructiones facilè pariunt, & *ad urinam ciendam ſunt deteriora*, ut placet Gal. *lib. 3. de aliment. cap. 38.* Alia denique ſunt nigra: quæ quidem craſſioris ſunt ſubſtantiæ, dulciſque plerunque ſaporis, & multi nutrimenti: verùm craſſum generant ſanguinem, &, diutius in viſceribus hærentia, potenter obſtruunt, caputquè turbant.

A Sapore. Quartò: ratione Saporis, dantur vina dulcia, multum nutrimentum conferentia. *Hanc ob cauſam*, tradente Gal. *lib. de euchym. & cacochym. qui indigent refectione, ut dulce vinum potent, ſunt perſuadendi, & tum præcipuè, cùm eorum jecur, lien, & renes vitio penitùs carent.* Dulcia etiam, ob ſvavitatem ſuam, guſtui, faucibus, & pulmonibus valde grata accidunt: quia tamen *craſſa; venas craſſo ſanguine infarciunt*: ut innuit Gal. *lib. de attenuante vict. rat.* Alia dantur vina auſtera, ſeu Pontica Galeno dicta; quæ, ob caloris debilitatem, diutius in ventriculo commorantur; fluxionibus ſiſtendis ſunt commoda: in morbis verò pectoralibus, ob vim ſuam ſtypticam, exſpuitionem impedientem, minùs ſerviunt. Unde Gal. *in fine lib. de atten. vict. rat.* inquit: *Porrò vina Pontica multum implent, ac tardè permeant, ambasq; excretiones morantur; tum eam, quæ fit per ſedem, tum etiam quæ fit per veſicam: hærentquè in hypochondriis diutiſſimè: & facilè aceſcunt, nauſeamq; provocant: ſoli autem ventri fluenti conferunt, idq;, ſi moderatè ſumantur.*

Ab Odore. Quintò: ratione Odoris, alia vina eximiam habent fragrantiam, vel ipſo etiam odore collapſas vires reficientem, ſpiritúſque augentem: ſi tamen in potum veniunt, *caput tentant*, ut ait Gal. *lib. de atten. vict. rat. quocirca vitanda iis ſunt, qui cephalæá, aut hemicraniâ, aut cephalalgiâ, aut morbo comitiali, aut deniq; maniâ laborant. Affectûs verò omnes thoracis & pulmonis, qui diuturni ſunt, & ſine febri infeſtant, à vinis hujuſmodi juvantur mirum in modum, & potiſſimum, qui humoris per ſputa expectora-*

pectoratione purgantur. Quæ verò odore carent, aut adversè olent, ut inſalubria, ab ipſo etiam ventriculo nauſeata, non, niſi invitè, aſſumuntur, hincque plus damni, quam commodi ferunt.

Sextò demum: ratione Ætatis, muſtum, & vina recentia, ob impuritates ſuas, ſtupendas flatulentias, dolores colicos, urinæque difficultates pariunt. Vetuſta autem, ob nimiam ſuam caliditatem (quam ex aquoſitatis & phlegmatis ſeparatione evaporationeque, temporis diuturnitate factâ, receperunt) teſte Gal. *lib. de euchym. & cacochym. impensè calefaciunt, capitisq́; dolores, & febres facilè generant, nervosq́; nonnunquam lædunt. Vitanda ergo, quæ nimis vetuſta ſunt, nimisq́; recentia. Namq́; illa præter modum; hæc verò nullatenus, quàm diu recentia ſunt, calefaciunt.* Ab Ætate.

Ex harum differentiarum varietate cuilibet, longioris vitæ ſtudioſo, ſat ſuperque conſtabit, quali vini genere ſuas ſibi vires reficere competat, qualiterque vitam ſuam in longius protrahere valeat. Vinum enim, præſtantiſſimum vitæ humanæ fulcrum, puriſſimum generat ſangvinem, vacillantem ventriculi, aliarumque partium concoctionem adjuvat, cor exhilarat, ſpiritûs vivificat, urinam, aliasque excretiones promovet, flatûs diſcutit, calorem innatum auget, proſtratam cibi appetentiam excitat, ſangvinem turbidum clarificat, colorem bonum vegetumque conciliat. Denique vinum eſt unicum vitæ humanæ præſidium, omnem morborum impetum ſuſtinens & infringens, ſi cum decente moderamine bibatur. Vini utilitates.

Nolim verò cupiditatibus ſuis velificantes, & voluptati, blandiſſimæ dominæ, ſervientes, ſibi perſvadeant, futurum, ut vinum, immoderatiùs ingurgitatum, valetudinem diu ſine labe ſit relicturum: quia immodico vini potu innatus corporis calor ſuffocatur, cerebro, nervis, ſpinaliq; medullæ vehe- Immoderatè ſumpti incommoda.

menter nocetur. Unde, nobilibus hiſce partibus, præpoſterâ vini ſumptione læſis, temporis intervallo, graviſſimi naſcuntur morbi, ut apoplexia, paralyſis, epilepſia, membrorum tremor, ſtupor, vertigo, catalepſis, convulſio, deſtillatio, memoriæ diſſipatio; ſenſus omnes perturbantur, naſcuntur inexpectati morbi, & repentinæ non rarò mortes accidunt. Adeò, ut vinum, immoderatè ſumptum, *veluti quidam Tyrannus, animæ facultatibus imperet*, ut inquit Gal. *lib. de anim. & corpor. mor. conſecut. Hinc Plato neq; in exercitu permittebat, vinum ut guſtarent milites; neque in civitate ipſi ſervi, ſicuti neque Principes, neque adminiſtrantes Rempublicam, neque judices, neque hi, breviter, qui de re aliqua eſſent conſulturi.* Conſtabat nimirum Platoni, immoderatam vini potionem non ſalutem, valetudinemque adferre; ſed potiùs, ob contagionem illius, ut ſic dicam, veneni, purpuream multos mortem inveniſſe.

Vini potus ſenibus optimus.

De cætero, nulli hominum ætati vini potus utilior, conducibiliorque eſt, quàm ſenibus: quòd, aſſerente Gal. *lib. 5 de tuenda ſanitat: omnia eorum membra calefaciat: ſecundò, quòd per urinas ſerum ſanguinis expurget: quia, quæ ex pallidis, aut flavis vinis, ſubſtantia ſunt pinguis, hæc ſanguinem augent, & corpus nutriunt: quo fit, ut vina utilia ſenibus ſint, quia liberaliùs alunt*, juxta ſenilium corporum exigentiam. Ad hæc *ſenilis ætas frigida eſt, & ſanguinis inops*, ut inquit Gal. *lib. de anim. & corp. mor. conſecut. vinum* autem, docente eodem Gal. *lib. 8. de ſimpl. med. facult. cap. 14. eſt calidum: ergo ſenibus vini hauſtus utilis, quippe quòd adverſus acerbitatem ſenectæ remedio ſit, animiq; mœrores diſcutiat, ac denique duriores mores emolliat. Haud ſecus moderata vini potio ſenibus, ob ariditatem vigiliis vexatam, caput madefaciendo, ſoporifera eſt*, ut refert Gal. *lib. 3. de loc. affect. cap. 3.* ita, ut, hiſce omnibus diligentiùs conſideratis, luce meridianâ clariùs appareat, ſobriam vini potionem non modò infinita ſenibus præſtare commoda, ſed etiam plurimum ad huma-

næ vitæ longævitatem conferre, ſenibusque præ reliquis conducere.

Quemadmodum autem vini potatio ſenibus mirificè commodat: ita pueris, & adoleſcentibus vehementer nocet: & qualiter, ob inſignem fructum, quem moderata vini potio adfert, *vinum Lac ſenum* dicitur; taliter *puerorum venenum* nuncupari meretur. Unde nulla prorſus ratione, ſi Galeno ſubſcribendum arbitremur, ad decimum ſextum usque ætatis annum pueris concedi debet. Quia, docente Gal. *lib. de anim. & corp. mor. conſecut. iis, qui creſcunt, vinum adverſatur quàm maximè. Etenim juvenilis ætas calida eſt, ac multo ſanguine referta: quare Plato pueris quidem, citra duodecimum annum, prorſus vino interdicit, lib. 2. de legib. idquè ne in furorem agantur.* Quapropter *vinum ſanè, quàm diutiſſimè, qui ea natura puer eſt, ne guſtare quidem ſvaſerim, quòd humectet, & calefaciat corpus, caputq; halitu repleat; hocquè modo pueris vinum ſit adverſiſſimum,* tradente Gal. *lib. 1. & lib. 5. meth. med.*

Vinum pueris venenum.

Puer ex vini potu mortuus.

O utinam! auream hanc Galeni, de vini nocumentis, doctrinam multi optimarum prolium parentes obſervarent; qui, nimium amori illorum indulgentes, non modò filiis nocivam vini potionem ſuadent, ſed eos etiam ad vini guſtationem ultrò cogunt, putantes, ſe millenas filiis utilitates ſeminaturos, ſi eorum ſtomachos vino repleant; cùm tamen aliquando, præter infelix morborum lolium, & dolorum tribulos, nihil meſſuri ſint. Quod Pergameni quondam illius adoleſcentis, Galeni conterranei, Genitores ſerâ didicerunt pœnitentiâ. Hic enim, quòd vinum guſtâſſet, in perpetuas vigilias incidit, & tandem vitam exſpiravit. O utinam! nonnulli parentes, in filios indulgentiores, ſtudioſiùs ſecum ponderarent, pueros vini potu facilè offendi, quòd laxo, raroque corporum habitu ſint, habeantquè inſiti caloris copiam facilè inflammari habilem, caput, cerebrúmque debile: profe-

Cur Pueris vinum noceat.

ctò non tot, quotidiè, in omnium luce & conſpectu, puerorum ſtrages fierent, quot, prô dolor! hâc noſtrâ ætate fieri cernimus; eorum videlicet, qui, minus cautè cum blando illo hoſte colludentes, ſubitò abripiuntur.

Caput IX.

De Motu & Quiete.

Motû carentia putreſcunt.

Quanta ſit Motûs & Quietis neceſſitas, ad diuturnioris vitæ conſervationem, id cuilibet prudenti viro patebit, ſi attentiùs mecum conſiderare placuerit, res motu carentes, levi negotio, putrefactioni obnoxias fieri: quod quotidianus rerum uſus nos docet, in aqua ſtagnante & paluſtri, quæ, ob denegatum ſibi motum, defluendique viam, corrumpitur, putreſcit, & miras perverſitatis notas induit. Cùm, è contrario, aquæ, liberum decurrendi ſpatium nactæ, non modò ab hujuſmodi labe & vitiis ſint immunes; verùm etiam alias corporibus utilitates, ad valetudinis conſtantiam, vitæque longævitatem conducentes, habere videantur. Eâdem omnino ratione, ex denegata corporis exercitatione, tanquam peſſimâ quâdam malorum lernâ, infinita propemodum mala exſurgunt, omnia ad vitæ decurtationem concurrentia. Nam animus, ob languentes ſpiritûs, torporem induit; memoria, ob humorum pituitòſorum coacervationem, in cerebro factam, minuitur; totum corpus frigeſcit; &, prævalentibus humoribus excremetitiis, graves, in meſenterio, obſtructiones, tandemquè cachexiæ, hydropes, aliiquè hujus peſſimæ farinæ morbi naſcuntur: quod Ovidius, Lib. de Ponto, notavit, dum inquit:

Motus vitam prolongat.

Deſidia vitam abbreviat.

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ?

Exer-

Exercitium etenim eſt præcipuum diætæ inſtrumentum, quo illa ad inſiti caloris excitationem & augmentum utitur; teſtante Gal. *lib. 2. de tuend. ſanit.* ubi ait: *omnium autem exercitationum commune eſt illud, quòd, earum auxilio, animalibus, ex ipſorum corporibus, inſiti caloris augmentum excitatur;* vi cujus caloris excitati, ſuperflua, in corpore, excrementa, per ſuas vias, abſcedere coguntur, alimenta, ad partium nutritionem requiſita, probè coquuntur, & partibus alendis rectè applicantur, cunctas in corpore virtutes ſalubri ſtimulo roborando. Ingentem hujus exercitii neceſſitatem docet Hipp. *lib. 1. de diat.* ubi ait: *Homo edens ſanus eſſe nequit, niſi etiam exerceatur. Contrarias enim inter ſe facultates habent cibi & labores; & tamen, inter ſe mixti, conferunt ad ſanitatem.* Hanc quoque exercitationis neceſſitatem confirmat Gal. *lib. de conſtit. art.* aſſerens: *quia verò humorum copia, pravaquè excrementa gignuntur; egemus exercitationibus, quarum nimirum eſt munus, ſuperfluum ſuccum vacuare, excrementa verò concoquere & expurgare.* Aliàs enim, ſi æquo diutius corporibus immorantur; aut copiâ excedente nocent, aut, peregrinâ qualitate contractâ, viſceribus officiunt, eorum calorem opprimunt; ſicque ad coctiones inepta reddunt: quibus hoc modo debilitatis, morborum, & graviſſimorum dolorum myriades naſcuntur; qui viam ad vitam longam ducentem præpediunt, & abrumpunt.

Exercitium quid.

Exercitii neceſſitas.

Huic autem malorum lernæ non ſubjiciuntur Exercitatorum corpora: ſiquidem, tradente Gal. *lib. 10. meth. med. Exercitatio non modò calefacit, ſed etiam inſiti caloris motum, à profundo corpore, extrorſum concitat. Et quemadmodum,* teſtimonio ejusdem Gal. *lib. 2. de tuend. ſanit. in deſidia & intemperantia viventes bonitatem naturæ corrumpunt; ita, è contra, nonnulli, vitioſam corporis naturam ſortiti, temperantiâ vitæ, & tempeſtivis exercitiis, naturæ vitia commutârunt in melius.* Nimirum corporis exercitia nativum calorem augent, aucto calore, vitioſos

Exercitii utilitas.

ſos humores diſcutiunt, concoctiones promovent, nutritionem probam efficiunt, ſenſûs omnes vegetiores reddunt, & alacriores generant ſpiritûs. Denique corporis humani exercitia membrorum ſoliditatem, mutuâ attritione, conciliant, eorumque interventu, omnes tam animæ, quàm corporis functiones laudabiliter obeuntur. Unde clariſſimè patet, homines inſontem ſoſpitémque vitam diu vivere non poſſe, niſi alimentorum delectui exercitia jungant, ſintque impigri ad labores. Nam, teſte Heſiodo, *Dii laboribus omnia vendunt*. Nolunt ſiquidem humani generis cultores, fautoresque Superi, cùm otium, ut omnium vitiorum ſentinam, abominentur, dona ſua patere deſidibus ignaviæ ſectatoribus. Hinc iidem exercitia, & labores conſtituerunt quaſi pretium, quo homines ſibi vitam, dierumque multitudinem poſſint mercari; ſuntquè hæc unicum quaſi inſtrumentum, quo vita longa cuditur. Ubi enim corporis motus & exercitia induſtrium patremfamiliàs agunt, ibi vita longa eſt, & obtinetur.

Verùm enim verò, quemadmodum non quemlibet, ſine differentia, aërem; non quælibet, ſine delectu, eſculenta & potulenta, ad longioris vitæ promotionem facere docuimus: ita etiam non quamvis, abſque diſcrimine, exercitationem, ad conſtantis ſanitatis conſervationem, longiorisque vitæ productionem, facere demonſtrabimus. Et quidem primò, ex Gal. *lib de conſuetud.* ubi ait: *Verùm ipſis exercitationibus, ſicuti & cibo, & potui, vigiliisq; & Veneri menſura congrua adhibenda eſt, quæ rem ipſam neque ultra, quàm par ſit, protrahat, neque etiam de illá adimat: quia exceſſûs diſſolvunt vires; defectûs verò tantum de utilitate detrahunt, quantum ipſi à recta menſura deficiunt. Facultates itaque noſtræ robur ſibi comparant, ſi moderatis congruentibusq; exercitiis foveantur.* Nam commoda, corporibus noſtris ab exercitatione provenientia, à moderatâ proveniunt. Hæc enim langventem calorem excitat: immoderata verò, & la-

Exercitium moderatum.

& laborioſa, eum diſſipat: illa ſpiritûs animoſos generat; hæc, mentis langvorem inducens, eos exhaurit: illa hominem florentem, & ad omnia habilem efficit; hæc inhabilem intentioni acrioribusque ſtudiis reddit, cum productione infinitorum propè malorum: edicente Gal. *de difficult. reſpirat. lib. 1.* ubi inquit: *quin etiam in exercitiis improbis (quòd in eis augeatur quidem caliditas; abſumatur autem animalis ſpiritus) valde velociter, & densè reſpirare ſolemus: quieſcentes verò parum, tardè, raquè: quandoquidem ſic marceſcit caliditas, ſpiritus autem neq; in totum, aut omnino modicè abſumitur.* Hanc quoque ob cauſam, *in Conſilio ſuo, de puero Epilept.* eum tantùm motum commendat Galenus, qui non fatigat: aſſerit enim, *quòd ſi ultra hos,* moderationis ſcilicet, *terminos producatur exercitatio, nonnihil jam attingit corpora ſolida, atque habitudinem ipſam colliquat, in articulis autem potiſſimum, atq; in muſculis, colliquationes congregat: unde virium infirmitas ſequitur: deinde, ulceroſus ſenſus, quando, fatigatus, conatur particulam aliquam movere: atque hoc eſt, quod laſsitudo appellatur. Scopi autem exercitiorum, quoad qualitatem, in eo præcipuè conſiſtunt, ut inde omnes corporis partes, & caput præſertim & ventriculus, roborentur, potiſſimumq; illæ partes, quæ ad os ipſius pertinent: quum igitur vehementes exercitationes caput repleant, ab his illum abſtinere præcipio.*

Dico igitur: illa eſt optima corporis exercitatio, quæ omnes corporis partes æqualiter temperanterque exercet, & cum fructuoſa animi voluptate accidit: quia, ubi omnes corporis partes cum moderamine exercentur, ibi omnium partium calor convenienter excitatur; at ubi calor excitatus moderatè ſe habet, ibi laudabiles caloris effectûs eduntur, ſicquè totius corporis œconomia ritè adminiſtratur, cum firmæ valetudinis conſervatione, & longævioris vitæ conſecutione, præſertim ſi exercitatio cum fructuoſa animi voluptate contingat, quam Gal. *libell. de exercitat. parv. ſphær.* præ omnibus probat,

Exercitationis optimæ utilitas.

bat, inquiens: *Illæ mihi ſanè videntur utiliſſimæ omnium exercitationum, quæ non ſolùm corpus exercere, verùm etiam animum oblectare poſſunt.* Exercitatio enim, cum voluptate facta, non modò partium calorem excitat, auget & conſervat; verùm etiam mentem erigit, ſerenat, acuit, curas excutit, hilaritatem adfert, gratioſum juventutis florem conſervat, canitiem retardat, vitam denique longiſſimè prorogat. *Unde* (ut idem Gal. *libell. de exercitat. parv. ſphær.*) *& ſapientes, & naturæ humanæ illos probè fuiſſe peritos, quicunque venationes, & alias animalium capturas, primi omnium adinvenerunt, laborem, qui in illis eſt, voluptate, oblectatione, laudisq; cupiditate lenientes, & temperantes. Adeò enim potentes ſunt, quæ in id genus exercitiis contingunt, motiones animi, ut multi morbis ſæpe liberati, eâ delectatione, fuerint: multi rurſus ex nimia conturbatione in morbos inciderint.*

Venatio delectat.

Hîc autem obſervandum eſt, quòd non omni, ſine differentiâ, ætati; non omni, ſine diſcrimine, hominum ſtatui, eadem conveniat exercitatio: quia puer, ob partium mollitiem, levioris tantùm exercitationis capax, non eſt graviore facilè tentandus labore; oneri enim portando impar, ſuccumberet; *ſed* (ut Gal. *lib. 1. de ſanitat. tuend.* inquit) *cùm luctari condiſcit, mediocriter inibi, ante cibum, exerceri ſat erit*, paulatim aſcendendo ad graviorem exercitationem; creſcente nimirum partium duritie & habilitate. Sic etiam ſenes, eximii plerunque otii & quietis oſores, iis ſunt exercendi laboribus, quibus, per potiorem vitæ ſuæ decurſum, aſſveverunt; jubente Gal. *lib. 5. de ſanit. tuend.* ubi dicit: *Senibus verò, quæ præcipua ad ſanitatem exercitia ſunt, hæc per valentiores corporis partes ſunt obeunda. Sed habenda conſuetudinis eſt ratio. Nam quæ conſueta ſunt, ut minimè laſſantia, quos exercent, etiam delectant: ſicuti, è diverſo, quæ inſueta ſunt, tum diſplicent, tum verò laſſant. Senes igitur conſuetis laboribus exercendi ſunt; ſed tamen vehementiâ eorum omiſſâ.* Ratio eſt: quia debilis ſenum calor laboris vehe-

Exercitationis differentiæ.

Conſveta Exercitatio concedenda.

vehementiâ facilè reſolvitur, & in auram abit; ſicque præceps vitæ labentis finis ſequitur. Nulla verò ætas ferendi laboris capacior eſt, quàm virilis, ob vigentes, penes hanc plerunq; ætatem, vires; teſtante Gal. *lib. 5. de tuend. ſanitat.* ubi inquit: *optimi ſtatûs corpus, ſicuti, in juventute, ad vehementiſſimos quosq; labores maximè idoneum eſt, ita in ſenectute ſe habet ad omnes mediocres.*

Neque tamen hîc ſuâ quis opinione decipiatur, maleque putet, quòd quilibet, cujuscunque etiam ſtatûs, homines in optimo ætatis flore conſtituti, ad vehementiſſimas corporum exercitationes ſint habiles. Si enim à primis juventutis ſuæ annis iis non aſſveverint; intenſioribus, paucorum dierum, laboribus, non modò notabile virium diſpendium facient; ſed etiam eò miſeriarum devolventur, ut, exhauſtis, præter modum, ſpiritibus, aucto, præter naturam, ab exercitationibus immoderatis, calore, in indiſſolubiles morborum compedes incidant; qui tandem, immanitate ſuâ naturæ prævalentes, præmaturum vitæ epilogum claudent. Hoc divino quaſi inſtinctu cognovit Seneca, *Epiſt. 15. ad Lucil.* ubi dicit: *Stulta eſt, mi Lucili, & minimè conveniens literato viro, occupatio exercendi lacertos, & dilatandi cervicem, ac latera firmandi*: quia hæc corpora non aſſveta concutiunt. *Sint exercitationes & faciles & breves, quæ corpus, & ſine mora, laxent, & tempori parcant. Dandum eſt aliquod intervallum animo, ita tamen, ut remittatur; non verò reſolvatur*: quod vehementioribus laboribus evenit. Hinc *loco jam citato*, idem Seneca monet: *Quidquid facies, citò redi à corpore ad animum; illum diebus ac noctibus exerce, quia labore modico ille alitur.*

Delicatorum Exercitium.

Obſervandum eſt, ſecundò, quòd, licet omnibus congrua ſuæ conſtitutioni exercendi libertas detur; iis tamen, quorum corpora craſſa, cacochymicâq; impuritate abundant, ante perverſorum humorum evacuationem, tutò exerceri non

 poſſint.

Cacochymicorum Exercitatio.

poſſint. Quemadmodum enim mordaciſſimi canes, altiùs dormientes, non ſunt irritandi: ita quoque humores cacochymici, in corpore abundantes, per exercitationem non ſunt commovendi: quia, in anguſtioribus venarum ductibus, per exercitationem, facilè incaleſcunt, putreſcunt, variasque afflictiones pariunt: quod teſtatur Gal. *in comment. aphoriſm.20. ſect. 3.* ubi dicit: *Nam etſi ipſa alioquin exercitatio corporis ſit ſaluberrima; ſi tamen hominem pituitâ plenum, aut bile alterutrâ, aut etiam ſanguine ipſo, exercere volueris, ei epilepſiam, tali exercitatione, contraxeris: aut, ſi ipſa non accidant, periculum certè imminebit, ne, rupto aliquo, in pulmone, vaſe, in morbum incidat incurabilem. Multi etiam, cùm febricitare cepiſſent, propter exercitationem, acutiſſimis morbis ſunt correpti.* Hanc quoque ob cauſam Avicenna, Arabum Medicorum Princeps, *tert. in prim. doctr. 2. cap. 3.* ait: *quà inceptio exercitii præparatur, oportet, ut corpus ſit mundum, & ne in partibus intraneorum & venarum chymi ſylveſtres & mali exiſtant, quos exercitium in corpore diffundat.*

Exercitationis genera varia.

Varia autem, eaque multiplicia exercitationum ſunt genera; quarum aliæ, quia ſine vehementia accidere non valent, totum æqualiter corpus exercent: ut ſunt parvæ pilæ luſus, vehementes gymnaſtarum, in palæſtra colluctantium, acrochiriſmi & ſciamachiæ, fortiores curſûs, velociores, in ſaltu artificioſo, crurum motûs, reliquique omnes ferè manuum labores, qui plerunque gravem corporis agitationem requirunt. Hoc modo Gal. teſtimonio, *lib. 2. de ſanitat. tuend. fodere eſt robuſta exercitatio: ſimiliter &, quatuor ſimul equos habenis coërcere, impensè robuſta exercitatio eſt, non tamen celeris.* Hûc quoque referri poterunt graviſſimi trituratorum, meſſorum, aliorumque opificum labores; qui cum inſigni conatu perficiuntur, &, modum excedentes, nocent; quia, ſpiritûs exhauriendo, calorem diſſipando, corpus refrigerant, muſculorum, nervorum, & reliquarum partium ſolidarum robur,

robur, & virtutem diſſolvunt, ſicque ad conſtitutos à Deo vitæ terminos præſcindendos concurrunt.

Aliæ ſunt mediocres exercitationes, quæ, mediocriter corpora exercentes, absque notabili virium detrimento, contingunt, quin imò virtutem roborant: ut equitatio, deambulatio &c. quibus, docente Galeno, *lib. 2. de tuend. ſanitat. qui exercetur, ſimul & agit, & agitatur.* In quibus ſi modus ſervatus fuerit, corpora pura redduntur, defluxiones catarrhoſæ impediuntur, virtus univerſi corporis florida ſervatur, vita denique longæva fundatur, & radicatur. Exercitationes mediocres.

Aliæ ſunt exercitationes, certas tantùm corporis partes moventes: ſic, docente Hipp. *lib. 2. de diat. labor viſûs, auditûs, vocis, curarum, caput exercent: anima enim in id, quod videtur, intenta movetur, & caleſcit: calefacta verò, evacuatâ humiditate ſiccatur: per auditum, illabente ſono, anima concutitur, & laborat; laborans autem caleſcit, ac ſiccatur: quæcunq; ab hominibus cum cura & ſtudio fiunt, ex iis anima caleſcit, ac ſiccatur, &, humiditate conſumptâ, laborat, & carnes attenuat, & hominem evacuat: quicunq; labores vocis ſunt, velut ſermo, aut cantus, omnes hi animam*, id eſt, virtutem *movent.* Caput nimirum, per hoſce labores incaleſcens, à phlegmatum gravamine liberatur; viſus, amotis impedientibus oculi diaphanum humoribus, ſerenatur; auditus, ſublatis aures affligentibus excrementis, ſubtilis redditur; vociferatione pulmones dilatantur, &, ex ſufflata fuligine, repurgantur. Hinc Seneca, *Epiſt. 15. ad Lucilium*, inquit: *Nec tu intentionem vocis contempſeris, quam veto per gradûs, & certos modos attollere, deinde deprimere: non enim clamatur, ut vox exerceatur, ſed ut exerceat*, nimirum pulmones, quos repurgat. Propterea etiam Gal. *lib. 2. de tuend. ſanitat.* docet, quòd *vox vehemens omnia vocis inſtrumenta commoveat.* Ideo & ipſe Hipp. *lib. 3. de diat.* vocis exercitationem commendat, inquiens: *Vocis quoq; exercitatio valdè commoda eſt: humidita-* Exercitationes partiales.

ditatis enim evacuationem faciens, rarefacit carnem. Atque ita clarum fit, dari exercitationes, quæ unam tantùm, aut pauciores corporis partes, commovent.

Hîc notandum: quòd non ſufficiat, de exercitationis qualitate egiſſe, niſi etiam aptum ad exercitationem tempus doceatur. Exercitatio enim, ex natura ſua bona, & moderata, tempore tamen non opportuno facta, nocere poteſt. Quemadmodum enim in Civitate, ubi quodvis ſuo tempore, ac ordine, ex legum præſcripto, confit, omnia laudabiliter, ſtrenuéque geri dicuntur: ſic cuncta in homine ritè peragentur, ſi ſingula, ad ſanitatis conſervationem facientia, ordinato fiant tempore. Nam, teſte Gal. *lib. 2. de pulſ. cauſ. ordo, & aequalitas, naturæ, ſi quid aliud, eſt familiaris.* Unde, ut exercitationes, ad corporis ſanitatem requiſitæ, opportuno contingant tempore, amicè ſvadeo. Commodius verò, & ſalubrius exercitationis tempus non invenio, quàm quod cibum præcedit: quod confirmat Gal. *lib. de Euchym. & Cacochym.* ubi dicit: *Verùm, ad ſanitatem tuendam, ſi ante cibum corpora moderatè exerceantur, mirum in modum prodeſt*; quia, docente eodem Galen. *lib. 2. de tuend. ſanit. Exercitatio roborat, & ad excrementitiorum inanitionem adjuvat, etiam exiguos meatûs expurgat, & excrementa expellit, ſi ante cibum eam adminiſtrari contingat.* Summam exercitationis hujus utilitatem advertens Divinus noſter Senex Hippocrates, *lib. 2. de diat.* matutinas deambulationes commendat. Ait enim: *matutinæ deambulationes attenuant, & partes circa caput leves, & agiles, ac promptas reddunt, & alvum ſolvunt.* Quia tempore matutino, poſt ſomnum placidè peractum, non modò omnes corporis concoctiones ſunt abſolutæ; quod ex laudabilibus urinæ notis colligitur: verùm etiam omnes corporis partes ſuo ſunt refectæ alimento; quod ex earum agilitate, & ad omnia promptitudine, luculentiſſimè patet. Cùm verò, poſt cujuslibet viſceris concoctio-

Exercitationis tempus.

coctionem, poſt cujusvis refectionem, *ſuperfluitatum quarundam excrementitiarum generatio ſequatur*, ut inquit Gal. *lib. 1. de tuend. ſanitat. natura non ſolùm eis excernendis inſtituit organa; verùm etiam ipſis organis facultates inſeruit*, quibus exercitatio fert ſuppetias, omnem humorum ſuperfluitatem per ſuas expellendo vias. Hanc ob cauſam Hipp. *lib. 2. de diæt* docet, quòd *labor corpora ſiccet, & robuſta faciat*: inutiles nimirum ultimi partium alimenti reliquias evacuando, & partium calori, à natura inſito, virtutem addendo.

An verò, jam ſumpto prandio, & cœnâ, commotio proſit, an obſit: multum à Medicis diſceptatur. Alii enim volunt, quòd, refectis ſufficienter cibo & potu corporibus, moderatus conveniat motus, ut non modò cibi ingeſti eò promptiùs ventriculi fundum ſubeant, & exquiſitiùs coquantur; verùm etiam, ad digeſtionem perficiendam, requiſitus calor excitetur, augeatur, & juvetur: docente taliter Ariſt. *2. poſter. cap. 21.* ubi ait: *Sanum eſt, poſt cœnam ambulare, quia facit deſcendere cibum in fundum ventriculi, ubi coquitur.* Alii, è contra, omnem, poſt cibum ſumptum, laborem & motum prohibent; quorum Coryphæus Galenus, *lib. de euchym. & cacochym.* cujus ſententia eſt: *qualiscunq; poſt cibum motus, alimentum ex ventre crudum in diverſas corporis partes diſtribuit.* Vult nimirum Galenus, intempeſtivum corporis motum plurimùm ſanitati nocere; eò, quòd alimentum, relaxato inferiore ventriculi orificio, putat trahi in corporis habitum; indeque puritum, ſcabiem, lepram alióſque intercutaneos oriri morbos. Verùm quis mortalium tantâ oculorum caligine laborat, ut quotidiano rerum uſu contrarium non videat? Quis, amabo, non cernit indies laborioſum quodcunque hominus genus, cibo potuque refectum, ad conſvetos ſibi labores redire? Quis diligentiorem quemque, in rebus œconomicis, patremfamilias, peracto prandio, complicatis ſub axilla manibus feriantem reperit?

An poſt cibum exercitatio conveniat?

Corpora ſumpto cibo exercentur.

reperit? Nonnè doctiſſimi literarum cultores, finitâ prandii refectione, ad ſvaviſſima cum amicis colloquia, cachinnum, deambulationes, ludos, aliasque, quæ animum & corpus reficiunt, exercitationes ſeſe conferunt: quarum uſu egregiè corpora reficiuntur: quod revera non fieret, ſi coctio exercitatione læderetur? Nonnè omnes ſuum, cibo ſumpto, laborem mox repetunt opifices? Nonnè mox ad duriſſimum aratri jugum revertitur agricola? Ita reverà eſt; atque hoc pacto longævitatem perpetuo mercantur labore. In quam rem aptè Cato: *Non votis, neque muliebribus ſupplicationibus, non otio, Deorum auxilia comparantur: vigilando, agendo, ſudando omnia proſperè cedunt: ubi ſocordiæ atq; ignaviæ te tradideris, nequicquam Deos implores: irati infeſtiq; ſunt.* Hinc veriſſimum eſt, quòd, quò ſunt labores duriores, eò homines, iis exercitati, ſunt magis longævi. Ego plurimos novi, in hac urbe noſtra Echinopolitana, cives annoſiſſimos, qui totam, in duriſſimis laboribus, vitam egerunt. Novi etiam magnum, in circumjacente noſtro agro, agricolarum numerum, qui omnes, toto vitæ ſpatio, graviſſimis agitati laboribus, ſine omni morborum inſultu, ad tantam annorum ſeriem progreſſi ſunt, ad quantam è millibus, delicatioris ſtatûs, vix unus pervenit. Hanc ob cauſam Galeno, qualemcunque laborem, à cibo ſumpto ſuſceptum, damnanti ſubſcribere non poſſum. Minùs etiam Mercuriali, eundem Galenum, in hac doctrina, defendenti; quia experientiâ, quotidianâque avtopſiâ aliud edocemur. Niſi fortè quis velit, Galenum, ejúsque, in hac ſententia, aſſeclas, non eſſe, niſi de valetudinariis, & delicatioris conſtitutionis corporibus intelligendos: quæ etiam minimo venti peregrini afflatu læduntur.

Quare tales cuilibet corporis exercitationes ſvadeo, qualibus aut à teneris, aut annorum ſucceſſu, aſſvevit; ſive illæ ſpeculando, ſive opus externum operando, ſive ſedendo, ſive

ſive ſtando, ſive eundo, aut equitando, aut alio demum quocunque modo peragantur: hâc tamen conditione, ut & conſvetudinis, & moderationis ſit memor, neque ad extremam defatigationem exercitationes producat. Quia Gal. *lib. de exercitat. parvæ ſphær.* dicit: ***Nimium quod eſt, reprehendo ſemper, omnemq́, quâ exerceri velimus, artem moderatam eſſe volo; quæ ſi modum excedat, jam bona eſſe deſinit.*** Si igitur corpora exercitatione egeant, eandem repetere præſtat, quàm unâ vice excedere. Quemadmodum enim lapis ſæpius volutatus non obducitur muſco; ſic etiam corpus, cum honeſto moderamine ſæpius agitatum, perverſâ humorum ſentinâ non inquinatur. Nam moderata corporis commotio ſine virium ſtrage procedit; quin imò calorem blandiſſimè excitat, & ad vigorem competentem redigit; cum integræ valetudinis conſervatione, & longioris vitæ prorogatione.

Quivis exercitio conſveto exercendus.

Ultimo, de motu adhuc monendum eſt, ut, pro varietate anni, ejusq́; temporum mutatione, etiam corporis motus varietur. Nam, tempore hyemali, fortiores corporis exercitationes conveniunt, quàm reliquis anni temporibus; quoniam, ob arctiorem pororum occluſionem, non tam facilis, ac tanta contingit virium jactura, quanta patentibus, æſtivo tempore, poris accidere ſolet. Quare ſummâ opus attentione, & cautelâ, ut, pro quadripartita anni mutatione, etiam mutentur exercitationes; & ne nocivi, iis temporibus, fiant, in motibus, exceſſûs.

Anni tempus in motu ſpectandum.

Jam, quemadmodum moderatus exercitationis uſus, legitimo debitóque tempore adminiſtratus, ad ſanitatis, vitæque longioris conſervationem plurimum adjumenti confert: ita etiam moderata corporis quies non parum ad eandem emolumenti addit. Etenim, à toleratis laboribus, quies ad novos labores homines præparat, ſicq́; homines quiete vigent: juxta concinnum illud & venuſtum Ovidii Carmen, 4. *Epiſt.*

Quies competit.

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt:
Hæc reparat vires, feſſaq́; membra levat.

Naturæ nimirum expedit, ut corporis membra, labore exhauſta, quieſcant; quieſcendo defatigati laboris diuturnitate, aut vehementiâ, artûs reficiantur, atque ita moderatâ laboris intermiſſione, ad novos labores promptiores fiant. Nam unicum, illúdque præſentiſſimum laſſitudinis remedium, & laboris condimentum, eſt quies; teſtante id Hippocrate, *aphoriſ. 48. ſect. 2.* ubi inquit: *Quoquomodo corpus moveatur, ſimul ac laborare cœpit, quies ſtatim laſſitudinem levat. Quo enim modo exercitia exſiccare ſolent, eo etiam quies corporum ſervat humiditatem.* Cui adſtipulatur Galenus, *in comment. aphoriſ. 13. ſect. 4.* Unde Ariſtoteles, *lib. 8. polit.* ait: *Omnis laborans quiete indiget; quia illa vires emollit, ut rubigo ferrum.* Quod etiam agnoſcens Poëta, non minùs venuſtè, quàm veritati conſonè, canit:

Quies quid præſtet?

Otia corpus alunt; animus quoq; paſcitur illis;
Immodicus, contrà, carpit utrumq; labor.

Hac de cauſa docet divinus Hippocrates, *lib. de flat.* quòd *labori quies; & quieti labor opituletur.* Nam, tradente Galeno, *in comment. aphoriſ. 14. ſect. 4. Quies corpora ſervat, mutat & alterat motio.* Damna nimirum, per laboris exceſſum aut vehementiam illata, quiete congruâ reſarciuntur; uti, è contrà, immodicæ quietis nocumenta, opportunâ corporis exercitatione emendantur. Unde moderata quies non modò eſt probatiſſimum morbis, ex immodica exercitatione naſcentibus, antidotum; verùm etiam plurimæ aliæ infirmitates quiete, tanquam validiſſimâ quâdam Herculis clavâ, trucidantur: ut dyſenteriæ, lienteriæ, diarrhœæ, reliquaque alvi profluvia, à nulla re faciliùs, quàm quiete, placantur. Quâ etiam ratione motus Celſus, *lib. 1. de medic. cap. 6.* dicit: *Quem frequenter cita alvus exercet, ſemper debet, poſt cibum, quieſcere, &*

Moderata quies.

neq;

neq; intendere animum, neq; ambulatione, utcunq; etiam levi, dimoveri. Quieſcente enim corpore, natura non modò coctioni, ſed etiam morborum evictioni ſtudet; atque hoc modo, cauſam morbificam aggrediendo, digerendo, expellendo, & annihilando, alvi profluvia ſiſtit; pleuritides, & pulmonum vitia, ſputum facilitando, curat; aliosque graviſſimos morbos ſolvit, quos, absque quietis interventione, difficile, quin imò impoſſibile eſt, ſolvere. Quæ omnia de quiete moderata intelligi velim. Quies enim immoderata, otium, ſeu ignavia dicta, horrenda cùm animo, tum corpori detrimenta adfert. Nam ventricoſos homines efficit, artuum torporem generat, calorem innatum, ob pituitæ, aliorumque humorum excrementitiorum cumulationem, refrigerat; gratioſum faciei decorem in decolorem pallorem mutat; poros obſtruit; viſcera excrementis replet; tenaces venarum obſtructiones promovet; indequè paulatim diverſa fluxionum genera oriuntur, apoplexiæ, catarrhi ſuffocativi, & improviſæ mortes ſubintrant; afflictoque fortiùs nervoſo genere, epilepſiæ invadunt; lethargi & comata naſcuntur, atrociſſimi articulorum dolores gignuntur. Hinc, teſte Lipſio, *Cent. 2. epiſt. 57. Ignavi animi ad primum ictum concidunt:* hoc eſt, ut ego interpretor, ad minimum morbum, ex natura ſua non adeò periculoſum, otioſi aut moriuntur, aut in morbos chronicos, id eſt, diutiſſimè durantes, incidunt.

Ignaviæ vituperium.

In deſidioſis enim humores in ruinam abeunt, & putreſcunt: ſicut aqua, decurſu carens, quæ ſtagnat in foveis, putreſcit, & uſui humano aliena efficitur, repleturquè inſectis pernicioſis.

Non minora animo nocumenta parit otium: quia generoſas animi dotes & auſûs diſſolvit, judicium obtundit, memoriam aufert, ignorantiam fovet, rerum præclararum, & honeſtam indolem decentium, oblivia inducit, bonorum & ſalu-

Otium animo nocet.

ſalubrium conſiliorum immemores reddit; ſicquè ad honorifica rerum publicarum gubernacula inhabiles facit; & tandem in pravos diſſolutioris vitæ mores ignavum præcipitat. Omnes denique tam Philoſophi, quàm Medici, unanimi prorſus conſenſu otium abominantur, & proſcribunt; non modò, quòd animo inertem tabem afflet, verùm & corpora morbificis affectionibus obnoxia faciat, vitæquè diuturnitati quàm maximè obſit.

Otium vitæ officit.

Quare, cùm immodica quies tanto malorum cumulo non modò corporis ſanitatem obruat, ſed etiam mentis ſerenitati vehementer officiat, ſicque ad abbreviandum vitæ terminum, quem Deus cuilibet conſtituit, efficaciſſimè concurrat; cuivis hominum ætati, ſexui, & conditioni officioſè ſvadeo, ut eâ quisque corporis quiete fruatur, cui ex longa conſvetudine aſſvevit: quia hæc quandoque longiorem, quandoque breviorem quietem poſtulat: aut qualis temperamento competit. Calidioris enim, ſiccioris, & bilioſioris conſtitutionis corpora, longiore quiete opus habent, quàm phlegmaticæ complexionis; quòd in his, per largiorem quietem, phlegmata cumulentur, quæ exercitio liberaliore ſunt attenuanda, incidenda, & evacuanda: in illis verò humorum caliditas & acrimonia, quietis beneficio, obtunditur, langventes viſcerum ſpiritûs reficiuntur, humoris utilis recollectione partium ſiccitas reparatur. Ut igitur corporum, eorumque complexionum tutela examuſſim inſtituatur, ſicquè vita quàm diutiſſimè protrahatur, annuorum quoque temporum mutationes ſpectemus, neceſſe eſt: quia, juxta horum mutationes, etiam quies mutari debet. Liberaliori enim quieti ſiccioris complexionis homines indulgere debent, æſtuante Sirio; ob patentiores poros, per quos, à calore ambiente, internus calor copioſiùs evocatur, partes debilitantur, ſanitas evertitur, & vita abbreviatur. Cùm igitur per quietem corpora refrigeren-

Quæ quies ſalutaris.

gerentur, tutius fuerit, ſicciora corpora liberaliùs quieſcere, quàm pituitoſæ conſtitutionis: quia calore phlegmata attenuantur, digeruntur, & per vias, à natura aſſignatas, abſcedere coguntur; atque ita corpora à copioſiore ſaburra liberantur, liberata meliorem valetudinem conſequuntur, &, ad vota, longiore potiuntur vitâ.

CAPUT X.

De Somno, & Vigilia.

POſtquam de Motu & Quiete ſufficienter actum eſt: *Somnum*, & *Vigiliam*, animæ ſentientis affectûs, ad ſanitatis conſervationem, vitæquè productionem, plurimum adjumenti conferentes aggredimur; in primo ſtatim, ut dicitur, limine quærentes: quid ſit Somnus? cui quæſtioni diverſi Authores diverſè reſpondent: inter quos Ovidius, *lib. 2. de Amor. eleg. 9.* inquit: Somni definitio Authorum.

Stulte, quid eſt Somnus, gelidæ niſi mortis imago?

Cui ferè conſentientem habemus Virgilium, *6. Æneid.* dicentem:

Dulcis & alta quies, placidæq́ ſimillima morti.

Hujus etiam ſententiæ eſt Galenus, dum, *lib. 3. de cauſ. pulſ.* ait: *ſi alimenti elaborationem excipias, quæ communis ſomno cum viventibus adeſt, cætera mortem referunt: non videre, non audire, nihil intelligere, vel cogitare, vel ſentire, ratione carere, ac, breviter, projectum eſſe; quid igitur aliud ſomnus, communi ſenſu ablato, quàm ad interitum via?* Hâc ratione alii ſomnum ſvaviſſimum mortis fratrem dixerunt.

Averroës aſſerit: *Somnus eſt ligamentum & quies ſenſuum, & reverſio ipſorum, ab inſtrumentis eorum, ad partem intrinſecam.* Avicenna dicit: *Somnus univerſaliter eſt reditus ſpiritûs animalis, ab inſtrumentis ſenſuum & motuum, ad principium, cum quo* pri-

priventur ipſorum inſtrumenta, à ſpiritibus in actu, niſi quæ neceſſaria ſunt ad hoc, ut vita permaneat. Ariſtoteles, *lib. de ſomno & vigil.* docet: *Somnus eſt impotentia ſenſuum, ab utili humore, cerebrum imbuente ac aggravante proveniens.* Gal. denique, *lib. Iſagog.* inquit: *Somnus eſt quies vacatioquè ab animariis actionibus.* At ego, ſalvis aliorum virorum ſententiis,

Noſtra Somni definitio.

Dico: Somnus naturalis eſt omnium ſenſuum externorum ligatio, à vaporibus, moderatâ frigiditate, utilique humiditate præditis, cerebrumque penetrantibus, facta, ad hominum ſalutem, & quietem. Dico: eſſe ligationem omnium ſenſuum externorum; quia, ſi unus, non ſopitus, operi & actioni vacet, non jam ſomnus, ſed vigilia nuncupari debet. Dico: ad ſalutem & quietem hominum; quia ſæpius, vi humoris ſummè frigidi, & narcotici, in corpore redundantis, accidit, ut omnes ſenſûs obtorpeſcant, hominesque, ſine ſenſu & motu obdormientes, penè mortui jaceant: ut in lethargo: & tamen hæ ſenſuum feriæ ſomnus naturalis dici non poſſunt; cùm in ruinam, & perniciem vergant. Dico: à vaporibus, moderatâ frigiditate, utilique humiditate præditis, & cerebrum penetrantibus; quòd frigiditas moderata ſit cauſa efficiens ſomni naturalis: hæc enim ſola ſenſûs ligat; utilis verò humiditas eſt cauſa ſomni materialis. Quòd frigiditas ſit cauſa ſomni efficiens, probatur primò, authoritate Hippocratis, *lib. de liquid. uſu,* aſſerentis: *Aqua, corpori admota, aut refrigerat, aut humectat: unde ſomnum conciliat, capiti affuſa, & aliis partibus*: quia frigore meatûs coarctantur, ut ſpiritus tranſire nequeant. Hanc ob cauſam *hyeme ſomni ſunt longiſſimi*, ut docet idem Hippocrates, *aphoriſ. 15. ſect. 1.* quia *pituita, in homine, hyeme augetur, ut quæ hyemi maximè ſecundùm naturam conveniat, ex omnibus in corpore exiſtentibus; frigidiſſima enim exiſtit,* tradente eodem Hippocrate, *lib. de natur. homin.* & Galeno, *lib. 2. de natural. facultat.* ubi ait; *pituita frigida & humida eſt,*

cum

cum qua albicans ille ſuccus, quem mucum appellat Prodicus, frigidus atq; humidus eſt. Quòd autem humiditas ſit cauſa materialis ſomni, teſtatur Hippocrates, *lib. 3. de diat.* ubi inquit: *ſomnus contingit carne humectatâ*, quaſi vellet dicere: cauſa ſomni materialis eſt humectatio carnis, ſeu carnoſæ ſubſtantiæ, per univerſum corpus, facta à ſangvine extra venas effuſo, & novo, ex ſtomacho, affluente ſucco, ita quidem, ut ſpiritûs, animæ inſtrumentum, liberè moveri non poſſint, ſed, præcluſo, ab alimenti copiâ, aditu quieſcere cogantur. Somni cauſa.

Probatur 2. ratione: ſomnus contingit, quando ſenſûs ita ligantur, ut ab omni opere quieſcant; ergo illa meritò eſt ſomni cauſa cenſenda, à qua illa ſenſuum externorum ligatio accidit: atqui ſenſuum externorum ligatio contingit à vaporibus cerebrum penetrantibus, ab ejusdem frigore nativo concretis, & meatûs illos obſtruentibus, per quos ſpiritûs animales migrant ad ſenſûs externos; ſine quibus hi nihil operari poſſunt: ergo vapores, è ſtomacho, totoquè corporis habitu, ad cerebrum delati ſunt cauſa ſomni. Hanc ob cauſam infantes, & pituitoſæ conſtitutionis homines, ad ſomnum magis ſunt proclives: quia hi ſicci, utili humiditate carent: illi verò vaporoſis humoribus, cerebrum petentibus, abundant; ergo legitima ſomni cauſa ſunt vapores ad cerebrum delati. Tertiò, quotidianâ rerum experientiâ docemur, quòd multi, ob inediam, inſomnes noctes ducant; cùm,ècontra, cibo repleti, facilè dormiant: quia his ciborum copiâ refectis congrua vaporum neceſſitas ſuppeditatur: illis verò, ob alimenti defectum, vapores, ad ſpirituum ligationem requiſiti, denegantur. Ergo vapores, ex ſtomacho, reliquoquè corpore elevati ſunt cauſa ſomni.

Primarias has ſomni cauſas aliæ quoque quaſi ſecundariæ ſubſequuntur: quales obveniunt, aut in crapula & ebrietate, ubi, ob largiorem vini potum, cerebrum nimio vapore Somni cauſæ ſecundariæ.

repletur: aut ubi, ob vigiliarum exceſſum, & laboris vehementiam, ſomnus obrepit: eò, quòd natura, virium reficiendarum cauſâ, ad interiora ſangvinem & ſpiritum revocans, cerebrum humectare videtur. De hiſce Galenus, *lib. 3. de pulſ. cauſ.* inquit: *Fit ſomnus, ubi calor nativus, aut ex fatigatione, & nimia ſiccitate, ad alimentum ſeſe convertit: aut ubi, ob immodicam humiditatem, foràs nequit progredi. Quorum primus naturalis & ſaluber exiſtit: ſecundus autem, qualis in comatibus & lethargis, præter naturam eſt.*

Somni dignitas & neceſſitas,

Quanta ſit ſomni dignitas, & quanta ejus, ad totius corporis conſervationem, neceſſitas, id facili negotio, ex divino Hippocrate, *lib. de inſomniis*, patebit, ubi inquit: *Qui de his, quæ per ſomnos contingunt, rectè conjectaverit, is ea per omnia magnam vim habere comperiet: dum enim corpus quieſcit, animus movetur, &, in corporis partes ſubrepens, domum ſuam regit, omnesq; corporis actiones obit.* Ita revera eſt, ut moderatum hominis ſomnum reſolutæ virtutis reſtaurationem, & defatigati corporis, ſenſuumque attritorum, requiem & refocillationem appellare jure meritiſſimo valeam: quia ſomnus genuinum partium calorem, fideliter circa nutrimenti materiam operantem, intrinſecus excitat, roborat, & ad digerendum habilem efficit. Hocque modo verificatur illud Haly Abbatis, quòd *digeſtionis bonitas, & humorum concoctio, temperato ſomno debeatur.* Cui Ægineta, *de re Medic. lib. 1. cap. 97.* ſuffragatur, dicens: *ſi quis rectè ſomno indulſerit, multa emolumenta ſibi vendicat: bonam ſcilicet digeſtionem, dolorum mitigationem, laſſationis ſolamen, animi ægritudinum oblivionem, tabidi corporis ſaginationem, animi confortationem, & mentis clarificationem.*

Moderati ſomni commoda,

Nam moderatus, & omnibus animantibus communis ſomnus, innuente Hippocrate, *lib. de flatib.* exhauſtas à laboribus cùm animi, tum corporis vires reficit; illata, per exercitationes ſpirituum, damna reſarcit, cum inſigni caloris nativi redintegratione;

tione; cor confortat, omnium viſcerum & partium, concoctioni præfectarum, digeſtionem promovet. Nam, teſtante Galeno, *lib. 12. meth. med.* per ſomnum pernicioſæ corporum cruditates averruncantur, debilitata cujusvis partis virtus inſtauratur, univerſi corporis partes, competente alimento, nutriuntur, & reſiccatæ humectantur: curæ ac ſolicitudines ſopiuntur, reliquæ cerebri afflictiones demuntur, omnes dolores, ex quacunque cauſarum ferocia nati, beneficio ſomni, leniuntur. Ut hoc modo veriſſimum ſit illud Menandri, dicentis: *Somnus eſt corporis ſalus:* quia nimirum æſtuantem, in febribus malignis, ſangvinis ardorem reprimit, docente id Hippocrate, *lib. de flatibus*, ubi inquit: *Cùm corpus ſomnus invaſerit, ſangvis frigeſcit: quia à natura ſomno frigefaciendi vis ineſt.* Si itaque *ſomnus calorem & deliria ſedat, bonum*, juxta *Aphoriſ. 2. ſect. 2.* quia indicatur, quòd vaporum, ex accenſa humorum cloaca, ad cerebrum adſcendentium, & deliria excitantium, calor & acrimonia per ſomnum mitigetur, & ad quandam mediocritatem redigatur. *Quicunque verò, ægrotantes, neque interdiu dormire poſſunt, neque noctu, valdè periclitantur:* dicente Hippocrate, *lib. 2. prognoſtic.* quia, *quo in morbo ſomnus laborem adfert, eſt mortiferum:* juxta *aphoriſ. 1. ſect. 2.* Nam continuæ vigiliæ calidiſſimam & ſicciſſimam cerebri intemperiem indicant, & longiſſimum naturæ, à ſtatu ſibi competente, receſſum: quo in caſu facilis caloris reſolutio contingit, quam mors præmatura non raro ſequitur. Somnus corporis ſalus.

Denique ſomnus naturalis moderatus, qui conſvetudini, & naturæ inſtituto correſpondet, tanta corporibus beneficia præſtat, ut ab Hippocrate, *lib. 6. de morb. vulgar. ſect. 5. verſ. 9. viſcerum cibus* nominari meruerit. Ad ſomni verò moderati perfectionem quatuor obſervanda occurrunt. Primò, tempus, quod deſcribit Hippocrates, *lib. 1. præſag. Coac. aphoriſm. 497.* & *lib. 2. Prænot.* in hunc modum: *Quod ad ſomni rationem* Somni tempus.

attinet, quemadmodum ſecundùm naturam conſuetum nobis eſt; interdiu quidem vigilare; noctu verò dormire oportet. Ab hac conſuetudine ſi quis aberraverit, pejor erit ſomnus, qui à tertia diei parte, ad noctem uſque, capitur, quàm qui matutino tempore fit. Peſſimum tamen eſt, ſi ſomnus neque diu, neque noctu accidit; id enim vel ob dolorem laborem, contingit, vel delirium futurum ſignificat. Ex quibus Hippocratis verbis luculentiſſimè apparet, aptiſſimum, ſaluberrimumque dormiendi tempus eſſe noctem; huncque in finem noctem Dei præpotentis verbo creatam eſſe. Rectè etiam Livius, *Decad. 1. lib. 9.* ait: *Nox ad quietem data eſt, naturæ beneficio, mortalibus*: quia *noctes diebus ſunt tranquilliores, propter Solis abſentiam*: ut aſſerit Ariſtoteles, *2. meteor. cap. 2.*

Hûc quoque reſpiciens Paulus Ægineta, *lib. 1.* dicit: *Nocturni ſomni omnium ſunt præſtantiſſimi: ſiquidem nox, naturali humiditate & quiete ſuâ, animum in ſomnum deducens, concoctionem omnibus modis abſolvit.* Hanc ob cauſam nonnulli Medicorum, ingentia ſomni nocturni, utpote naturaliſſimi, commoda ſecum ruminantes, perfectam nimirum aſſumptorum alimentorum concoctionem, abſolutam partium nutritionem, accuratamque excrementitiarum, & inutilium ſuperfluitatum excluſionem; eum noluerunt quietem, ſed potiùs intenſam naturalium facultatum motionem nominare.

Somnus diurnus damnatur.

Quoad ſomnum diurnum, illumq; meridianum, in foro Medico, plurimæ occurrunt difficultates: dum alii, eum commendantes, concedunt; alii verò, improbantes, prohibent. Hipp. Medicorum Princeps, *lib. 1. de vict. rat.* inquit: *Confert etiam, interdiu ſomno uti breviore, quàm multo.* Et, *lib. 3. de diæt.* ait: *Cùm Plejas exorta fuerit, ſomnis à prandio brevibus oportet uti.* Joannes Crato, *lib. Conſil. Medicin. conſil. 103.* aſſerit: *ſiccioribus naturis non eſt ſomnus ille meridianus inconveniens*: primò, quia calida & ſicca corporum gracilium craſis, beneficio ſomni refri-

Diurnus à Cratone commendatur.

refrigerantis & humectantis, emendatur, atque corrigitur; humorum acrimonia obtunditur, ſicque via ad ſaniores longioresque dies paratur. Secundò: quemadmodum magna differentia inter ſiccorum & humidorum lignorum, in furno crepantiam, intercedit; ita etiam haud exigua, inter corpulentorum & macilentorum evaporationes, eſt diſtinctio. In illis enim craſſi, crudi & indigeſti; in his verò ſubtiles, tenuesque ad caput vapores aſcendunt: qui, minorem generantes gravedinẽ, faciunt, ut minùs ſiccioribus hominibus nocere videatur ſomnus meridianus, quàm pinguioribus, & peregrinorum ſuccorum copiâ redundantibus. Riolanus, *lib. de diat. ſanor. cap. 13.* docet, quòd *ſenibus & infantibus ſomnus meridianus valdè conveniat, liceręq; ſenibus, ſtatim à cibo, dormire.* Inductus, dubio procul, authoritate Poëtæ, de Neſtore, ita ſcribentis: Diurnus à Riolano ſenibus ſvadetur.

Ut lavit, ſumpſitq; cibum, dat membra ſopori;
Namq; hac juſta ſeni.

Alii,ècontra, ſomnum, poſt prandium fieri ſolitum, miris laceſſunt convitiis, ut Avicenna, *3. doctr. 2. cap. 9.* ubi ait: *die dormire, malum eſt, quia generat morbos humidos, laſſat nervos, efficit pigritiem, debilitat appetitum, parit apoſtemata & febres; & quidem eam ob cauſam, quòd non ſufficit tempus, in quo dormitur, ad perfectam coctionem, ſed interrumpitur; & natura ſtupida, & quaſi perterrita redditur, dum retrahitur ab eo, in quo erat occupata.* Calor nimirum, & ſpiritûs, ad actiones ſenſuum externorum perficiendas, in exterioribus corporis organis hærentes, per ſomnum ad interiora revocantur; qui, peracto modico temporis intervallo, coctioni deſudantes, per expergefactionem, ab opere deſiſtere, eoque imperfecto, neque ſuo ſatis firmati nutrimento, ad corporis circumferentiam redire coguntur: quod tantâ temulentiâ, & confuſione accidit, quantâ perturbatione, ad improviſum in Urbe exortum tumultum, cives, Diurnus ab Avicenna improbatur.

 pri-

primo noctis ſomno detenti, ad arma ruere ſolent. Unde, ut Ægineta, *lib. 1. cap. 97.* loquitur, *interruptâ, ante tempus, coctione, ex ſomno meridiano ſurgentes, ſæpe ructum acidum habent, ſæpe etiam flatibus implentur; quidam etiam fluctuationes habent.* Nam, ut Crato, *Conſil. medic. 103.* aſſerit, *in ſomno, poſt cibum, crudi, craſſi & tenebricoſi fumi ad caput tendunt, eâ copiâ, quâ ex furno, in quo humida ligna fumant; & ita caput plenum fit vaporibus, & totum corpus gravatur, homo fit triſtior, imminet vertigo, & apoplecticum quiddam:* eâque de cauſa idem Crato, *Conſil. medicin. 182.* ait: *fugiendus eſt ſomnus meridianus, poſt cibum, quia concoctionem cibi impedit in ventriculo & jecore* (tempus enim brevius eſt, quàm ut perfectæ coctioni ſufficere poſſit) *intellectum hebetat* (quoniam craſſi vapores, ad cerebrum elevati, ſpiritibus, homogeneitatem puritatemque amantibus, commiſcentur, à quibus turbatio capitis) *pigritiam quandam toti corpori induit,* eò quòd vapores craſſi, & indigeſti, ex ventriculo evaporantes, unà cum ſpiritibus ad organa migrent, in iis gravedines pariant, vividum faciei colorem in fœdum mutando, catarrhos, fluxiones, aliasquè plurimas afflictiones producendo, quæ ſanitati, vitæque diuturniori plurimum officiunt.

Ab Ægineta notatur.

Verùm enim verò, etiamſi res ſit ardua, inter Viros, in utramque partem acerrimè diſceptantes, velle aliquid certi ſtatuere; nihilominus, ſalvis quibuscunque, dico, ſomnum præ cæteris eſſe eligendum, qui naturæ inſtituto reſpondet: nocturnus autem inſtituto naturæ reſpondet: ergo eligendus; quia optimus. Hic enim, ob altiſſimum noctis ſilentium, contractam, ex diurnis vigiliis, & laboribus, membrorum laſſitudinem reficit: hic à nocturna aëris frigiditate & humiditate adjuvatur: hic à tetra noctis caligine, ſpiritûs ſopiente, & à corporis circumferentia ad centrum ſuum coërcente promovetur: hic ſpiritus reficit, & corpori robur addit: hic vitam & valetudinem diutiſſimè ſartam tectamque con-

Quis ſomnus eligendus.

conſervat. Hinc non eſt mirandum, quòd in Taprobane (ut Plinius, *lib. 7. cap. 2.* ex Artemidoro ſcribit) ampliſſima maris Indici Inſulâ, homines, ſine corporum langvore, vitam plerunque vivunt longiſſimam, centum videlicet & plures annos. Somno enim diurno ſuperſedentes, nocturno ſolùm fruuntur. Hûc, ad procul diſſitos Taprobanenſes, nobiliſſimæ quædam noſtrarum Regionum aulæ ablegandæ eſſent, ut congruum dormiendi tempus, modumque diu vivendi ediſcerent; quæ, commiſerando longioris vitæ neglectu, ordinem, à Deo & Natura laudabiliter inſtitutum, evertentes, diem in noctem, & noctem in diem mutant; dum, Sole oriente, quieti ſe tradunt; &, eodem in altum ſublimè provecto, ſtratum relinquunt. Ut verbo dicam, ſomnum nocturuum, utpote omnis boni authorem, ſvadeo; diurnum, cuicunque ætati, exceptâ infantili, diſſvadeo: quoniam immoderatus hujusmodi ſomnus non raro diſpoſitio quædam eſt ad apoplexiam, paralyſin, ſimilesque affectiones ſoporiferas, à nimia cerebri humiditate dependentes: ut ita, maximè ſenes, reliquique humidioris complexiones, ſibi à ſomno diurno cavere habeant. Si quis tamen inſomnem tranſegerit noctem, matutino aptius dormiendi tempus, in tertiam usque diei partem ſe extendens, non habet; niſi ex longa conſvetudine conſtaret, ſomnum meridianum huic actioni conducere. *Conſveta enim longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſvetis tamen minùs moleſtare ſolent*: dicente Hippocrate, *aphoriſ. 50. ſect. 2.* Quærenti ex me, quare matutinis horis ſomnus plerisque ſoleat eſſe jucundior? Reſpondeo: quòd redeuntis Solis propinquitas ingeneret halitûs quoſdam gratos, ſoporem inducentes; quibus illico poſitis, ſomnus promovetur, concurrente nimirum frigore matutino, quod microcoſmus, ob ſpecialem ſuam analogiam, & ſymbolizationem cum macrocoſmo, percipit.

Somnus nocturnus utiliſſimus.

Somnus matutinus ſvaviſſimus.

Secundò

Quamdiu dormiendũ.

Secundò ſomni quantitas ſpectanda venit, ratione cujus eum talem eſſe oportet, ut modum non excedat: ſed potiùs ſit tantus, quantus ventriculo, reliquisq; viſceribus, digeſtioni deſtinatis, ad concoquendum nutrimentum, ſufficit. Cùm autem coctiones, ob habitudinum diverſitatem, non in omnibus pari temporis decurſu perficiantur; non poſſumus etiam omnibus unum dormiendi tempus præſcribere. Nam, qui conſtitutionis ſunt calidæ & humidæ, ætatisque florentis, atq; ventriculos ad digerendum validos habent; quique cibos, in quantitate, ac qualitate non gravantes, ſumunt; illi breviorem ſomnum expetunt; qui, communi Medicorum calculo, ſeptem horarum ſpatium non debet excedere: juxta notiſſimum illum, & vulgarem verſum:

Septem horis dormiſſe, ſat eſt juveniq́; ſeniq́;.

Qui diutius ſomno indulgere poſſint.

Senes diutius dormire debent.

Qui verò humidioris & frigidioris ſunt complexionis, & exinde tardioris concoctionis, cibosque per ingluviem capiunt, longiore etiam, ad novem videlicet, aut decem horas producto ſomno opus habent. Propterea Hippocrates, *lib. 1. de vict. rat.* docet. *Qui poſtridie cibos eructant, & quibus præcordia, cibis nimirum non concoctis, attolluntur, iis longior ſomnus confert.* Quod confirmatur à Sennerto, *Inſtitut. lib. 4. part. 2. cap. 5.* aſſerente: *Somno ſenes utantur longiore. Vix enim aliud ſenum corpora tantum demulcet & fovet, quàm ſomnus: & propterea, à nonnullis, ſomnus* vita ſenum *nominatur.* Senes enim, ob deficientem caloris inſiti virtutem, ſunt frigidiores: ideo productiore ſomno indigent, ut, feriantibus nimirum ab externo opere ſenſibus, vacillantis caloris beneficio, aſſumptorum alimentorum digeſtio eò perfectiùs abſolvi poſſit. Et, hanc ob cauſam, idem Sennertus, *lib. 4. part. 1. cap. 6.* aſſerit: *Senibus imprimis commodus eſt ſomnus, & vix aliud eſt, quòd ſenectutis ſiccitatem ita humectare poſſit, quàm ſomnus; ſiquidem per ſomnum vires valde reficiuntur.* Ubi advertendum, quòd ſomnus aut

quan-

quantitate excedente, aut deficiente, peccet: quantitate excedente ſomnus caput gravat, mentem hebetat, pituitam generat, corpus infrigidat, nativum calorem necat, nauſeam infert, ad cachexiam, & hydropem, paralyſim & apolexiam diſponit & inclinat. Propterea Gal. *lib. 12. meth. med.* docet, quòd *ſomnus uberior ſit minimè ſalutaris, cùm nec crudos cibos digeri ſinat, & viſcera reddat graviora.* Hippocrates quoque, *lib. 2. de vict. rat.* dicit, quòd *longiores ſomni calefaciendo colliquefaciant, corpusq́; diffundendo reſolvant, & imbecillum reddant.* Longè horribiliora longioris ſomni mala recenſet Seneca, *lib de tranquillitat. animi*, dicens: *Somnus refectioni neceſſarius eſt; hunc tamen ſi per diem & noctem continues, mors erit.*

Somni longioris noxæ

Ex his igitur rationibus, ponderoſisque graviſſimorum Virorum teſtimoniis, Endymiones nonnulli, glirium inſtar diu noctuq́; ſtertentes, tantam, velim, uberioris ſomni nauſeam hauriant, ut longiorem ſonticæ naturæ ſomnum faſtidiant, oderint, & abjurent. Quin potius eâ ſomni menſurâ contenti vivant, quæ virium robur augeat: non opprimat; corpus reficiat; non gravet; valetudinem confirmet: non ſternat: quæ denique plurium dierum ſaluti, vitæque conſequendæ inſerviat.

Tertiò boni ſomni qualitas ſe nobis conſiderandam offert; vi cujus requiritur, ut ſomnus nec juſto ſit levior; nec æquo profundior. Levior enim materiæ, ſpiritûs animales ſopientis, defectum indicat: profundior verò ejusdem copiam, frigiditatem, & malignitatem loquitur; teſtante Galeno, *in comment. aphoriſ. 1. ſect. 2.* ubi dicit: *dormientibus aliis comatis in tium contingit: id eſt, tam gravis ſomnus opprimit, ut vix puncti, aut vellicati expergeſiant. Quæ omnia, propter humorum malignitatem accidere, putandum: quos calor noſter naturalis, ſi robuſtus, validusq́; exiſtat, per ſomnos concoquere; ſi infirmior, ab illis vinci, viſceraq́; ipſa graveſcere, & enumeratis malis homo corripi ſolet.*

Somni bonitas.

Profundior ſomnus malus.

let. Et, *lib. 2. de ſympt. cauſ.* docet, quòd, *ſi à frigida multâque humiditate ipſum cerebrum opprimatur, veternoſum lethargicumq́ ſomnum inducat.* Hiſce de cauſis etiam profundior ſomnus non eſt probandus, quoniam, ob longiorem cauſarum ſomnum inducentium, à naturali ſtatu, receſſum, *ſentiendi functiones offendit*, ſic affirmante Galeno, *loco jam citato.*

Somnus profundior quid indicet.

Si igitur quendam profundiori ſomno obnoxium videre contigerit, non modò ejus cerebrum frigidis, malignisque humoribus imprægnatum eſſe, ſed etiam grandia imminentium morborum pericula inſtare, quaſi è tripode prædicere eidem poterimus; additâ admonitione, ut remedia, ad inſtantium malorum averſionem facientia, adhibeantur, ſeligendo ea, quæ ad peccantis humoris inciſionem, evacuationem, cerebri, ac totius corporis robur & inſtaurationem, ſpeciali, efficacique virtute ſervire, longâ rerum experientiâ novimus.

Quæ bona ſomni qualitas.

Ex hiſce jam enarratis concludo, quòd ſomnus ille qualitate reſpondeat, qui levem inter, & profundum medius, absque interruptione, & turbatione accidit, ac continuatur, relinquendo poſt ſe promptam partium agilitatem, absque omni capitis, ac reliquarum partium gravedine, & dolore: quia hic ſomnus abſolutam alimentorum concoctionem loquitur; perfectam chyli in ſangvinem mutationem, & exquiſitam partium nutritionem indicat; debitam factorum, per vigilias, dieique labores, damnorum reſtaurationem prodit; hic denique ſomnus gratioſam corporis munditiem, & excrementorum in corpore degentium paucitatem, & lenitatem ſignificat.

Quis corporis decubitus ad ſomnum requiratur.

Quartò, ad ſomnum bene inchoandum, feliciter perſequendum, probequè finiendum, corporis compoſitio, ſeu decubitus advertendus eſt; qui à bene valentibus ritè inſtituitur, ſi, cubitum euntes, in dexterum latus ſe inclinaverint, per

per primam ſomni partem in eodem quieſcendo. Quoniam à valido hepatis calore ſtomachi digeſtio promovetur, adjuvatúrque. Hanc enim ob cauſam, à ſapientiſſimo rerum Conditore, natura juſſa eſt, ex dextro ventriculi latere collocare hepar, ut à potente durioris parenchymatis hepatici calore ventriculi vis digeſtiva adjuvaretur, inſtauraretur, & conſervaretur. Peractâ primâ ſomni parte, in dextro latere; alterâ, in ſiniſtro corporis latere debet abſolvi, capite nonnihil elevato, & pedibus parum attractis, ut eò faciliùs, perfectiusque concoctio ſtomachi, etiam ab inſigni lienis calore adiuti, perficiatur. Ideo enim lien, ad ſiniſtrum ventriculi latus poſitus, tot arterias à natura obtinuit, ut excellente ſuo calore, quem, per arterias, à corde habet, ventriculum foveret, ejus vim concoctricem reficeret, promoveret, & ſuſtineret; quod cum tanta accidit energia, ut Helmontius, *cap. de ſext. digeſtione, num. 2.* docuerit, alimentorum digeſtionem fieri in cavo ſtomachi, vi fermenti primi, manifeſtè acidi, à liene mutuati, ideóque vult, ut lien ſtomacho incumbat, quò omnem ſuæ digeſtionis energiam eò facilius à liene habere poſſit.

Galenus, *lib. 2. de motu muſculor.* decubitum, in dorſo fieri ſolitum, damnat. Inquit enim: *Supinum jacere, & hiare cum ſtertore; aut exolutionis, aut ebrietatis, aut ignaviæ ſunt ſigna: ob id Hippocrates utrumq́ damnat: decubitum autem in alterutrum latus commendat.* Decubitus nimirum, in dorſum factus, non raró alimentum in ventriculo fluctuare facit, imò etiam ad œſophagum aſcendere; inde concoctio aut impeditur, aut tardiùs perficitur; ſicque cruditates generantur, quas morbi, pro humoris crudeſcentis qualitate & quantitate variâ, varii ſequuntur.

An verò opus ſit pulvinarium quâdam electione, dubito. Rodericus Fonſeca, *lib. de tuend. ſanit. cap. 18.* ait: *cautè obſervan-* Pulvinariorum electio parum prodeſt.

vandum eſt, ne dormiamus in culcitris plumeis: ut in Germania fit. Nam iſte decubitus calculos renum gignit, calorem extraneum concitat, & ad tabem præparat. Verùm enim verò, quot hominum millia, in amantiſſima noſtra Germania, toto vitæ decurſu, in plumeis lectis dormierunt, & etiamnum dormiunt, qui ne minimum unquam horum malorum indicium perſenſerunt? Quot, amabo! Clariſſimarum familiarum viri, in culcitris, ex goſſipio, bombyce, aut lana paratis, quietem cæperunt, imò adhuc vivi capiunt, & tamen immaniſſimis calculi doloribus frequentiſſimè torquentur? Ut ita luculentiſſimè appareat, hoc lectorum genus parum, aut nihil, ad enumeratorum affectuum generationem facere. Quamvis etiam hîc non negaverim, plumeos lectos, ob nimiam ſuam calefaciendi potentiam, in ardentium malignarumque febrium æſtu, anguſtias augere, adeoq; minùs tutos eſſe, in ejusmodi affectibus calidis.

Somni bonitas. Somnum igitur, in quantitate moderatum, in qualitate placidum, nec nimis profundum, nec nimis lenem, nocturnúmque, tanquam naturaliſſimum, & ad tot horas productum ſvadeo, quot cuilibet ætati, ſexui, hominumque conditioni, aut ex conſvetudine, aut vitæ genere, ad ſanitatis vitæque conſervationem ſufficiunt; qui, ubi in loco non nimis calido, à Solis Lunæque radiis immuni, in pulvinaribus cuique conſvetis, contigerit, ac, vicibus competenter mutatis, in utroque latere abſolutus fuerit; ad ſanitatis continuationem, & vitæ productionem, plurimum addet: quoniam talis ſomnus vires reficit, naturam conſervat, viſcerum calorem moderatè auget, & ab omni morborum impetu tuetur.

Quærenti ex me, qualem, de inſomniis, eorumque viſionibus, in ſomno occurrere ſolitis, opinionem habeam: reſpondeo; inſomnia, me judice, eorumque viſiones, nequaquam eſſe ſpernendas, imò, naturalium ſomniorum obſervationem Viro Medico ſummè eſſe neceſſariam: quia ſomnium natu-

Inſomnia quid indicent.

naturale eſt apparitio quædam, ſenſibus internis facta, à vaporibus ad cerebrum elevatis, ibidemque ſpiritui animali commixtis, cum repræſentatione talium rerum, quales ſunt humores, à quibus elevantur. Hoc modo ex inſomniis corporum diſpoſitiones, conjecturis quibuſdam, aſſequi licet: ut docet Hipp. *lib. de inſomniis*, fuſiſſimè. Qui enim de grato rerum rubore, nuptiis, conviviis, alimentis gratis, Muſicorum concentibus, confidentiore cum Principibus converſatione, & colloquiis, ſangvinisque copiâ, & profuſione ſomniant; in iis ſanguis abundat. Hoc modo Galenus, cognito Palæſtritæ inſomnio, eum ſangvine abundare, conjecit; uti conſtat ex *libell.* ejusdem *de præſag. ex inſomniis*, ubi inquit: *Palæſtritam ſangvine abundare conjecimus, quòd in ciſternâ, ſangvine plenâ, ſtare ſibi fuerit viſus; cui ſangvinis evacuationem prædiximus.*

Non ſunt ſemper ſpernenda.

Quicunque de flavis rerum coloribus, rixis, præliis, incendiis, fulguribus, æſtu, prædonibus, rebusque hiſce ſimilibus ſomniant; iis bilis copia ineſt: quoniam vapores, à bile flava elevati, colore tinguntur flavo, qui menti, continuò vigilanti, tales ſpecies & phantaſias offerunt, quales ſunt humores, à quibus exſurgunt vapores, cerebrum, divinæ mentis ſolium, conſcendentes. Hoc confirmatur authoritate Galeni, *lib. de præſag. ex inſomn.* dicentis: *ſi incendium per ſomnium quis videat, eum flavâ bile infeſtari, ſignificatur.*

Si quis verò per inſomnia gravioribus phantaſiis, de nive, glacie, pluvia, fluminibus, piſcibus, aliisque rebus aquoſis torqueatur; hic pituitâ, & ſuccis frigidis plenus eſt: docente id Hippocrate, *lib. de inſomniis*, ubi dicit, *quod ſi in ſtagno, aut mari, aut fluminibus, quis natare videatur; bonum non eſt; cùm humiditatis exſuperantiam indicet.* Quod idem teſtatur Galenus, *libell. de præſag. ex inſomn.* aſſerens: *ſi quis imbres ſomniet, in eo frigidam humiditatem redundare indicatur: ſic qui nivem, qui glaciem, qui grandinem, phlegmatis frigidi plenus eſt.*

Somniantem de lugubrium, triſtiumque rerum ſtatu, colorum nigredine, ſpectrorum invaſione, periculorum gravitate, cruciatuum vehementiâ, atra bilis inhabitat. Nam vapores craſſi, & denſi, & nigricantes, & ſpiritûs animalis diaphanum obſcurantes, talem menti phantaſiam objiciunt, quales erant ſucci, vapores ad cerebrum promoventes. Proprium autum ac naturale ſucci melancholici eſt, ut, teſte Galeno, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4. mentis ſedem, tenebris ſimilem reddens, timorem efficiat.* Unde quoque Galenus, *libell. de præſag. ex inſomniis,* ait: *Si quis fumum, aut caliginem, aut profundas tenebras videat, atrâ bile gravari intimatur.*

Qui, alto ſopiti ſomno, aſtra ſplendentia, de cœlo ruentia, aut de loco in locum mota vident, mortuos puris, nitidisq; veſtibus indutos, aut etiam ipſos Superos, bonorum largitores, conſpiciunt, iis Hippocrates firmam corporis valetudinem pollicetur. Somniantibus, è contrario, de ſideribus cœleſtibus, obſcuritate obductis, ad Occaſum maximè vergentibus, aut mari pereuntibus, aut à terra abſorptis, idem Hippocrates magnos ventris morbos prædicit. Nec minora mala, de mortuis, nigras veſtes geſtantibus, & de mari, cloaciſque perturbatis, ſomniantibus minatur. Sic quoque in ſomno videre monſtra terrifica, hoſtes armatos, & alia hujus generis phantaſmata, aliquando inſaniam deſignat. Sicuti etiam ſomniantibus de laborioſo per loca anguſta tranſitu, pectoris anguſtiæ prænuntiantur.

Inſomnia ſaniora.

Quò verò inſomnia actionibus diurnis ſunt magis affinia; eò majora ad ſanitatis vitæq; continuationem emolumenta ferent. Hippocrates enim, *lib. de inſomniis*, idem docet, inquiens: *Inſomnia, de diurnis actionibus, noctu, per ſomnum, à mente humana oblata, & eodem modo reddita, quo per diem in re conſueta, aut geſta erant, ſunt bona, & ſanitatem portendentia; propterea, quòd anima in conſiliis nocturnis perſtet, neq; re quavis aliâ,*

extrin-

extrinſecus incidente, victa. At inſomnia, quæ diurnis actionibus adverſantur, ita, ut inter ſe non conveniant; hoc ipſum, ſi contigerit, turbationem corporis ſignificat, & fortis quidem forte malum; levis verò debilius.

Quis ergo, ſanioris prudentiæ homo, negabit, maximam, in Medicina, vim habere ſomniorum obſervationem? Cùm ex eorum vel tranquillitate, vel tumultu, humorum corpus inhabitantium bonitas, vel malitia cognoſci poſſit? Quis non fatebitur, ad ſanitatis, vel morbi prædictonem ſomniorum cognitionem cuique Medico ſummè eſſe neceſſariam? Siquidem, quò inſomnia nocturna ſunt jucundiora, & diurnis cogitatis, rebusq́; geſtis magis affinia, eò ſecuriora, de conſtante corporis diſpoſitione, prognoſtica ferre licebit: quò verò turbatiora fuerint, & phantaſiæ moleſtiora, eò certiora, de inſtantium morborum periculis, vaticinia effari poterimus. Ecquis inficias ibit, ſomniorum notitiam tam præſervationi, quàm morborum curationi inſervire? Quoniam humorum, in corpore peccantium, qualitatem intimant, ſicque medicamenta, & legitimum adhibendi modum, indicant, quò redundantes in corpore humores evacuari, tollique debeant; ut illud à periculoſo morborum impetu præſervetur. Monſtrant denique inſomnia viam, modum, & auxilium, quo colluctantes jam cum fatali hoſte vires ſint adjuvandæ, roborandæ, & muniendæ, quò minus à fatalibus morbi inſultibus opprimantur. Hoc modo, hâc viâ, Galenus Palæſtritam ſangvine abundantem ſervavit: & ſomnianti cuidam, quòd crus ſibi alterum fuerit factum lapideum, paralyſin, in eo crure futuram, prædixit. Sic plurimis, de lotione, & in calidis aquis natatione ſomniantibus Galenus, quaſi divino quodam ſpiritu afflatus, futuram criſin prædixit: quia vapores, ex humoribus elevati, feriunt, & movent phantaſiam: qui humores quò ſalubriores, aut deteriores fuerint, eò quoque melio-

Somniorũ obſervatio Medico utilis.

melioris aut deterioris notæ vapores ad caput elevantur; juxta quorum benignitatem, aut malitiam, variantur inſomnia. Suntque propterea à Medico, tum etiam ab ægris, & ſanis diligenter inquirenda, & obſervanda: ut hos præſervemus; illos verò curemus.

Divinationes ex ſomniis fieri non poſſunt.

Utrum verò ex aliis inſomniorum viſionibus certæ quædam divinationes fieri poſſint, hanc, vel illam felicitatem; hoc, vel illud infortunium prædicendo; aliis dijudicandum relinquo. Ego Sacris paginis fidem adhibeo, dicentibus, *Levit. 19. verſ. 27. Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia.* Rectè etiam obſervavit Tibullus, *lib. 3. eleg. 4.*

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falſa timere jubent.

Qui igitur infallibiles rerum eventûs ex fallacibus ſomniorum viſionibus prædicere conantur, ii aut integrâ mente non fruuntur, aut, ad ſtuporem omnium, à vero aberrant; ſiquidem rerum, poſt temporum viciſſitudines, futurarum cognitionem DEUS ſibi ſoli reſervavit: juxta illud, *Actor. 1. verſ. 7. Non eſt veſtrum, noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

Sed, miſſis iis, quæ de ſomni, inſomniorumque varietate uberiùs tractari potuiſſent, ad vigiliam, utpote ſomno contrariam, transgrediamur. Dico igitur: Vigilia eſt diſpoſitio quædam naturalis corporis motiva, imperans ſenſibus externis, ad operandum aliquid. Hujus vigiliæ tanta eſt, ad vitam in longius protrahendam, neceſſitas, ut ſomni utilitas, eidem præjudicare non poſſit; ſiquidem hæc langventes corporis ſenſûs excitat, vires ad functiones obeundas diſponit, imminutum ſtomachi appetitum reſuſcitat, viſcerum calorem intendit, & auget, eumquè per omnes partes distribuit, confirmat, concoctiones omnes adjuvat, ſuperfluam humorum mephitim, per alvum, ſudorem, urinam, ſcreatum, reli-

Vigiliæ deſcriptio.

Vigiliæ neceſſitas.

Vigiliæ utilitas.

reliquoſque ductûs & vias, à natura huic actioni deſtinatas, ejicit. Hinc Plato, *3. de legib.* inquit: *Quicunq; vivere, & ſapere cupit, maximè quàm longiſſimo tempore vigilet, ſolâ ſanitatis commoditate ſervatâ.* Id eſt, diutius vigilare, quàm dormire, præſtat; ita tamen, ut ſomni & vigiliæ modus ſervetur; ſitque vigilia moderata, & ſanitatis conſervativa. *Nam ſomnus & vigilia, utraque, ſi modum exceſſerint, malum;* juxta Hippocratem, *aphoriſ. 3. ſect. 2.* Quia, aſſerente Galeno, *in Comment. ejusdem aphoriſmi: Vigiliæ immoderatæ fiunt propter principis partis ſenſificæ caliditatem, quæ vel à ſola intemperie, vel bilioſo redundante humore orta eſt.* Ad hæc, vigiliæ immoderatæ caput vaporibus replent, oculorum profunditatem pariunt, cerebri temperaturam corrumpunt, humores nutritioni natos in venis adurunt, acutos morbos excitant, maciem inducunt, ſpiritûs reſolvunt, ſubitaneum & ingentem virium lapſum generant. Quoniam vigiliæ immodicæ contingunt, ubi calor nativus exſiccatur, & quaſi immodicè inflammatur: aſſerente Galeno, *lib. 3. de pulſ. cauſ.* ſed inſiti & nativi caloris exſiccatio ac inflammatio eſt ſanitatis, vitæque depravatio: quia calor ille nativus eſt corporis energia, & virtus conſervativa; qui ubi, à quacunque tandem cauſa præter naturam, accenſus fuerit, ad omnium actionum naturalium, vitalium, & animalium deſtructionem, & everſionem facit. Propterea, incaleſcentibus, ob immodicas vigilias, ſpiritibus, artûs ita defatigantur, ut ſubſiſtere non poſſint: reſpiratio, ob fuliginum, cor anguſtantium, copiam præter modum intenditur: deliria, & convulſiones naſcuntur; quæ ſi immodicis vigilis ſupervenerint, peſſimum planè eſt: docente ſic Hippocrate, *aphoriſ. 18. ſect. 7.* ubi ait: *propter vigiliam convulſio, & deſipientia, malum.* Nam, teſte Galeno, *in Comment. ejusdem aphoriſ. Vigilia maximam vacuandi & exſiccandi vim habet: atq; propterea à vacuatione, & ſiccitate convulſionem adfert, & deſipientiam, tum ipsâ*

Diutiùs vigilandum, quàm dormiendum.

Vigiliæ immoderatæ cauſa.

Immoderatæ incommoda.

ſiccitatis nimiæ ratione, tum præterea, quia, per longas vigilias, bilioſior ſangvis fit; &, ut aſſerit Benedictus Faventinus, *de curat. febr. putrid. per vict. rat. cap. 5. propter vigiliam ſuperfluam admodum debilitantur ſpiritûs animales, ut illi non rectè deſerviant virtuti animali: & ſic in febribus, ex ſuperflua vigilia, contingunt deliria, paraphreneſes; tum etiam, quoniam in vigilia ſpiritûs ſunt in continuo motu: ex quo fit, ut humores eâdem inflammatione inflammentur, & incendium addatur augmento febris.*

Vigiliæ optimæ qualitas.

Quare omnes, cujuscunque demum ætatis, ſexûs, & conditionis homines admonitos velim, ut, cum diligentia, tali vigiliarum generi ſtudeant, quali ſe aſſvetos cognoverint, & ſe diuturnæ valetudini, vitæque longitudini ſuperſtites manſuros putaverint, ſemper mediocritatem ſervando. Si verò, ob curas, aliasque animi occupationes, & gravamina, vigiliæ demulceri non poſſent, iis innitendum judico, quæ moderatam ſomnum conciliandi potentiam habent. Sic Galenus, *lib. 2. de aliment. cap. de lactuc.* teſtatur, urgentes, præter modum, vigilias ſe depuliſſe, lactucæ uſu. Verba ejus ſunt: *Porrò, dum eſſem juvenis, ventriculusq; mihi infeſtaretur bile; lactucâ, quo ipſum refrigerarem, utebar: quum verò ad ætatem declinantem perveni, hoc ipſum olus mihi fuit contra vigilias auxilio.* Alia, ad hanc intentionem ſingulariter facientia, proponuntur ab Ægineta, *lib. de Remed. cap. 98.* ubi ſequentia leguntur: *Verùm de ſanorum vigilia dicendum eſt: ſi igitur aut ob triſtitiam, aut curam, aut aliquam animalem affectionem, vigilaverint, primùm quidem triſtitiam, & id, quod moleſtum eſt, quantum fieri poteſt, præcidemus: poſtea etiam, jucundorum ſonorum auditu, cogitationem ab ipſis abducemus. Sed & balneis, maximè veſpertinis, ubi cibum probè concoxerint, utantur: & victu humectante, velut lactucis, veſcantur, piſces concoctu faciles edant, vinoquè uberiore, tenui tamen, & non vetuſto, aut generoſo utantur; ubi verò reclinare volunt, oleo roſaceo caput ungant, aut oleo, in quo papaveris capita, aut man-*

Vigiliæ nimiæ curatio.

Balnea veſpertina.

mandragora incocta ſint. Denique, cùm vigiliæ immodicæ, naturæque moleſtæ, ſui ablationem indicent, prudentem, artisque bene peritum Medicum ſemper conſulendum judico, Nunquam enim facilè ceſſabit effectus, niſi ſublatâ causâ. Qualiscunque igitur hæc fuerit, prudens Medicus, per contrariorum oblationem, ſciet eam tollere.

Caput XI.

De Excretis, & Retentis.

QUantum res non-naturales, in Excretis & Retentis dictæ, ac juxta naturalem corporis humani exigentiam ſe habentes, conſervandæ ſanitati, conſequendæque dierum multitudini adjumentum præſtent, id facili negotio conſtabit, ſi diligentiùs rem ponderare libuerit; ſiquidem res non-naturales, in excretis & retentis nuncupatæ, ſunt illæ, quæ vel in partium corporis humani nutritione, à natura ſagaci retinentur, ut id reſtauretur, quod per diei labores, & vigiliarum incommoda diſſipatum eſt: vel illæ, quas, tanquam inutiles, corporiquè oneroſas, ſegregat, & per ſuos expellit ductûs: retinendo nimirum id, quod corporis refectioni, totiusque naturæ conſervationi prodeſt, ut ſangvinis maſſa: & egerendo id, quod toti moleſtum eſt, ut fæces, reliquaque excrementa. Si igitur ea ſemper ſangvinis copia adfuerit, quæ totius nutritioni ſufficit; illa non modò nullum naturæ, in regendo ſangvine, negotium faciet; verùm etiam ne minimum, in ipſam partium alendarum ſubſtantiam convertendo, laborem cauſabit. Hoc divinus noſter Hippocrates innuere voluit, dum, *lib. de aliment.* inquit: *ſangvis proprius utilis eſt. ſangvis proprius noxius eſt.* Id eſt, ſi ſangvis, corporis nutritioni inſerviens, eâ quantitate venas, reliquáque vaſa, huic retentioni inſervientia, inhabitat, quæ corporis nutritioni ſuffi-

Excreta & Retenta quæ dicantur.

Sangvis quis utilis: quis inutilis.

ſufficit, & exceſſu naturam non gravat, ille tam bonus eſt, ac utilis, ut à Galeno, *lib. 9. meth. med. ipſiusmet naturæ poſſeſſio* nominari meruerit. Quia, aſſerente eodem Galeno, *lib. de curand. rat. per ſanguin. miſſ. Is ſangvis non modò nutrimentum animantis partibus præſtat, ſed etiam calorem naturalem conſervat;* cujus conſervatio, eſt diuturnæ vitæ ſuſtentatio; quoniam hic eſt calor, qui omnia nutrit, omnia auget, omnia vivificat, omnia germinare facit, omnia ad perfectionem ſuam deducit, inconcuſſam ſanitatem, & longævam vitam impertiendo.

Sangvis moderatus prodeſt: & è contra.

Quemadmodum autem ſangvis moderatus millena corpori bona promittit, & confert: ita uberior ſangvinis copia, quàm natura moderari queat, plurima minatur pericula. Primò enim (ut inquit Galenus, *lib. de opt. corporis habitu*) *ſi in ſummo ſangvis conſtiterit, periculum eſt, ne aut extinguatur, aut ſuffocetur calor nativus, ob plenitudinem illam exuberantem, difflatione prohibitâ: aut aliquod è præcipuis vaſis rumpatur, quæ in pulmone, in jecore, & thorace ſunt ſita. Siquidem ſanguis ipſe tum ob naturalis caliditatis copiam, tum ob actionis perpetuitatem, nec non incrementum, quaſi efferveſcens, ipſorum vaſorum tunicas, ut muſtum dolia, disrumpit. Hæc igitur omnia, nec non repentinæ omnium functionum reſolutiones, neceſſariò immoderatas repletiones ſequuntur.*

Repletionis nimiæ incommoda.

Hippocrates quoque, *lib. de veter. med.* docet, quòd *multa alia, & quidem varia mala ex repletione oriantur.* Sic *ſingultum & convulſionem à repletione fieri,* docet, *aphoriſ. 39. ſect. 6.* ita, *lib. 3. de diæt.* idem hæc aſſerit: *In quamcunq; partem repletio erumpit, eam ipſam corrumpit. Qualiscunque autem ſecretio à repletione venerit, & quamcunque partem ſuperaverit, eam ipſam morbo affligit.* Hoc modo, hâc viâ conſtat, divini ſenis Hippocratis verba eſſe veriſſima, dum ait: *ſanguis proprius noxius eſt.* Quia, eſto, ſangvis ex natura ſua ſit optimus; quantitate tamen, ſi exceſſerit, ventilationem non admittit: unde (quod Galenus, *lib. de venæ ſect.* notavit.) *facilè totum corpus excaleſcit: qui affectus*

ctus febris vocatur. Nonnunquam verò priùs, quàm computreſcat ſangvis, ingens ipſius vis decumbit in partem aliquam, quam aut extingvit omnino, ita, ut actio ipſius pereat; aut illi certò noxam non omnino contemnendam infligit. Hoc ſiquidem modo in aliquam particulam irruens, tumorem inibi præter naturam excitat, ut phlegmonem, &c.

His igitur malis, ex ſangvinis plenitudine oriundis, tempeſtivè obviandum eſt; evacuatione ſcilicet, aut à venæ-ſectione, aut cucurbitulis, aut hirudinibus auſpicatâ. Nam, docente Galeno, *lib. de art. conſtit. Omne exuberans eſt evacuandum:* ſangvis verò exuberans *præſentius, phlebotomiâ, non habet auxilium*: ut idem ait, *in comment. aphoriſ. 47. ſect. 6.* Primò, quia, teſtante eodem, *lib. de curand. rat. per venaſect.* tam plethora ad vires, quàm ad vaſa, per venæ ſectionem tollitur. Secundò, refert ipſe, *in comment. aphoriſ. 47 ſect. 6.* quòd opportunâ phlebotomiæ adminiſtratione graviſſimos præcaverit morbos. Inquit enim: *ſangvinis excretionem, epilepſiam, melancholiam, apoplexiam, & alios hujusmodi diuturnos morbos, è multis hominibus, dictâ vacuatione, ſuſtulimus.* Et quid mirum? Nam venæ-ſectio eſt ſangvinis, in corpore redundantis, ſubtractio; quæ, cùm ſit magnum præſidium, etiam non, niſi magnis morbis debetur. Hæc enim ſangvinem naturæ moleſtum ſubtrahit, eumque, utpote caloris vehiculum, ſubtrahendo, corpus refrigerat, liberiorem humorum curſum, motumque circularem conciliat, expeditiorem partium irrigationem, faciliorémque earum nutritionem efficit. Ex venis enim, veluti rivulis quibusdam fructuoſiſſimis, defluit in omnes corporis partes ſangvis, ſpiritus, calor, vita, nutritio, motus & ſenſus: ut propterea Hippocrates, *lib. de corde*, dixerit: *hæ venæ ſunt humanæ naturæ fontes, hincq; flumina excurrunt, quibus corporis alveus irrigatur. Atq; hæc vitam homini conferunt, &, ſi reſiccata fuerint, homo perit.*

Venæ-ſectio repletionis remedium.

Quid venæ-ſectio: ejusquè utilitas.

Nonnunquam etiam Cucurbitulæ ſcarificatæ, & Hirudines, utpote venæ ſectionis vicariatum gerentes, ad tollendam totius corporis plenitudinem adhibentur: ſiquidem per Cucurbitularum, & Hirudinum applicationem, non modò venæ minores, per corporis habitum diſperſæ, aperiuntur; verùm etiam aliquando majores reſerantur: ut quotidianâ liquet experientiâ; quâ docemur, nunc majorem, nunc minorem ſangvinis copiam, tum per cucurbitularum attractionem, tum hirudinum ſuctionem evacuari, ad imminuendum vitioſum ſangvinem, qui quidem, ob vehementiam ſuam, venæ-ſectionem poſtularet: attamen à virium debilitate prohibetur. Unde cucurbitulæ & hirudines adhibentur iis, qui, ob virium langvorem, venæ-ſectionem non ferunt. Harum quippe adminiſtrationes ſunt moderatæ, & absque notabili plerunque virium diſpendio perficiuntur. Non enim confertim, ſed paulatim, exuberantem ſangvinis copiam tollunt: hancquè ob cauſam faciliùs ejusmodi vacuationes à naturis feruntur.

Cucurbitulæ ſcarificatæ repletionem auferunt.

Quærenti autem ex me: utrum jam enumeratæ affectiones ex nimia ſangvinis copia oriri poſſint? Reſpondeo affirmativè: ſiquidem pars harum affectionum, ut epilepſia, apoplexia, paralyſis, &c. ex omnium ferè Medicorum calculo, oritur ex humoribus, vi ſpecificâ, & malignâ, cerebro, nervis, reliquoquè corporis habitui contrariis: ſed ſangvis, teſte Galeno, *lib. 2. de præcog. ex pulſ.* & *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* inſigni copiâ peccans, ob denegatam evacuationem, & ventilationem prohibitam, perpetuamquè caloris activitatem, incaleſcit, putreſcit, & tandem ſupremum corruptionis gradum aſſequitur; fitque venenum, naturam, humanæ conſtitutioni toto genere contrariantem induendo, & ipſas quandoque partes ſolidas velociſſimè depaſcendo, & mortificando: qualiter in malo, quod gangrænam dicimus, evenire aſſolet.

Nimiæ repletionis damna.

Ergo

Ergo non eſt dubitandum, quin hæ affectiones, aliæque iis ſimiles, à ſangvine, nimiâ copiâ peccante, & diverſis corruptionis modis & gradibus obnoxio, oriri poſſint.

Non minor naturæ ſtrages, non minora corporibus damna, ab intempeſtiva ſangvinis profuſione, quàm æquo copioſiore ejusdem retentione, imminent. Si enim ſangvis partium nutritioni, inſitique caloris conſervationi excoctus, & deſtinatus non retineatur, quin potiùs per immodica ſangvinis profluvia excernatur, qualiter accidit per nares, ut in immodica hæmorrhagia; per vomitum, ut in ſanguinis per vomitum rejectione; per alvi profluvium, ut in dyſenteria; per hæmorrhoidum, & muliebrium menſium copioſiorem fluxum; aut per alios quoscunque demum fluores: omnes illicò totius corporis vires, propter immodicam alimenti ſubtractionem, aut potiùs (ut ita dicam) exinanitionem præter naturam factam, reſolvuntur, viſcera debilitantur, coctiones impediuntur, cruditates, graviſſimorum morborum genitrices, cumulantur. Ex his periculoſæ illæ ſtillantium oculorum obſcuritates, involuntariæque oriuntur lacrymæ; quas ideo Galenus, *in comment. aphor. 12. ſect. 1.* malas dicit; quia, ob largiorem ſanguinis amiſſionem, retentrix oculorum facultas in tantum debilitata creditur, ut tenuem ſanguinis ſeroſitatem retinere ultrò non poſſit. Similiter *à ſangvinis profluvio deſipientia, aut etiam convulſio, malum eſt*, ut ait Hippocrates, *aphoriſ. 9. ſect. 7.* quoniam, ob proſtratam nimiumque debilitatam caloris inſiti energiam, res non rarò deſperata, & mors in propinquo eſſe ſolet: teſtante ita Galeno, *in comment. aphoriſmi jam citati.* Propterea ab immodicè fluentibus hæmorrhoidibus cachexiæ, & hydropes naſcuntur; eò, quòd, amiſſo, cum ſangvine, ſpiritu & calore, tanquam pretioſo vitæ theſauro, vires quoque immodicè conſumuntur & perduntur. Ob hoc Galenus, *lib. de vena ſectione adverſus Eraſiſtr.* inquit: *Mulierem,*

Nimia ſangvinis profuſio obeſt.

Hæmorrhoidum nimius fluxus morboſus.

lierem, menſtruis nimium fluentibus, cuilibet malo implicari, facile eſt. Ratio, jam ſæpius data, hæc eſt, quòd, à nimio ſangvinis profluvio, viſcera, concoctionibus præfecta, maxima caloris detrimenta patiuntur; quia, unà cum ſangvine, in auram abit; atque idcirco univerſi corporis viſcera refrigerantur, vires dejiciuntur, & infinitis propè morbis anſa datur; ut melancholiæ, pectoris anguſtiæ, omnium corporis membrorum emaciationi, & contabeſcentiæ. Verùm hæc, de naturali, & præternaturali utilium humorum excretione, & retentione dixiſſe, ſufficiat.

Excrementorum retentio mala.

Porrò quemadmodum humores, ad partium corporis humani nutritionem requiſiti, ubi æquo copioſiùs excernuntur, ſunt multorum morborum cauſæ: ita etiam infinita malorum genera ex iis naſcuntur, quæ propter naturam in corpore retinentur. Excrementa enim, & feces, ex impurioribus cibi potûsque particulis ortum habentes, corporis nutritioni non ſerviunt; quin imò eandem impediunt: ut docet Galenus, *lib. 9. de uſu part.* inquiens: *Ad excretionem excrementorum, tanquam omnino alienorum, natura meatûs opportunos deſiderat; quos niſi nacta fuerit, acervata ibi excrementa primùm quidem inſtar oneris gravant, deinde prohibent, quò minùs ſucci illùc* (nimirum ad partem alendam) *confluant, illorum vias præoccupantia: quo fit, ut membra nutriri non ſinant.* Eam ob cauſam feces à melioris nutrimenti portionibus ſeparari, & per meatûs, huic fini à natura deſtinatos, evacuari exigunt. Id verò ſi juxta naturalem corporis exigentiam non contingat, retinendo ea, quæ excerni deberent, plurima inde pericula, & ingens gravium morborum procella, oriri ſolet. Siquidem, docente Galeno, *lib. 3. de aliment. facult. Excrementa ſingula, ſi diutius moram in corpore trahunt, putreſcunt; quare mordacia, & acria fiunt, atq; his, quæ ipſa continent, infeſta redduntur:* atque, ut alibi monet, *lib. 2. de naturalib. facult, admodum calida evadunt, adeò,*

Excrementa retenta putreſcunt.

adeò, ut carnem urant, liquent, atque corrumpant. Unde, tradente eodem, *lib. 9. de uſu part. Excrementa collecta acriora, ſimul & calidiora reddita, Inflammationes, Eryſipelata, Herpetes, Carbunculos, Febres, innumerabilemq; aliorum morborum turbam exſuſcitant.*

Sic ab optima rerum magiſtra, experientiâ, docemur, quòd remoratę diutius in alvo fæces, à continua venarum ſuctione exſiccentur, & indurentur: quarum exſiccationem, & indurationem, arctiores inteſtinorum oppilationes ſequuntur; à tenacioribus alvi obſtructionibus flatuum eductio prohibetur; qui dein, per univerſam corporis regionem evagantes, diverſas, pro partium variatione, affectiones generant, ut docet Hippocrates, *lib. de flatib.* inquiens: *Inferiore ventre obturato, per univerſum corpus penetrant flatûs. Ad partes autem ſangvine plenas delati, eas frigefaciunt; iis autem frigefactis locis, in quibus fontes & radices ſangvinis continentur, univerſum corpus horror penetrat: univerſo denique corpore refrigerato, totum quoque corpus horret, ante febres.* Hac de cauſa, docente eodem Hippocrate, *lib. de aëre, aq. & loc. morbi ſuperveniunt, pleuritides, & quos, acutos eſſe, receptum eſt, cùm alvi dura exiſtunt.* Ideo autem hi affectus tenaciores alvi indurationes ſequuntur, quòd corporis ventilatio prohiberi ſolet; quâ prohibitâ, partium calor intenditur, humores accenduntur; qui, accenſi, & ſubtiliores redditi, atque flatuum valore impulſi, nunc in hanc, nunc in illam partem irruunt; jam phrenitides, aut ophthalmias, jam ſynanches, aut pleuritides, jam peripnevmonias, aut alias inflammationum ſpecies, ex fluxione oriundas, cauſando.

Flatuum generatio.

Fæcum retentio morbus parit.

Quærentem verò, an commemoratæ corporis affectiones, à flatibus, propter vehementiorem alvi obdurationem, in corpore retentis, oriri poſſint? ad divinum noſtrum Hippocratem remitto, qui, hac de re, *lib. de flatib.* ſequenti modo diſcurrit: *ſed fortaſſis dixerit quiſpiam, quânam ergo ratione fluxiones*

Graviſſima mala à flatibus.

nes à flatibus contingunt? aut quonam modo ſangvinis eruptionum, circa pectus, cauſa exiſtunt? Hoc autem iſtis de cauſis fieri me declaraturum exiſtimo. Cùm capitis venæ repletæ fuerint, primùm quidem caput urgentibus flatibus gravatur; deinde ſpiritus, unà cum ſangvine, propter viarum anguſtiam, intus concluditur; id verò, quod in ſangvine eſt tenuiſſimum, per venas foras eliditur. Hoc ſanè humidum, ubi copioſum coacervatum fuerit, per alios meatûs effluit, cumq́; confertim ad aliquam corporis partem pervenerit, ibi morbus contrahitur. Ubi igitur ad oculos venerit, ii laborant. Et ſic de reliquis corporis partibus diſcurrendum eſt, quæ ob flatuum potentiam affliguntur. Flatûs enim, per poroſam carnis & venarum ſubſtantiam, vi quâdam perrumpentes, faciunt, ut caro à carne; pars venæ à parte venæ diſcedat, & divellatur: ſicque meatûs, velut in torrentis alveum, excavantur; per quos ſangvis nunc in hanc partem influit; hunc affectum producendo: nunc in illam ſe inſinuat; iſtum morbum pariendo.

Præter haſce, jam enarratas, morborum ſpecies, adhuc ingens malorum agmen præternaturalem excrementorum alvinorum, flatuumquè retentionem ſequitur. Nam ſi flatûs, & vapores, ab alvi obſtructione reſultantes, altum petunt, cerebrum turbant, caputquè gravant, intenſiſſimos, non raro, ejusdem dolores poſt ſe relinquendo, catarrhos, ſuffocationem comminantes, pariendo, rotantes in gyrum vertigines excitando, moleſtum aurium tinnitum cauſando, periculoſam nonnunquam oculorum caliginem producendo, & apoplexiam gignendo. Quod teſtatur Hippocrates, *lib. de flatib.* inquiens: *At verò etiam ſyderationes corporis (apoplexiæ dictæ) ex flatibus oriuntur, nimirum quando flatûs frigidi & copioſi carnes ſubjerint & inflârint. Hæ enim corporis partes ſtupidæ redduntur. Et, ſiquidem multi flatûs totum corpus permeant, totus homo attonitus redditur; ſi verò partem aliquam, pars illa. Atque, ubi quidem flatûs*

flatûs permanſerint; permanet & morbus: ſi diſceſſerint; ceſſat etiam morbus. Interdum etiam, cum tanto inſultu, organa reſpirationi inſervientia à flatibus impetuntur, ut ſummam reſpirationis difficultatem, pectorisquè anguſtiam ſentiant; dum enim, ſtrictiùs obturatâ alvo, retinentur, tam potenter non rarò ad diaphragma ſeſe allidunt, ut ejus motum compreſſivum impediant. Nec minùs, pulmonum ſubſtantiam ſubintrantes, eorum compreſſionem lædunt. Talem quoq; ſtomacho obicem obtrudunt, dum, eum inflando, alimentorum concoctionem retardant, lædunt, appetitum dejiciunt, & continuos, per ora, ructûs excutiunt. Quantam in lumbis tyrannidem flatûs exercere ſoleant, dum eos coarctant, & miſerrimè excruciant, id multorum hodieque lacrymæ conteſtantur; quia, ob doloris acerbitatem, ſe calculo affligi, perſvaſum habent. Denique præternaturalis excrementorum alvi retentio tantos non rarò inteſtini ilei, coliqué dolores infert, ut multi, ob particularem inteſtinorum cum nervoſo genere conſenſum, in epilepſias, & manuum pedumque paralyſes incidant; quas mors, ultima linea rerum, ſubſequi nonnunquam ſolet. Quòd hi dolores à flatibus oriri poſſint, docet Hippocrates, *lib. de flatibus*, ubi aſſerit: *aliarum autem ægritudinum, quales ſunt volvuli, aut inteſtinorum convolutiones, aut tormina, aut alii obfirmati, & inhærentes morbi, à flatibus cauſam dependere, cuivis eſſe manifeſtum, exiſtimo. Horum enim omnium ſpiritûs trajectio cauſa eſt. Hic enim, ubi ad loca tenera, inaſſveta, nec priùs attacta incubuit, ad inſtar ſpiculi infixi, carnes ſubit, & interdum quidem ad præcordia; interdum etiam ad laterum inanitates; quandoq; verò ad utramq; partem irrumpit.*

A fæcibus retentis Ilei & Coli dolor.

Non minora ſanitati, vitæque producendæ nocumenta urinæ difficultates, & retentiones inferunt, quàm ſuppreſſiones præter naturam factæ: ſiquidem longiores, eæque præternaturales urinæ ſuppreſſiones non modo veſicam gravant, in

Urinæ retentio morbos generat.

tantum aliquando diſtendendo, ut contrahi ampliùs non poſſit: verùm etiam vicinas partes graviùs affligunt, & interdum, vi nervorum, à ſexto pari, & ſpinali medullâ ad veſicam derivatorum, principes corporis partes in conſenſum trahunt; ob quarum compaſſionem, & conſenſum tremores, deſipientiæ, & convulſiones fiunt. Hinc malum periculoſum, & nonnunquam exitioſum eſt, ob intolerabiles veſicæ dolores, à quibus partes principes in conſenſum trahuntur. Ad hæc, refluente ad nobiliores ſangvinis officinas urinâ, præter naturam retentâ, jecur opprimitur; ſangvis, partium nutritioni præparatus, inficitur; in aquoſum humorem convertitur; cachecticus ventris tumor oritur; vehemens ſpirandi difficultas naſcitur; difficilis curatu hydrops radicatur; & inde millena ſuffocationis pericula accerſuntur. Nec hîc malorum finis. Etenim urina, præter naturam retenta, ſangvinem corruptioni, putredini, accenſioni, febriumque productioni obnoxium reddit; &, niſi ante ſeptimum diem urina fluat, & teneſmus, atque ſingultus ſuperveniant, ægroti, ex omnium Medicorum ſententia, vitâ defunguntur. Hinc ab Hippocrate, *lib. 1. prædict. laborioſæ urinæ damnantur*; quia, juxta *ejusdem aphoriſ. 44. ſect. 6. quibus ex ſtillicidio urinæ ileos ſupervenerit, in ſeptem diebus moriuntur; niſi, febre ſuperveniente, urina ſatis fluxerit.*

Sudoris retentio peſſima.

Quantum ſudores, ſecundùm naturam ſe habentes, corporibus tum ſanis, tum verò ægris utilitatem præſtent, ſufficienter eloqui vix potero. Nam humores, ex ultima digeſtione, in ſani corporis habitu ſuperſtites, per ſudorem, naturali lege ſe habentem, evacuantur, & corpora à ſuperfluâ humorum ſarcinâ liberantur. Ideo docet Hippocrates, *lib. 1. de morb. Quidquid eſt in ſangvine, pituita, & bilis tenuiſſimum, eliquatur, & ſecernitur, partimq́; foràs prodit; partim verò in corpore intus manet: quod autem à calore tenuatum eſt, in vaporem ver-*

vertitur, & , cum ſpiritu mixtum, foràs prodit. *Hinc ſudores omnes abeuntes ſiccant,* ut idem aſſerit, *lib. 2. de diæta.* Quam ob cauſam, magno cum fructu, in ſanis excitantur ſudores, ad longam ſanitatis conſervationem, & ad omnem graviorum morborum impetum averruncandum. In infirmis etiam, cum morbis colluctantibus, divino cum commodo adhibentur, tum ad humorum peccantium diſcuſſionem, & evacuationem; tum ad fuliginum, cor præter modum anguſtantium, excluſionem: quod in febribus malignis & peſtilentibus cum tali ſucceſſu accidit, ut ſit quaſi unicum, in hiſce malis, præſidium, ſudor. Experientiâ enim teſtatum habemus, plurimos, malignis febribus decumbentes, alio remediorum genere, quàm ſudoris provocatione, integræ valetudini reddi non potuiſſe: ſanos verò propemodum innumeros ſudore, per moderata corporis exercitia, evocato, longiſſimè vitam, & valetudinem produxiſſe. Hinc ſani ſæpius per congruam corporis exercitationem ſudent, ut vitæ longævitatē ſibi mercentur.

Sudoris promotio ſalutaris.

Sudor febres malignas curat.

Verùm enim verò, quàm ſapidos, & dulces, optimequè conducentes fructûs, tum ſani, tum infirmi ex naturali ſudoris provocatione colligunt; tam inſipidos, & amaros, maximequè nocentes, ex prohita pororum tranſpiratione, & impeditâ ſudoris provocatione, ſani & ægri recipiunt. Nam, occluſis à frigore, aut humorum craſſitie, & lentore, poris, tam vaporoſæ excretiones, quæ, præ nimia ſua tenuitate, ſenſum noſtrum effugiunt, quàm aquoſæ ſudationes impediuntur; quæ deinde, ex habitu corporis, ad interiora viſcera remeantes, quandoque cerebrum, quandoque cor, quandoque majores venas, ventriculum, & inteſtina affligere ſolent, graviſſimos excitando catarrhos, vertigines, deliquia, cordis palpitationes, difficiles reſpirationes, ſangvinis putredines, febres malignas & ardentes, ſtomachi nauſeam, & dolores colicos, aliaque ſexcenta mala: quia ob diuturniorem, in corporis habi-

Sudoris retenti incommoda.

habitu, tractam moram detenti humores aceſcunt, malignam naturam induunt; hinc ibidem à calore reſoluti, & ad interna viſcera revertentes, ob diverſum, perverſumque ſuum fermentum, diverſa morborum genera producunt. Quantum verò infirmis pororum obſeratio noceat, id cuilibet, rem ſecum ponderanti, luculentiſſimè patebit, ſi, verbi gratiâ, ex morbillis, aut variolis, aut aliis febribus malignis decumbentes, conſiderare placuerit. Hi enim, amabo! in quas, ob prohibitam vaporum, & fuliginum malignarum tranſpirationem, cordis anguſtias, & inquietudines non incidunt? Ad quos, quæſo, obſtructis poris, capitis & lumborum dolores, ob partes nervoſas, membranoſasque, potentiùs à veneni particulis vellicatas, non devolvuntur? Quas vigilias, & deliria, propter prohibitum miaſmati maligno, per poros, exitum, non patiuntur? quia frequentiſſimè hujusmodi ſymptomata increbreſcunt, ob fuliginum malignarum, ad illas partes, translationem; quæ per corporis poros exitum paraſſent, niſi eorum ductûs exigui obſtructi obſtitiſſent. Unde, poros habere apertos, ſanorum valetudini conducit; nec minùs infirmorum ſalutem promovet: quoniam patentibus ſudori, & difflationi, per poros, viis, anguſtantes vapores & fuligines in auram abeunt; quibus abſentibus, cerebrum, cor, reliquæque corporis partes meliùs ſe, ad actiones ſibi naturaliter obeundas, habent, citiusque ad ſtatum ſibi naturaliter competentem revertuntur.

Si per nares excernenda excernuntur, optimè purgatur cerebrum: ſi verò obſtruuntur præter modum nares, graviſſimorum morborum turba generari poteſt. Nam materia, in cerebro præter naturam retenta, frigiditate ſuâ capitis gravitatem parit; aliquando dolores, vertigines, catarrhos, aliasque ſomni gravitates, ut catochos (in quibus ægri ſermonis uſu deſtituuntur) producit. Si verò materia præter modum

Excrementa narium retenta.

modum retenta incaleſcat, putreſcat, & accendatur; phrenitides, & meningum inflammationes oriuntur. Quòd ſi ad partes cerebro ſubjectas decidat, catarrhos in faucibus, collo, pulmonibus, reliquisquè cerebro ſubjacentibus partibus generat, cum tuſſi & anheloſis reſpirationibus; quæ eò graviores erunt, quò materia decidens copioſior & viſcoſior fuerit.

Qui affectûs ab iis generentur.

Licet per Aures modica excrementorum quantitas emungatur; nihilominus tamen earum vacuationem ſpectandam eſſe, judico, eò, quòd, auribus obſtructis, ſæpe ingentes in iis dolores excitantur, ab humoribus ibidem ſubſiſtentibus, &, partem à parte violenter divellendo, ſolutionem continui generantibus: qui, ubi altiùs aurium ſubſtantiæ impinguntur, abſceſſûs gignendo, in pus convertuntur; unde aurium purulentia oritur, quam aliquando inſignis audiendi difficultas, continuus aurium tinnitus, & interdum ipſa ſurditas ſequitur.

Aurium excreta non ſunt impedienda.

Evacuatio, per Sputum fieri ſolita, etiam diligenter advertenda eſt; quia hujus potiſſimum uſus eſt, quando thorax, ſeu pectus, & organa reſpirationi inſervientia, ab humorum, aut quantitate, aut qualitate moleſtantium, onere ſunt expurganda. Quapropter ubi ſputum eo, quo, juxta naturæ exigentiam, fieri debet, modo, facilè contigerit, rejiciendo talia, qualia pulmonum bronchos, aſperamquè arteriam moleſtant, bonum eſt; quoniam pulmones ejusmodi ejectionibus, per ſputum factis, liberantur ab humoribus, qui, ob inſignem quandoque acredinem, pulmonum bronchos, propriamque eorum ſubſtantiam, exedunt: atque hoc modo ſputum ad longævam ſanitatis conſervationem multum confert. Unde Galenus, *in comment. aphoriſ. 12. ſect. 1.* inquit: *in omnibus pulmonis, coſtarumq́ doloribus celeriter, & facilè ſputum exſcreari, in eoq́, quidquid flavi apparet, exactè commixtum eſſe, oportet.* Quia hoc modo integra corporis virtus intimatur. Si verò aliquâ

Sputum thoracis morbos ſanat.

Sputum retentum peſſimum.

ratio-

ratione ſputum impediatur, aut à naturali ſtatu abierit, tantum natura læſa eſſe demonſtratur, quantum ſputum formam ſibi naturaliter competentem amiſerit. Propterea Hippocrates dicit, *lib. Pranot. Omnia ſputa mala ſunt, quæ dolorem non ſedant; peſſima etiam nigra.* Et, *aphoriſ. 15. ſect. 7. à ſangvinis ſputo puris expuitio, malum;* ſiquidem (ut idem, *aphoriſ. 16. ejusdem ſect.*) *à puris ſputo phthiſis, & fluxio: ubi verò ſputum retentum fuerit, moriuntur.* Ex quibus patet, quanta, ex ſputo ritè ſe habente, tum in ſanos, tum in ægros, redundent commoda; quandoquidem hi, graviores morborum preſſuras in pectore perferentes, ex ſputo ſublevantur; illi verò inconcuſſâ corporis valetudine perfruuntur.

Sputa mala.

Quanta, è contra, ex difficiliore, aut omnimodè ſuppreſſa ſputi rejectione, pericula naſcantur, ex eo manifeſtum evadit, quòd, retentis, in pulmonum ſubſtantia, & bronchis, præter naturam, humoribus, mox calor nativus debilitatur, obruitur, & ſuffocatur; quo pereunte, natura quoque perit, delabentibus unà ſtatim in adverſum ſtatum totius corporis partibus. Nam gravatis, præter modum, pulmonibus, cor, eo, quo deberet, modo non ventilatur, tuſſes, pectorisque gravedines, aſthmata, catarrhi ſuffocativi, pulmonum eroſiones, phthiſes, omniumque membrorum contabeſcentiæ naſcuntur. Quæ mala, ex ſententia Galeni, *lib. 6. meth. med.* curabilitatem non admittunt. Inquit enim: *Ex his, qui ulcus in pulmone habent, ii demum inſanabiles mihi eſſe videntur, qui ex ſucci vitioſi eroſione id poſſident.* Ut itaque, ex ſententia Galeni, *lib. de conſtit. art. nihil omnino exſpuere, pernicioſiſſimum eſt: ita ſcreatus facilis ſaluberrimus*, ſi talia exſpuantur, qualia peccant. Unde diligenter invigilandum, ut gravato ab humoribus pulmoni tempeſtivis, ſputumque efficaciter promoventibus remediis ſuccurratur, antequam, oneri ferendo impar, ſuccumbat.

Sputum oppreſſum peſſimum.

Per

Per Hæmorrhoides natura frequenter inutilem terreſtrioris ſangvinis portionem, largamque bilis copiam educere conſvevit, corpora à plurimis liberando morbis, ut melancholiâ, maniâ, cancro, elephantiaſi. Hoc teſtatur Hippocrates, *6. Epid.* inquiens: *Hæmorrhoidas ſangvifluas prohibere incipientem atram bilem, & ſanare durum lienem,* Et, *aphoriſ. 11. ſect. 6. melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes bono ſunt,* quia, ut poſtea docuit Galenus, *in comment. hujus aphoriſ. hæ craſſum ſangvinem fundere ſolent, humoris melancholici plenum, talem in ſangvine vim obtinentis, qualem in vinis fæx habet.* Ideo *inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ fit ſolutio,* teſte Hippocrate, *aphoriſ. 21. ſect. 6.* quoniam (ut inquit Galenus, *in comment.) naturâ humores inſaniam committentes ad partes ignobiles protrudente, dictarum affectionum ſequitur generatio, & inſaniæ ſolutio.* Nec ea ſolùm hæmorrhoidibus vis ineſt, ut corpora jam cum immani hoſte, morbo inquam, colluctantia ab eo liberent; verùm etiam à multis, iisque periculoſis, præſervent affectibus: quod affirmat Hippocrates, *lib. 6. de morbis vulg. ſect. 3. verſ. 28.* his verbis: *qui ſangvinem per ora venarum, quæ in ano ſunt, profundere ſolent, neq; morbo laterali, neq; pulmonis inflammatione, neq; ulcere exedente (phagedænam dicunt) neque furunculis, neque tuberculis, quæ, à cicerum ſimilitudine, Terminthi dicuntur, ac fortaſſis, neque leprâ quidem, neque vitiliginibus corripiuntur.* Ob ingentia hæc commoda, quæ ab hæmorrhoidibus, ritè profluentibus, corporibus præſtantur, Galenus, *lib. de venæ ſect. adverſus Eraſiſtr.* docet, quòd *ex hominibus etiam quibuscunque, pro conſvetudine, ſuperflua per hæmorrhoides vacuantur, ii omnes vitam morbis minimè impeditam agant.*

Hæmorrhoides ritè fluentes bonum.

Fluxus earum quibus ſalutaris.

Quantam igitur atrocium malorum ſeriem, ex impedito præter naturam hæmorrhoidum fluore, timere habeamus, id quivis ſibi facilè perſvaſerit; ubi ritè, naturaliterquè fluentium commoda conſideraverit. Humor enim, per

R hæmor-

Hæmorrhoidum retentio graves morbos generat.

hæmorrhoidales venas effluere ſolitus, ex natura ſua malus eſt, & inutilis; adeò, ut, ex ſententia Galeni, *lib. 3. de loc. affect. cap. 3. ſit veluti fæx ſangvinis, quæ admodum ſpiſſa exiſtit, ut vini fæcibus ſit haud abſimilis:* ideóque tempeſtivè, per ſuas vias, à natura expelli debet. Si enim hæc fæx diuturniorem, in venis hæmorrhoidalibus, à ramo ſplenico & iliaco, ad anum deſcentibus, moram traxerit, tantas pravitatis notas induit, ut etiam, teſtimonio Galeni, *lib. de atra bile, terram, in quam cadit, fermentet. Quam ob rem quibus corporis partibus pura & impermixta adhæret, eas, exedendo, exulcerat*, præſertim, *ſi ad ultimum peraſſata fuerit;* quia, ut idem Galenus, *lib. 2. de natural. facult.* ſic *longè malignior evadit. Ubi igitur, per febres ardentes, melancholicus humor in cutim ipſam propellitur, Carbunculus appellatus producitur. Si verò ad eam, citra febrim, decumbat, fueritq́; permixtus ſangvini, Elephantiaſin generare eſt aptus. Sin ſolus exiſtat, ab initio quidem nigrum tumorem gignit, qui, procedente tempore, terminatur in cancrum. Ubi autem rurſus acrior, & contumacior, hic humor fuerit, cancrum exulceratum: ubi autem mitior, latentem, & citra ulcus, producit: quippe omnes hujusmodi affectûs, & præſertim cancer, ab humore melancholico oriuntur.* Ita Galenus, *lib. de atra bile.* Et hi affectûs autumno magis affligunt, quàm reliquis temporibus: quoniam, ut obſervavit Hippocrates, *lib. de natura hominis, atra bilis autumno & plurima, & fortiſſima eſt.* Propterea, docente eodem, *aphoriſm. 56. ſect. 6. morbis melancholicis per hac tempora ſuſpecti humorum decubitûs, vel apoplexiam corporis, vel convulſionem, vel maniam, vel cæcitatem denuntiant.* Quoniam, dominante, per autumnum, ſucco melancholico, facilè accidit, ut ille cerebrum penetret, & mentem evertat; manias, melancholias, epilepſias, & alias graviſſimas affectiones pariendo, quæ propriè à ſucco melancholico generari ſolent.

Morbi melancholici autumnales.

Venarum hæmorrhoidalium fluorem menſtrua fœminarum

rum purgatio ſequitur; per quam ſangvis, in ſexûs fœminei corporibus, nimiâ quantitate redundans, evacuatur, non ut excrementum qualitate peccaminoſum; ſed ut ſangvis copiâ luxurians; qui à partibus corporis jam ſaturatis, & ſufficienter refectis, in venas majores refluit; ex quibus deinde, per venas, ab hypogaſtrio & ſpermatico ramo, ad uteri fundum, ejusque cervicem excurrentes, per definitos naturæ motûs, & certas leges, ab univerſali legislatore, Deo, eidem datas, evacuatur, concurrentibus, atque incognitos naturæ motûs ſtimulantibus Lunæ mutationibus. Quod quondam doctiſſima Arabum Schola videns, hanc ſangvinis per uterum evacuationem ſolis Lunæ mutationibus tribuebat; quorum opinioni accommodatus adhuc hodiernâ die ſupereſt verſus, dicens:

Menſium itè fluentium beneficia.

Luna vetus vetulas: juvenes nova Luna repurgat.

Hanc ſangvinis excretionem, per uterum fieri conſvetam, provida in omnibus natura, ordine quodam à Deo ſtatuto, machinatur; in virginibus circa decimum quartum plerunque ætatis annum; ſiquidem illud eſt fœtificationis tempus, quo venæ, reliquæquè corporis partes, ad juſtam perfectionem pertingunt; ob quam tanta non ampliùs ſangvinis copia ad partium incrementum requiritur, quanta, ad proficientium augmentum, poſtulabatur. Unde exuberans ſangvinis potio per majores venarum ductûs, à definitis naturæ legibus expellitur. Quod omni menſe, usque ad quadrageſimum nonum, vel quinquageſimum ætatis annum plerunque, in bene valentibus, accidit, niſi aut uterum gerant, (nam in iis, teſte Hippocrate, *lib. de natura pueri, ex delapſo & concreto, in utero, ſangvine materno caro gignitur*) aut infantes lactent: quia & in his non fluunt menſes, eò, quòd ex ſangvine, ad mammas defluente, lac generetur pro infantis nutritione.

Fluxus muliebris ſingulis menſibus.

Quanta ſexus fœmineus, ex menſium fluore, tempore,

modoquè ordinato contingente, commoda percipiat, ſatis ex Galeno conſtat, qui, *lib. de vena ſect. adverſ. Eraſiſtr.* ait: *Porrò, ſi mulier, per excretionem illam menſtruam probè expurgetur; nec podagris, nec articulorum doloribus, nec pleuritide, nec perpnevmonia, nec aliis denique, ex plenitudine, affectibus infeſtabitur.* Si verò contingat, ut *immodicè evacuentur menſes; fœdus corporis color ſequitur, pedes molli tumore attolluntur, corporis robur proſternitur, vitiatur ciborum tum concoctio, tum cupiditas:* teſte eodem Gal. *lib. 6. de loc. aff. ct. cap. 5.* unde, concoctione læſâ, ob caloris, unà cum ſangvine in auram abeuntis, defectum hydropes oriuntur. Nam ad magnam viſcerum refrigerationem, quæ largiorem caloris diſſipationem infallibiliter ſequitur, aquoſi generantur humores, qui, præter naturam cumulati, corpus in aquoſum tumorem abire faciunt, animi defectiones, ſyncopes, imò & ipſam, non rarò, mortem inferunt.

Ordinarii fluxûs commoda; inordinati incommoda.

Si, è contra, menſes ſupprimantur, varii inducuntur morbi, ut aſſerit Galenus, *lib. de vena ſect. adverſus Eraſiſtr. Menſtruis retentis, mulierem cuilibet malo implicari, facile eſt.* Et, *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* dicit, quòd *ſymptomata menſtrua ſuppreſſa ſequi conſveverint, ut lumborum, colli, ſincipitis dolor, qui ad oculorum usque radices extenditur: item febres ardentes, & nigricantes urinæ, cum rubra quadam ſanie, perinde ac ſi aqua, in qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerunt, fuliginem quis miſcuiſſet. Quibusdam urina difficulter redditur, aut omnino ſupprimitur.* Hinc hydropes oriuntur, *qui*, edicente Aëtio, *lib. 3. tetrabibl. ſermon. 2. cap. 20. communiter ſpirandi difficultatem, & tumorem, & gravitatem, & vitiatum colore minducunt, ex virore nimirum albicantibus ægris, ciborum etiam faſtidium pariunt.* Nec in hiſce adhuc ſubſiſtit malorum finis; ſiquidem menſtruorum ſuppreſſionem ſequuntur uteri præfocationes, podagræ, graviſſimi articulorum dolores, melancholiæ, capitis vertigines, cordis tremores, ſyncopes, nervorum reſolutiones; quod teſtatur Hippocrates,

Suppreſſorum menſium morbi.

crates, *lib. de natura pueri*, ubi, de ſuppreſſis menſibus, ita loquitur: *Aliquando etiam ſangvinem in venas corporis refundunt, ita, ut venæ repletæ doleant, & tumores excitentur; quandoque etiam periculum eſt, ne claudicatio ex hoc inducatur*: quia ex ſuppreſſis menſibus inſignis humorum pravitas naſcitur, qui ad cor, cerebrum, jecur, reliquasquè corporis partes ſeſe effundentes, varias morborum ſpecies, pro majore, vel minore humorum pravitate & copiâ, producunt. Propterea menſium obſtructioni, præter naturam factæ, opportunis medicamentis obviandum eſt, ne in tot periculoſas infirmitatum pedicas mollior fœminarum habitus incidat.

Ultimum, in excretis & retentis, locum obtinet Venus; cujus moderatum uſum, ut pote à ſuperflua ſeminis copia exonerantem, Medici, ad diuturnioris vitæ, valetudinisq; conſervationem, plurimum commendant; eò, quòd credant, per legitimum Veneris uſum, naturam fieri vegetiorem, ad exercendas vires ſuas, maximè in corporibus, ob juvenilem ætatis florem, valentioribus: quòd animi hilaritatem pariat, curas removeat, melancholiam ſequeſtret, amentes in ſui notitiam redigat, furorem mitiget, ſomnum facilitet, hebetiores ſenſûs acuat; &, ne ſtellas numerare videar, volunt Medici, quòd moderatus Veneris uſus corpori & menti robur addat, & refocillationem tribuat. *Nam genitura viri proficiſcitur ab univerſo humido, quod in corpore continetur*: ſic docente Hippocrate, *lib. de genitura*, & quidem ab optimo: quia calore ſpirituque vivificante pleniſſimum eſt ſemen; ob cujus exquiſitam caloris perfectionem, ac quaſi divinam ſpiritûs virtutem, Ariſtoteles, *2. de generat. animal. cap. 3.* non potuit ſibi perſvadere, quòd ſeminis virtus calida & ſpirituoſa quandam cum calore igneo habeat participationem: quòd hic deſtruat, & corrumpat; ille verò conſervet, & ſit cauſa generationis rerum omnium.

Venus moderata vitam conſervat.

Semen diutius retentũ putreſcit,

Hoc igitur ſemen, copioſiùs coacervatum, diutiusq́ue in corpore retentum, facili negotio à ſtatu ſibi naturaliter competente degenerat, tam pernicioſam induendo naturam, ut, inſtar veneni cujusdam, graviſſima inducat ſymptomata. Quò enim aliquid eſt perfectius, dum integram naturam ſervat; eò fit deterius, cùm ab illa natura degenerat. Quia omnis mutatio fit à contrario, in contrarium; ab optimo, in peſſimum. Sic teſtatur Hippocrates, *in lib. de affection.* quòd, quantò alimenta, in ſtatu ſibi naturaliter competente exiſtentia ſunt meliora, & accommodatiora; tantò eorum corruptela fit deterior, ſi corrumpantur. Hinc, aſſerente Andrea Laurentio, *lib. 8. Controverſ. Anatomic. quæſt.* 8. *humanum cadaver omnium peſſimè olet; quia hominis corpus omnium eſt temperatiſſimum.* Propterea quoque ſemen ex optima, optimorum totius corporis humorum ſubſtantiâ in diverſis, iiſque perfectis, coctionum officinis elaboratum, quò magis à ſtatu naturali recedit, eò graviores affectiones producit, Tenum in ingvinibus faciendo, teſtes in tumorem attollendo, febres inducendo, cerebrum oblædendo, calorem naturalem ſtrangulando, & univerſum corpus miſerrimè affligendo; de quibus Galenus, *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* fuſiùs tractat.

Semen putrefactum ægritudines efficit.

Immoderata Venus nocet.

Immoderatus, è contra, Veneris uſus multorum morborum occaſionem præbet. Nam ſi ſpermatis, quod eſt de meliore totius corporis ſubſtantia, nimium effundatur, ſpiritûs partium perduntur, corporis & animi virtutes reſolvuntur, omne robur diſſipatur, calidum innatum extinguitur, cerebri facultates læduntur, fundamenta deniq́ue principalium membrorum corruunt, ſenectus, & mors ipſa accelerantur. Hanc ob cauſam Celſo, de Veneris uſu optimè loquenti, obtemperandum judico, qui Venerem nec nimis concupiſcendam, nec nimis pertimeſcendam monet; ſiquidem

Balnea,

Balnea, vina, Venus, corrumpunt corpora noſtra:
Conſervant eadem balnea, vina, Venus.

Nempe moderatus Veneris uſus utilis eſt; quia redundantem ſeminis copiam vacuat: immoderatus nocet; quoniam pretioſum vitæ balſamum rapit, & devorat. Unde timorati conjuges hæc mala, honeſtam obſervando moderationem, effugient. Porrò, extra matrimonium viventes, temperantiæ meminiſſe oportebit: reliqua DEO & naturæ committendo.

Caput XII.

De Animi affectibus.

Quandoquidem, ex ſententia Galeni, *libell. de exercitat. parv. ſphær.* nullus eſt corporis affectus tantus, ut vehementior animæ affectionibus eſſe poſſit; meritò hîc de affectibus, ſeu pathematibus animi, ultimum, inter res ſex non-naturales, locum obtinentibus, tractamus; cùm tanta ſit eorum vis & poteſtas, ut, modum ſervantes, ad inconcuſſæ valetudinis, ac longioris vitæ, conſecutionem faciant: modum verò excedentes, tam ferocis nonnunquam ſint efficaciæ, ut non modò graviſſimos affectûs generent; verùm etiam in momento aliquando jugulent. Hujuſmodi apud Valerium Maximum extant hiſtoriæ, de duabus mulieribus, ſubitaneo gaudio derepentè extinctis; & de Hameſſo, quem, pari fato deletum, commemorat Haly, *lib. 5. Theorices, cap. ultimo.* Sic quoque ex aliis graviſſimorum virorum monumentis, quin & ipſâ quotidianâ rerum viciſſitudine, habemus, quoſdam irâ impetuoſiùs percitos, in apoplexias, paralyſes, manias, epilepſias, aliasque non minùs graves, quàm periculoſas affectiones incidiſſe. Nam excedentes animi paſſiones ſunt inveterata vitia; quæ non citò, ſed, cum hominibus creſcentibus, creſcunt, tantam paulatim, per conſvetudines, vehementiam con-

Animi affectûs moderati utiles; exceſſivi peſſimi.

Fœminæ gaudio mortuæ.

conſequendo, ut ſint incorrigibiles; indequè morbos incurabiles pariant.

Ut ita veriſſimum illud Platonis, in dialogo, Charmidi inſcripto, aſſerentis, evadat, quòd plerique morbi violenti, & eradicatu difficiles, qui corpus noſtrum excruciant, ab animo proficiſcantur: qualiter, à continuatis animi anxietatibus & mœroribus detenti, in inexplicabiles morborum melancholicorum compedes conjiciuntur. Quin imò ex hiſtoriis teſtatum habemus, tantam eſſe animi affectuum potentiam, ut quidam, ſolius metûs vehementiâ, intra viginti & aliquot horarum ſpatium, totius capitis canitiem contraxerit; ut teſtatur Raderus, *in Bavaria ſancta, tom. 2. in vita Mariæ Brabantinæ*, de Ludovico Severo, ex Bojorum ſangvine Principe, qui cùm aliquando Mariæ Brabantinæ, Conjugis ſuæ, literas, dynaſtæ Ruchoni ſcriptas, per tabellarii errorem, domo abſens, intercepiſſet, mox de ſervata thori fide dubitare cœpit, & credere, uxorem commiſiſſe facinus, quod nunquam mente conceperat. Adeóque præmiſſâ quatuor innocentium capitum cæde, quos ex atroci ſuſpicione complices putaverat, Maria demum, integerrima Princeps, etiam ſuam carnificis enſi cervicem ſubjicere coacta eſt. Quâ peractâ tragœdiâ, ajunt, Ludovicum, primâ ſtatim à cæde nocte, cùm barba florente, & juvenili, decorâq; comâ, cubitum ſe contuliſſet, ita incanuiſſe, ut manè ſenem ſeptuagenarium referret. Nimirum etiam nocturnis horis

Hiſtoria mirabilis.

> —— *invigilant animo, ſceleriſq; patrati*
> *ſupplicium exercent curæ, tunc plurima verſat*
> *peſſimus in dubiis augur timor.*

Quid morbus animi ſit?

Conſtat igitur, quòd morbus animi ſit vehemens appetitûs ſenſitivi immutatio, circa bonum vel malum, ſenſu & imaginatione perceptum; jam majorem, jam verò minorem corporis alterationem inferens: animum nimirum exedendo, ſyncerum

cerùm, illumque benignum ſangvinem, omnis lætitiæ & hilaritatis fontem, exurendo, & veluti in cineres redigendo. Propterea morbi, ex animi pathematibus oriundi, ob difficillimam ſuam curationem, flagella Medicorum nuncupari ſolent: quoniam, tentatis aliquando, per annos, efficaciſſimis artis præſidiis, re infectâ, doctiſſimi ſæpe viri, in ruborem & confuſionem adiguntur, aliam non deportantes mercedem, quàm turpiſſimum inſcitiæ nomen. Cùm igitur affectûs animi tantarum, in homine, alterationum quandoque ſint cauſæ, & tam vehementem, in ſangvinis, reliquorumque humorum commotione potentiam habeant, jam illos ab internis partibus ad exteriores, vi quâdam, modoque ſpeciali evocando, diverſiſſimas affectionum ſpecies excitando, imò & ipſam non rarò mortem inferendo: rem operæ pretio digniſſimam nos facturos confido, ſi ad ſpecialem cujuslibet animi pathematis disquiſitionem tranſierimus, ab Amore initium facientes.

Morbi animi flagella Medicorũ.

Eſt autem *Amor* affectus appetitûs ſenſitivi, quo in bonum, tanquam ſibi conveniens, per imaginationem propoſitum, fertur. Hic, ubi temperatæ moderationis limites non transgreditur, torpentẽ viſcerum calorem excitat, languentem ſtomachi virtutem erigit, remorantem concoctionem adjuvat, ſangvinem bonum gignit, ſpiritûs copioſos parit, florentem faciei colorem conciliat, mentis ſerenitatem adfert, ingenioſos amatores efficit, corpus denique ad generoſa quæque tentanda habile reddit. Ubi verò modum exceſſerit amor, tam mirandos aliquando edit effectûs, ut in cautiùs cum blandiente hoc hoſte colludentes non modò infirmentur; ſed etiam ſæpè numero in furorem, inſaniam, tabem, aliasque graviſſimas ægritudines decidant. Quoniam, nimii amoris laqueis irretiti, diu noctuquè rei amatæ contemplationi inhærent, arcendo ab oculis ſomnum, ab ore eſculenta, & potu-

Amoris deſcriptio.

Moderati effectûs.

Immoderati miſeriæ.

 lenta,

lenta. Hinc humores in corporibus alterantur, accenduntur; præſertim ſi ſucci bilioſi & atrabilarii in genere venoſo redundaverint, vapores in caput deferuntur, qui, cerebrum occupantes, ſpiritûs animales mirum in modum exagitant, homogeneam illorum claritatem obfuſcando, mentem perturbant, furorem & inſaniam tantam pariunt, ut aliquando in obvios irruant; aliquando ſibi ipſis violentam mortem inferant; qualiter, ſuperioribus annis, me ſtudiis Medicis Monſpelii operam navante, primario Regii Parlamenti Præſidi contigit; qui, inſano amore correptus, ob improviſam amatæ perſonæ mortem, ſe ex altiſſima Palatii ſui feneſtra, in atrium, quadrato lapide ſtratum, præcipitavit, confractiſquè inde totius corporis membris, infelicem mortem oppetiit. Hinc cuilibet amicè ſvadendum, ut incipienti amoris igni reſiſtat, ex conſilio Ovidii, *de Remedio amoris*, ita canentis:

Hiſtoria inſani amoris.

Opprime, dum nova ſunt ſubiti mala ſemina morbi.

Siquidem facilius eſt, initia affectuum prohibere, quàm impetum eorum regere & coërcere. Etenim

— — Serpunt in viſcera flammæ,
Et mala radices altiùs arbor agit.

Odii deſcriptio.

De *Odio*, utpote amori oppoſito, hîc nihil diſceptatione dignum occurrit: cùm odium ſit veluti inveterata quædam ira, ex ſuis cauſis collecta, & longo tempore perſeverans; ex qua ſola ſingularia non ſequuntur mala; cùm non ſit affectus adeò impetuoſus, ut reliqua animi vitia.

Gaudium.

Gaudium eſt affectus quidam appetitûs ſenſitivi, in bono poſſeſſo quieſcentis; quia, propriè dicendo, gaudere nihil aliud eſt, quàm in bono quodam, cum delectatione, ad ſatietatẽ quieſcere. Hic animi affectus mediocritatem ſervans, ad bonæ valetudinis vitæque diuturnioris conſervationem, non parum adjumenti confert: ſiquidem integras totius corporis vires reficit, floridam, ſine tædio, ætatem facit, gratioſam ju-

ventutis agilitatem conſervat, partium virtutem confortat, ingenio acumen addit, hominemq́ue ad cuncta obeunda munia promptum reddit. Hinc iis quàm maximè lætari convenit, qui, aut ob continuas commerciorum, aliarúmque gravium rerum occupationes, ſunt moroſi; aut ex natura aſperi & duri. Videmus enim, eos, inter ſuaviſſimas, cum amicis, converſationes, ita refici & emolliri, ut ſuaviſſimi fiant, cum tanta virium refectione, ut nectare Deorum eos refectos quis crederet. Si verò gaudium mediocritatis menſuram non ſervaverit, ob nimiam cordis dilatationem & ampliationem, ſpiritûs omnes quaſi in momento diſſipantur & diffunduntur; adeò, ut multi in deliquia inciderint, alii ſyncopes paſſi, alii denique ipſiſſimam mortem experti fuerint. Quod plurimis eveniſſe, teſtantur hiſtoriæ, quæ apud Livium, Gellium, Valerium Maximum, Plinium, aliosq́ue graviſſimos Authores ſuperſunt.

Gaudii vires.

Gaudium immoderatum vires diſſipat.

Triſtitia, gaudio oppoſita, eſt effectus quidam appetitûs ſenſitivi de malo præſenti, vel in re, vel in apprehenſione. Illo enim temporis momento triſtitia oritur, quo malum excrucians adeſſe ſentimus. Cujus rei cauſam Poſſidonius Chryſippo, apud Galenum, *lib. 4. de Placitis Hippocratis & Platonis*, reddens, ait, quòd *omne immodicum & peregrinum, ſubitò irruens, animum permutet*: quod in triſtitia veriſſimum eſſe, apparet; ſiquidem hæc, docente Galeno, *lib. 4. de pulſ. cauſ. mox pulſûs parit languidos, parvos, tardos & raros; quia refrigerat, caloremq́; intrò concitat.* Concitato ad interiora extremarum partium calore, & ſpiritu, hæ algent, corpus palleſcit, nervi læduntur, vivida membrorum caro conſumitur, totus corporis habitus emaciatur, ſpiritûs obtenebrantur, ingenium hebetatur, ratio impeditur, judicium obſcuratur, memoria obtunditur. Et, quemadmodum à tinea veſtes, à teredine ligna corroduntur; ita ab edaciſſimis triſtitiæ morſibus miſerrimè

Triſtitia.

Longæ vitæ nocet.

conficiuntur homines. Ut adeò multorum malorum cauſa omnibus ſit ſuâpte naturâ triſtitia, propter quam nempe melancholiæ & inſaniæ, aliique incurabiles morbi naſcuntur. Imò quidam tam intenſâ corripiuntur triſtitiâ, ut ſeipſos, violentas ſibi inferendo manûs, tollant; quod tunc præſertim accidit, quando, quod cauſat triſtitiam, majus eſt, quàm unde ſperatur ſalus.

Triſtitia melancholiam incurabilem parit.

Huic igitur malorum deterrimo divinâ quâdam antidoto maturè obviam procedendum erit; quod ſvaviſſimis amicorum converſationibus, à triſtitia avocantibus, contingit; demonſtando, rem tantâ triſtitiâ dignam non eſſe, adducendoque valentia fortiſſimorum virorum exempla, qui ſummas ſibi illatas injurias ſine omni planè perturbatione tulerunt. Certè Ariſtides Athenienſis, ex invidorum malevolentia in exilium pulſus, loco vindictæ, Superos eſt precatus, ut omnia Athenienſibus, ſuis è Patria proſcriptoribus, ex animorum ſententia ſuccederent. Sic quoque Anaxagoras, de inopinato filii ſui obitu certior factus, nuntianti reſpondiſſe fertur: nihil novi refers; ego enim illum, ex me natum, noveram mortalem. Hoc modo, hâc viâ, triſtitiæ obnoxii, lætiori animo ſunt reddendi: ad convivia, compotationes, Muſicam, aliasque ſimiles recreationes, triſtitiam diluentes, ſunt invitandi; nihil eorum omittendo, quæ jucunditatem reducere ſunt apta. Quoniam, innuente Eccleſiaſtico, *cap. 30. verſ. 23. Jucunditas cordis, hæc eſt vita hominis.* Et, *animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa. Proverb. 17. verſ. 22.*

Qualiter curanda.

Ariſtides Athenienſis.

Cordis lætitia.

Cùm, docente Galeno, *lib. 2. de ſympt. cauſ.* Metus à triſtitia non differat, niſi quòd, in timore, confertim; in triſtitia verò paulatim ad interiora fiat caloris motus: jure merito triſtitiæ timorem, in ordine, ſubjungimus, dicendo, Metum eſſe affectum appetitûs ſenſitivi, de malo quodam impendente, quod intolerabile eſſe videtur. Ingruente metu, vividus cor-

Triſtitia à metu differt.

corporis color mox in pallorem convertitur: quia ſpiritus & calor influens, ſanguinem ſecum trahendo, ad interiora vergunt. Hinc exteriorum partium tremor & horror ſequitur; quoniam, ut aſſerit Hippocrates, *lib. de flatib. decedente ſangvine ab extremis corporis partibus, & viſcera contremiſcunt, & carnes. Nam aliæ corporis partes ſangvine replentur, aliæ exinaniuntur; exinanitæ igitur, propter frigus, immotæ non permanent, ſed concutiuntur; quùm quod in illis calidum inerat, defecerit. Sangvine autem repletæ, propter ſangvinis multitudinem, tremunt.* Hanc quoque ob cauſam inopinato metu percitis capilli eriguntur; ſiquidem, refrigerato corporis habitu, ejusdem pori condenſantur, ſicque pili in altum eriguntur. Ob muſculorum quoque, ano & veſicæ inſertorum, refrigerationem, facultas retentrix in tantum debilitatur, ut excrementa, per has vias excerni ſolita, non ampliùs ſit retinendo. Quidam, timore perculſi, ob partium refrigerationem, balbutiunt: quidam planè obtimeſcunt: aliqui, vehementiore metu gravati, in deliquia decidunt: alii graviſſimas patiuntur ſyncopes: epilepſiis torquenter alii. Denique, convolantibus, ob metum, ex corporis circumferentia, ad ſuum centrum, ſpiritibus, cum calore influente, ſæpe accidit, ut non modò ſpiritum vitalem, in corde primariò reſidentem, præter modum anguſtent, verùm etiam planè obruant, mortem inferendo: ut docet Galenus, *lib. 2. de ſympt. cauſ.* inquiens: *Nonnulli, ob ſubitum timorem, perierunt: id quod ſolet contingere, ubi debilis, ſuapte natura, animulus, ſub valida perturbatione confertim & extinguitur, & ſuffocatur. Etenim extinctio affectum, ex refrigeratione ortum, conſequitur: ſuffocatio autem concurſum ſangvinis univerſi ad ipſum principium.* Triſtitiæ affectus.

Quærenti autem ex me: utrum Timor, eique affinis terror, nunquam ſanitatis, vitæque productioni proſit? Reſpondeo: timorem aliquando inſignem corporibus utilitatem Met⁹ quandoque conducit.

præſtare, tum ad vitæ, valetudinisque conſervationem ; tum ad amiſſæ ſanitatis reſtitutionem : ſiquidem, verſantibus ob oculos manifeſtis graviorum malorum inſultibus, langueſcens ratio ita excitatur, ut, jamjam in fatali arena conſtitutis, ſaluberrima conſilia, modosque evadendi optimos ſuppetat. Quemadmodum, tradente Ludovico Richeomio, *in valedict. animæ, colloq. 5.* cuidam in Arles, famoſa Hollandiæ Urbe, Joanni Barle nuncupato, accidit. Hic enim cùm, longo temporis curriculo, pro deplorato à Medicis habitus fuiſſet, &, ex paralyſi, lecto affixus jacuiſſet; quâdam die, in domo ſua, ignem conſpexit, qui cùm tabulatum cubiculi ſui lamberet, & popularetur, ille repentè, horrore perfuſus, &, mortem ſibi inſtantem animo imprimens, ita ſpiritûs animales perculit, nervorumque contractorum nodos abrupit, ut lecto confeſtim exilierit, & feneſtrâ fortè fortunâ appræhenſâ, animoſo, per eam, ſaltu ſe ejecerit, atque ita, velut metu perſequente, & ignem, & paralyſim diuturnam effugerit.

Cura Paralyſis.

Audacia, timori contraria, ſingulares corpori alterationes non adfert ; quia à caloris, in corde redundantis, copia, & bonitate oritur, habetque prudentiam & virtutem ſemper comitem : ut ita nihil tentet, niſi quod rei æquitas concedit, & virtutem decet, teſte Ariſtotele : qui dicit, ſpirituum multitudine abundantes eſſe audaciores, & juſtâ de cauſâ pericula aggredi, & bene circa Deum affici ; quoniam certum ſibi divinum auxilium non defuturum ſperant, adeóque, quod juſtè moliuntur, gloriosè perficiunt. Cùm igitur audacia moderatam habeat cauſam ſui conſtitutivam, non video, quo pacto, corporis temperiem alterando, ſanitati officere poſſit. Sed nos ad *Iram*, quæ temerariam quandam audaciam ſibi ſemper adjunctam habet, hinc tranſeamus.

Audaciæ origo, & laudes.

Ariſtoteles, *lib. 1. de anima, iram ſangvinis accenſionem, circa cor*, aſſerit : Alii, graviſſimi viri, *iram furorem, & inſaniam brevem*

Ira ſangvinis fervor.

vem nuncupant: ut Seneca, *lib. 1. de ira*: Alii iracundiam quendam veluti caloris innati fervorem dicunt: ut Galenus, *lib. 2. de pulſ. cauſ.* & *lib. de cauſ. morb.* item *lib. 6. de placit. Hipp. & Platon.* Idem Galenus, *lib. 1. de different. febr. cap. 3.* inquit: *Iracundia eſt veluti fervor quidam, ac motus vehemens potentiæ iraſcibilis, in corde reſidentis.* At nos, ſalvis tantorum virorum ſententiis, dicimus:

Iracundia eſt affectus appetitûs ſenſitivi, vindictâ & ultione plenus, excitatus ab imaginatione, rem aliquam repræſentante, ſub ſpecie injuriæ factæ, vehementem animi motum ſecum inferens. Ubi obſervandum, tria ad iræ excitationem concurrere: acceptæ ſcilicet injuriæ apprehenſionem: vindicandi appetitum: & caloris in corde hoſpitantis accenſionem, ſeu fervorem. Propter hunc ſangvinis fervorem, iraſcentibus in corde fieri ſolitum, Galenus, *lib. 3. de placit. Hippocratis & Platonis*, iraſcibilem facultatem, perturbationibus obnoxiam, in thorace, id eſt, corde, habitare ſtatuit. Iræ definitio. Tria iram faciunt.

Quanta, ex atroci hoc affectu animi, irâ ſcilicet, modum excedente, mala, in ſubitam vitæ humanæ decurtationem & perniciem conſpirantia, redundent, id ſatis ex Galeno, *lib. 3. de placit. Hippocratis & Platonis*, conſtat, ubi inquit: *Fervorem aliquem caloris innati, per iracundiam, in corde oriri; cujus ratione accidit, ut tota facies inſletur, corpus univerſum rubeſcat, incaleſcatq́ue, & vehementer cor, una cum animantis arteriis, ſubſiliat*, atque (ut idem, *lib. de anim. mor. & corp. temp. mut. conſecut.* aſſerit) *ingenitum calorem accendat, & igneum reddat, &, præ caloris in corde abundantiâ, iracundos quaſi furentes efficiat.* Quod, docente eodem Galeno, *lib. 6. meth. med.* facillimè accidit, ubi iracundia bilioſas naturas occupat, quas maximè accendit, & acutas febres parit. Longè adhuc diriora iracundiæ mala recenſentur à Seneca, *lib. 2. de Ira, cap. 36.* inquiente: *Alii nimio fervore rupêre venas, & ſangvinem ſupra vires elatus clamor egeſſit, & lumi-* Graves morbi ex ira.

luminum ſuffudit aciem in oculos vehementiùs humor egeſtus, & in morbos ægri recidêre. Nulla celerior ad inſaniam via eſt. Multi itaq; continuaverunt iræ furorem, nec, quam expulerant mentem, unquam receperunt. Sic nimirum iracundia totum corporis mentisque ſtatum immutat, ut in iratis oculorum diaphanum quaſi ſcintillet, mirabilis tremor labiorum muſculos occupet, violentam linguæ titubationem patiantur, ſtridulâ dentium concrepatione frendant, vultu nunc, ob caloris concentrationem, palleant; nunc verò, ob caloris per partes exteriores diffuſionem, igneo rubore flammeſcant: imò, tantâ quandoque ferociâ corporis partes ira affligit, ut febres ardentes oboriantur, graviſſimi coli dolores naſcantur, epilepſiæ, paralyſes, apoplexiæ generentur, atque mors ipſa quaſi momentanea inferatur. Quod etſi contrarietur expreſſæ Galeni doctrinæ, *lib. 2. de ſympt. cauſ.* aſſerentis, quòd *ex iratis nullus unquam ſit mortuus, utpote, quibus neq; calor refrigeratur, neq; robur diſſolvitur*: veriſſimum tamen eſſe, teſtantur graviſſima Veterum monumenta; quin etiam idipſum quotidiano rerum eventu docemur. Hoc modo, teſtante Senecâ, *lib. 2. de Ira, cap. 36. Ajacem in mortem egit furor, in furorem ira.* Eâdem prorſus ratione, ignavum Bohemorum Regem, Wenceslaum, vehementiore, in pincernam ſuum, irâ commotum, paucorum dierum ſpatio extinctum fuiſſe, narrat Hagecius, *hiſtor. Bohemicar. part. 2. fol. 80.* Recentiora infelicium hujusmodi fatorum exempla hâc hodie die adducere poſſemus, eorum, qui, paucis ab hinc annis, non modò, ob iræ vehementiam, epileptici & paralytici facti; verùm etiam, propter vehementiorem animi excandeſcentiam, ſtratasque, ab annorum carie, vires, poſt paucorum dierum evolutionem, per Acherontem, Stygem, & Cocytum, ad campos Elyſios trajecerunt, unde, ut Seneca inquit, nemo, cùm ſemel venit, potuit redire.

Ex ira mortui.

Cùm

Cùm igitur tam horrenda malorum ſeries inſanam efferatæ mentis iracundiam ſequatur; jure omnium meritiſſimo ea ex animis excidenda, diligenter refrænanda, ferventiorque ejus impetus cohibendus erit: quod cum utilitate fiet, ubi intra nos ipſos iram continuerimus, ardentemq; ejus furorem percautè oppreſſerimus. *Nam*, ut inquit Galenus, *lib. de curandis animi affect. ab ira prorſus liberari ſimul ac quis velit, non continuò quis poteſt. Comprimere autem illius perturbationis intemperantiam atq; inſolentiam poteſt. Quod remedium ſi ſæpius quis uſurpaverit, agnoſcet tandem adeò ſe ipſum minùs, quàm antea, propenſum ad iram, ut ne, ob magnas quidem cauſas, iraſci poſſit.* Si quis verò alios deformi huic perturbationi obnoxios corrigere, & ab ira ad venuſtiorem animi manſvetudinem reducere velit; is, nativam cujusque hominis inclinationem præmeditetur, & circumſpectâ utatur methodo, neceſſe eſt. Siquidem alii, ex naturali inclinatione, facilè; alii difficulter iraſcuntur & placantur; alii precibus vincuntur; alii iisdem exacerbantur; alii, terrore incuſſo, componuntur; alii, à propria phantaſia, ad patientiam compelluntur: alii objurgatione & increpatione pacificantur: alii verò, ante compoſitam tem, ad ſe non redeunt, ideoque, ſæviente irâ, non ſunt perturbandi. Hoc modo omnes, pro cujusvis naturæ indole, tractandos eſſe, cenſemus; primas ſtatim, ſi fieri poteſt, iracundiæ ſcintillas extinguendo: quod aut à propria iraſcentis reflexione perficitur, aut modeſtâ adſtantis admonitione, quâ ſvadetur, ut vindicta, injuriæ cauſâ capienda, patienter differatur. Quoniam, ut inquit Galenus, *lib. de curand. animi affectib. præſtat, nos facere omnia, quæ facimus, ubi impetus ille animi deferbuerit, quo tempore, jam ratione opitulante, punitionis modum ſimus inventuri. Poteſt enim pœna dilata exigi, non poteſt, exacta, revocari:* ut inquit Seneca, *lib. 2. de Ira, cap. 23.* Atque hoc animum gubernandi modo Alexandrum Macedonem adeò excelluiſſe,

Ira refrænanda.

Pœna quævis lentè capienda.

ſe, idem, loco jam citato, teſtatur, *ut, cùm legiſſet epiſtolam matris, quâ admonebatur, ut à veneno Philippi, Medici, caveret, acceptam potionem non deterritus biberit. Fecit hoc & Cæſar ille, qui victoriâ civili clementiſſimè uſus eſt. Cùm ſarcinam deprehendiſſet epiſtolarum, ad Pompejum miſſarum, ab iis qui videbantur aut in adverſis, aut in neutris fuiſſe partibus, combuſſit.* Hâc eâdem animi moderatione plurimos alios, è clariſſimo antiquorum Heroum cœtu, tantopere præcelluiſſe, narrant hiſtoriæ, ut nullis malevolorum conviciis, nullâ temporum injuriâ, nullis denique Tyrannorum minis pœnisque à ſereno rationis ſtatu amoveri, & ad iram incitari potuerint. Quod mirâ Paſtoris, ſplendidi Equitis Romani, patientiâ comprobatur, qui, aſſerente Seneca, eâdem die, quâ filium, à ferociente Cæſaris falce demeſſum, extulerat, ſine omni vultûs exprobratione, manifeſtâquè animi commotione, cum Tyranno cœnavit. Hiſce optimorum, ex Gentilitate, virorum veſtigiis cuilibet Chriſtiano inhærendum eſt, ut, eorum calcando veſtigia, valetudinem longam, longamque vitam aſſequatur; cujus tanta unicuique, ex nobis, ineſt cupiditas, ut ſemper ea, quæ ad vitæ prolongationem faciunt, pro ſe quisque amplecti conetur; quia bene, diuque vivere ſinguli ex nobis deſiderant.

Ira non omnibus obeſt.

Quærenti autem ex me; utrum omnibus, ſine diſcrimine, hominibus ira noceat? Reſpondeo: cùm phlegmatici, ex omnium Medicorum ſententia, ſint frigidi, & humidi; adeoque obtuſiorem calorem poſſideant, iis iram prodeſſe, eò quòd multi Medicorum judicent, calorem ab ira excitari, vegetioremque reddi. Ideo Hippocrates, ut ait Galenus, *lib. 6. de placit. Hippocratis & Platonis, dum pravo colori corporis, gracilitatiq; in habitu perfrigerato medetur, iracundiam dicit ſtudiosè excitandam eſſe, tum coloris recipiendi gratiâ, tum effuſionis humorum.* Hoc modo iram multis cachexiâ laborantibus profuiſſe, per D. D. Andream de Volckshoven, Virum rei Medi-

Iar Cachecticis prodeſt.

cæ peritiſſimum, & Celſiſſimorum Principum ab Eggenberg Archiatrum doctiſſimum, accepimus. Quibus clarum evadit, moderatam quandoque iram prodeſſe, quam & ſcriptura non improbare videtur, dum ait: *Iraſcimini; & nolite peccare.*

Jam verò, licet invidia tacitè, inimicè tamen iraſcitur; ut loquitur Seneca; eò, quòd invidi, ob inſatiabilem animorum avaritiam, locupletiores rerum poſſeſſiones, proximis ſuis à Deo conceſſas, non modò invideant, ſed etiam ſibi deeſſe arbitrentur. *Nam invidia,* juxta Galenum, *lib. de curand. animi affect. eſt dolor, ex alienis bonis conceptus, omnium vitiorum fœdiſſimum: Avaritia verò inexplebilis habendi cupiditas.* Cùm igitur invidia, & avaritia, ſint animi paſſiones, occultum cordis furorem circumgeſtantes, non inconvenienter hoc nobile par ſororum, tanquam iræ cognatarum, eidem quoque annectimus: quoniam hæ affectiones ſangvinem & ſpiritum, ut ira, jam ad interiora corporis viſcera revocant; jam ad exteriora membra revolvunt. Per quas mutationum viciſſitudines calor nativus, digeſtionum Vulcanus, ita hebetatur, ut viſcerum concoctiones aut non eo modo fiant, quo debent, aut prorſus intactæ relinquantur; unde cruditates, & morborum myriades naſcuntur. Ad hæc ſomnus, & nocturna quies, corporum conſervationi ſummè neceſſaria, aufertur: ob cujus abſentiam fœdiſſimus totius corporis color, cum omnium non rarò partium contabeſcentia, contrahitur. Inexplebilis hæc, & invida habendi cupiditas, facit, ut

Invidia & avaritia amicæ.

Earum effectus.

Impiger extremos currat Mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Ad ſedandam illam invidæ avaritiæ cupiditatem, explendumque inſatiabile ejus deſiderium, tot vigiliis & laboribus, tot curis, anxiisque ſolicitudinibus, tenaces avaritiæ clientes animos ſuos conficiunt, ut inter periculoſiſſimam hanc divitia-

tiarum corroſionem non raró conſtitutum à Deo vitæ terminum abbrevient, & abrumpant; & aut, in mari, naufragio pereant, aut, ob nimias animorum anxietates, in ardentes febres incidant, aut ita demum ſpiritûs diſſipent, ut diuturniori vitæ non ſit locus. Galenus, pernicioſam hanc agnoſcens divitiarum corraſionem, illam, *lib. ultimo citato, comparabat voracitati ventriculi, quâ plus, quàm ſatis ſit, ciborum ingeritur. Etenim cibo, ut ajebat, nullâ aliâ causâ egemus, niſi ut alamus corpus: nutrit verò corpus, ſi benè concoctus fuerit: benè autem coquetur, ſi modicus. Nam ſi immodicus fuerit, concoctionem non experietur; ſed uſus ipſius corrumpetur: ſiquidem aut, dejectus per inferiora, alvi profuſionem excitabit; aut diſtributus per univerſum corporis habitum, malum intra venas humorem gignet. Quæ igitur in corpore didiciſti, ad animum licet transferas: cujus exhauſta cupiditas plura perpetuò expetit, quàm ipſe uſus poſtulat, unicaq; ac omnis mœroris & triſtitiæ eſt cauſa. Eâ namq; accenſi nonnulli, qui præſentium rerum inexplebiles ſunt, nunquam concupiſcere deſinunt.* Quod dum faciunt, vires ita conſumunt, ut aut lentâ quâdam tabe contabeſcant, aut caſibus fortuitis pereant. Hinc avaritia, cum electa ſua conſorte, invidiâ, ſunt expungendæ, ut ne radix quidem earum in animis noſtris relinquatur. Ex earum enim reliquiis alia malorum pericula propullulare poſſunt, vitæ abbreviatonem adjuventia & promoventia.

Ambitionis vires.

Nec melior eſt inſanâ Ambitione decumbentium conditio. Dum enim ambitioſi honoribus, plauſibus, & ex his conſequendæ nominis exiſtimationi, augendæque potentiæ cogitationes ſuas ſedulô tradunt; ſomnum turbant, & ab oculis arcent, deſignatam virium refectioni noctis quietem adimunt, caput debilitando, ſenſûs corporis pervertendo, ſangvinem, partium refectioni elaboratum, accendendo, calorem nativum inflammando, balſamum vitæ, id eſt, humi-

dum

dum radicale, depaſcendo, ſicque vitam præmaturè abbreviando. Uude omnes gloriæ & honoris avidiores ſaniorem induant mentem; ſua ſint ſorte contenti; conſiderantes, quòd, plus æquo velle ſuſpici, & honorari, ab inani planè & ſtulta ambitione proficiſcatur. Quisquis igitur longiorem amaverit vitam, & diuturniore corporis ſanitate gaudere voluerit, is diligentem navabit operam, ut animum à violentis paſſionibus averruncet, flagrantioris odii & amoris exceſſum vitet, præfixos gaudii & triſtitiæ limites non excedat, animoſam, in timores & audaciam, moderationem obſervet: malè-ſanum iracundiæ furorem attemperet: indecoram avaritiæ appetentiam comprimat: invidiæ ſqualorem abigat: vanam illam, nimisque arrogantem ambitionem ab animo exulare faciat: omne denique curarum melancholicarum genus, utpoto malignæ prorſus naturæ, ex animo excuciat. Quoniam hæ perverſum in corpore ſuccum generant, mentem perturbant, melancholicos homines faciunt, à quibus deinde mala conſilia agitantur, ſibiquè, aut aliis, futura pericula ſtruuntur; atque, ut Galenus, *lib. 5. de loc. affect. cap. 5.* ait, ***non ſolùm inſomnia, & tumultuoſi ſomni moleſtant, ſed amentia quoque, propter vitioſum humorem, in ore ventriculi collectum.*** Denique longævioris vitæ amator obſervare habet Galenum, *lib. 1. de ſanitat. tuend.* dicentem: ***ut aliquis, in longiſſimum prolatâ vitâ, etiam bonâ valetudine perpetuò utatur, is liber, oportet, ſit, ab omni negotio publico, nimirum ſibi vivens duntaxat, ſoliq; indulgens corpuſculo. Etenim immortale fieri, quod genitum eſt, planè non poteſt: ut verò in longum perduret tempus, id maximè fieri poteſt. Nam qui optimum ſortitus eſt corporis habitum, ſi ab omnibus, quæ ad publicum in vita ſpectant, ſecedat, ſibiq; tantum vacet; nec morbo ullo, quoad fieri poterit, unquam tentabitur, neque, ante longiſſimum vitæ tempus, morte occupabitur.*** Felices igitur, & plerunque ſunt longævi, qui procul à curis, uſuris, negotiis, atque nocivis ſæculi tempeſtatibus, mentem

Diu vivere volenti quid faciendum.

ſuam abſtrahunt; quoniam eorum moleſtiâ ſpiritûs attenuantur, & dies abbreviantur.

Abſoluto rerum ſex non naturalium ad longioris vitæ productionem plurimum facientium, examine, oritur quæſtio, cur, inter utilitates & incommoda, quæ, iis legitimè, vel illegitimè adhibitis, dedi, nullam penitus mentionem fecerim uſitatiſſimæ omnibus penè hujus ſæculi hominibus Tabacæ? An frequentiſſimum ejus uſum forſan non obſervavi? Quid igitur de famoſo ejus uſu ſentiendum? Nihilne nobilis hæc herba ad vitam in longius protrahendam conferet? Reſpondeo: ſine dubio celebratiſſimum Tabacæ uſum à me fuiſſe notatum, & quidem tam ferventem & continuum, apud nonnullos, ut affirmare auſim, me noviſſe homines, qui malunt penuriam panis, quàm Tabacæ pati. Nam attritarum virium damna ſemel, aut ad ſummum bis, per diem pane reſarciunt: nares verò quovis propè momento Tabacâ replent. Cui rei, temporis ſucceſſu, adeò aſſveverunt, ut ſcatulas etiam, hoc confortativo impletas, noctu quoq; ad lectum collocatas habeant, ut, evigilantes, famelicis ſuis naribus eò promptius ſuppetias ferre poſſint. Quem autem continuus ille & inſatiabilis Tabacæ uſus adferat fructum, non ſatis liquet; ſiquidem pulveres errhini naribus induntur, ut ſuccos pituitoſos, aut in cerebri meatibus & cavitatibus collectos fundant, attenuent, & reſolvant; aut illos, meningibus tenacius adhærentes proliciant. In horum verò pulverum, caput purgantium, exhibitione, tantâ opus eſt cautelâ, in impurioribus præſertim corporibus, ut maxima ſit temeritas, imò grande nefas, apud Galenum, *lib. 2. de compoſ. med. ſecund. loca*, reliquóſque altioris doctrinæ Medicos, ante univerſalem corporum evacuationem, errhina medicamenta exhibere. Quoniam humores in cerebri ſubſtantia, ejuſque ventriculis, ſternutatione excuti, & explodi non poſſunt. Hinc humores in capite, pectore, reliquoquè corporis habitu nonnunquam

Celebris Tabacæ uſus.

Errhina cautelâ opus habent.

Sternutatio pectus ſublevat.

graſ-

graſſantur; qui, per ſternuationem agitati,& ad cerebrum migrant, &, copiâ excedentes, repentinæ ſuffocationis, paralyſis, epilepſiæ, apoplexiæ, lethargi, & ſimilium graviſſimorum affectuum pericula inferunt. Propter graviſſimos hoſce morbos Galenus, *lib. jam citato, cap. de Cephalæa*, docet, *quod non ſtatim à principio efficaciſſima errhina adhibere competat, ſed à debilioribus auſpicari oporteat.* Ut ita exorbitantes quoſdam Tabacæ clientes mirari ſatis non valeam, qui, graviſſimos ſuſtinentes catarrhos, cum manifeſto infortunii periculo, ſuæ dilectæ herbæ uſum continuare non verentur.

Tabacæ uſus frequens quos morbos parere poſſit.

An ergo immoderatus iſte, & continuus quorundam Tabacæ uſus ad diuturnioris vitæ conſervationem faciat, cuilibet prudentis judicii viro conſtabit, ſi modo conſideraverit doctrinam Hippocratis, *aphoriſ. 51. ſect. 2.* dicentis, *quòd ſemel, multum, & repentè vel evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculoſum ſit. Siquidem omne nimium eſt naturæ inimicum: paulatim verò quod fit, tutum eſt.*

Tabacæ uſus nimius officit.

Quis ergo ſibi perſvaſerit, inexplebilem, illumque penitùs indecorum Tabacæ uſum, ad productioris vitæ conſervationem facere? Quia continuâ attractione non modò nares quaſi inſenſiles redduntur, ſed etiam cerebrum turbatur, calor nativus in eo irritatur, & atteritur, ſpiritûs animales inquietantur, diſſipantur, conſumuntur, ſicque totius corporis langvor ſubſequitur: ita, ut quidam, præſtantis prudentiæ viri, aliàs ad rerum publicarum gubernacula aptiſſimi, ante tempus, & memoriâ, & officiis, tandemque vitâ ipsâ defungantur. Nec refert, quòd aliqui objiciunt, exſtare de facto viros integerrimæ vitæ, qui absque intermiſſione Tabacâ utuntur, & tamen ad ſat magnam venerunt ætatem, perdurante eximiâ ingeniorum perſpicuitate. Reſpondeo enim: quòd, uti una hirundo non facit ver, ſic unius aut alterius rei obſervatio non faciat,

Nares inſenſiles redduntur.

Cerebrum turbatur.

ut vulgari hominum experientiæ quid derogetur. Nam quotidiano rerum eventu docemur, dari ſtrenuos potatores, qui ad magnam venerunt ætatem: ex quo tamen malè infertur: ergo omnes potatores diu vivunt. Siquidem quotidiè experimur, quòd maximus potatorum numerus, in ipſo ætatis flore, phthiſi, febribus hecticis, malignis, & ardentibus, plevritidibus, peripnevmoniis, hydropibus, aliisq; morbis, ex vitæ irregularitate oriundis, abripiatur. Quin imò, propriâ id didici experientiâ, quòd maximi potatores, ſemel infirmati, fuerint inſanabiles. Eodem modo, novi aliquot, quaſi infatuatos Tabacæ cultores, qui catarrhis, apoplexiâ, paralyſi correpti, intra pauciſſimos ſemper dies, ſine omni medicamentorum fructu, fatis conceſſerunt: non aliam ob cauſam, quàm quòd continuo Tabacæ uſu, ex inferioribus corporis partibus, humores acres ad caput potentiùs attrahantur; à quo, cum impetu, aut ad ſubjectos pulmones, aut nervorum principium, ruunt, & vel omnimodam obſtructionem pariunt, apoplexiam generando; aut quorundam tantum obſerationem generant, paralyſin excitando.

Potores infirmati moriuntur.

Tabacarii mortui.

Quærenti ergo ex me: utrum omnis, ſine diſcrimine, errhinorum uſus ſit malitioſus: & an Tabaca, ſeu Nicotiana, ſit errhinon medicamentum? Reſpondeo: Nicotianam à Joanne Schrödero, *lib. 4. pharmac. Medic. Chymic.* inter errhina medicamenta numerari: ſecundò: ſternutationem, ut alia errhina medicamenta, gignit, Ex quo tamen non ſequitur, Tabacam omnino eſſe nocivam; honeſto enim moderamine, manè, & veſperi, aſſumpta, collectam in cerebro materiam reſolvit, &, ſternutationem cauſando, vacuat. Hoc modo, Galeno teſte, *lib. de inſtrum. olfactûs, capidis gravedini eſt auxilio:* quia, ut idem aſſerit, *lib. 2. de ſympt. cauſ. Sternutatio*, ab errhinis ſcilicet medicamentis excitata, *exturbat craſſiores & lentos de cerebro mucos; & expelluntur, quæ retenta in naribus hærent.* Quin

Honeſtus tabacæ uſus ſalutaris.

Quin imò *illos etiam humores, qui in aſpera arteria contumaciter hærent, & difficulter expectorantur, magis evellunt ſternutamenta, utpote, quæ validiorem, quàm tuſſis, habent ſpiritûs impetum. Nec mirum videri debet, ſpiritum unico impetu, & ex pulmone, & ex capite emitti. Nam cùm principium inſurgit, ut expellat, quæ infeſtant nares, utroque utitur reſpirationis meatu. Hinc multi ægri, dum egent rejectione ſputi, per regionem pulmonis, nec eam, ob imbecillitatem pectoris, moliri poſſunt, ſibi ſternutationem provocant, naribus irritatis, ut, ob violentum motionis impetum, exſpuant, quæ tuſſiendo rejicere haud quaquam poterant.* Ex quibus clarum evadit, temperatum, opportunumque Tabacæ uſum ad longioris vitæ productionem plurimum emolumenti conferre poſſe: quia moleſtam pectori & cerebro materiam digerit, reſolvit, & evacuat, atque calorem nativum à ſuffocationis periculo, oppreſſionisque metu, liberat.

Si quæratur: quid de Fumatione tabacæ ſentiam? Eodem utor reſponſo, quo de errhinis uſus fui. Siquidem moderata ejus fumatio iis ſervire poteſt, qui humidioris & frigidioris conſtitutionis cerebrum habent, & hinc ad catarrhos magis proclives ſunt: quia per copioſam ſalivationem exuberantes cerebri humores evacuantur, cerebrique frigiditas, ob Tabacæ ſecundi gradûs caliditatem, per fumum attemperatur. Hinc in catarrhis, odontalgiis, frigidisque capitis, pectorisque vitiis, moderatè adhibita, prodeſſe videtur: cùm, è contrario, immoderatiùs per fumum ſumpta, caput turbet, ebrietatem & temulentiam gignat; maximos poſt ſe capitis dolores relinquendo. Atque hæc, de Tabaca dixiſſe, ſufficiat. Nobis verò nunc ad illam opuſculi partem transeundum eſt, quæ Medicinas ad vitam in longius ævum producendam opportunas exhibebit.

Fumatio Tabacæ temperata commendatur.

Immoderata prohibetur.

MANUDUCTIONIS
PARS II.
De REMEDIIS, AD LONGIORIS VITÆ CONSECUTIONEM FACIENTIBUS.

Caput I.
De Præſervatione.

Cùm in prima Opuſculi noſtri parte attigerimus ea, in quibus corporis humani vita radicatur & conſiſtit, quæque eam conſtituunt,& in plurimos annos eandem prolongare poſſunt; atque dixerimus, eam eſſe vitæ humanæ conditionem, ut ſemetipſam, inſtar candelæ ardentis, ſenſim, ſine ſenſu, conſumat, & in momenta ſingula, certis decrementis, deficiat; adeò, ut homo videri poſſet, quaſi ſerpentes in ſinu proprio, vitam tacito quodam toxico adimentes, foveret, aut teredines & tineas, vitæ fundamenta clam corrodentes, in corpore aleret, aut in interiore corporis perâ mures, vitæ balſamum elingentes, circumferret. Nam calor nativus,cùm,omni temporis momento,amico humidi ſui primigenii fruatur commercio; continuò agendo, actionésque in partibus efficiendo, illud inadvertenter abſumit; itâ, ut vel omiſſâ humidi primigenii, per humidum, alimentari reſtauratione, vel longiore contrarii vehementioris præſentiâ, tandem ipſum conſumatur, contabeſcat, reſolvatur, & in auram abeat.

Inteſtinus hoſtis, vitam rapiens

Calor inſitus brevioris vitæ cauſa.

Has,

Has, ad velociorem interitum facientes, cauſas illa incommoda mirum in modum adjuvant, quæ adhuc in uteri ergaſtulo exiſtentibus accidunt; vel ob malè ſanas partium generationi ſervientium affectiones, vel vitiatam ſeminis parentalis virtutem: à quibus dum facultates, ad perfectam fœtûs elaborationem requiſitæ, aut omnino impediuntur, aut tantoperè infirmantur, ut vel à congrua partium temperie, vel conformatione, vel magnitudine, vel numero, vel ſitu, vel deniqúe connexione aberrent, atquè ità partes morboſas malè afficiant, ut nimiam humorum cacochymicorum exuberantiam pervincere non poſſint; neceſſum eſt, nativam partium virtutem, à primordio debilem, hoc in conflictu opprimi, eâque oppreſſâ, mortem tandem, quæ ultima rerum omnium linea eſt, adventare. Et quamvis corpora humana ſint in genere perfectionis omnibus numeris abſoluta; ea tamen ipſorum eſt conditio, ut humores, corporis nutritioni deſignati, habeant nocivas quasdam qualitates ſibi commixtas, quæ, cùm diverſæ ſint energiæ & virtutis, tam diu quidem fermentationis earum motus ritè peragitur, dum in recta temperie conſiſtunt: at ubi inutiles illæ, & heterogeneæ, cruoris particulæ æquo diuturniorem, in corporis cavitatibus, moram trahunt, atque à ſtatu ſibi naturaliter debito longiùs abeunt; tam perverſam quandóque & malignam induunt naturam, ut generent melancholias, lycanthropias, amentias, furores maniacos, actuum humanorum obliviones, morbos contagioſos, ardentes, malignos & peſtilentes; qui tam crudè in pretioſum vitæ balſamum, humidum nimirum radicale, & calorem inſitum debacchantur, ut, intra paucos quandoque dies, imò pauciſſimas nonnunquam horas, illud conſumant, mortemquè accerſant præmaturam.

Cauſæ vitæ brevitatem inferentes.

Qualitates peregrinæ, alimentum corrumpendo, vitam interrumpunt.

Quem igitur in modum continuus ille, nimiúsque caloris primigenii defluxus, & humidi radicalis diſſipatio, impediri, &

Vitæ diſſluxum impedire, arduũ. ri, & nonnihil ſiſti valeat: quo item pacto nociva illa heterogenearum particularum, alimentis commixtarum, congeries, per congrua artis remedia, averruncari debeat; hîc labor; hoc opus eſt. Et quamvis hoc conamen præter modum videatur arduum; omnium tamen votis ſatisfacturos nos ſperamus, ſi in ſecunda hac Opuſculi noſtri parte methodum quandam tradiderimus, quâ tum pernicioſa humorum redundantium colluvies tolli, tum nimia nativi caloris, hum idique radicalis, diſſipatio ritè poſſit præcaveri. Integrâ enim horum conſervatione, & opportunâ illorum ablatione, accidit, ut vitam in longiſſimos annos, ſine omni morborum inſultu, firmam ſoſpitémque conſervemus. Cùm itaquè, docente Galeno, *lib. 1. de ſanitate tuenda, ea Medinæ pars ſit nobilior, quæ præſentem corporis valetudinem tuetur; atq; ſanitas morbum dignitate & tempore præcedat*; jure merito à præſervatione inchoamus, dicentes:

Vitam ſervandi methodus.

Præſervationis deſcriptio. *Præſervatio eſt tempeſtiva ſuccorum, morbos generandi aptitudinem habentium, correctio & ablatio:* vel: *prophylaxis eſt nobiliſſima Medicinæ pars, quæ juxta artificioſa ſcientiæ Medicæ præcepta exorbitantes, aut exorbitandi potentiam habentes, heterogenearum cruoris particularum qualitates tollit & emendat, quò minùs aut nimiùm cumulata, aut altiùs exaltata, & à ſtatu naturali longiùs abeuntes, morbos pariant.* Per ſolertiſſimam igitur præſervationem noxiæ humorum cacochymicorum congregationes præcaventur, periculoſi ægritudinum inſultûs præpediuntur; ita, ut, quævis obſtacula removente prophylaxi, homo vitam in longius ævum prorogare, natúraque à Deo conſtitutum vitæ terminum attingere poſſit. Unde, præ reliquis Medicinæ partibus, maximam præſervationi gloriam competere, aſſerit Martinus Rulandus, in ſuo, *de lue Ungarica, tractatu, cap. 5.* ubi inquit: *Quemadmodum longè majorem laudem meretur Naucle- rus, qui, æſtuante vehementiùs Oceano, & manifeſta perditionis pericula*

Præſervationis excellentia.

cula comminante; ſua ſibi tutelæ datos à naufragio liberat, quàm ſi eosdem, jam perpeſſo periculoſiùs naufragio, è tumultuantibus maris procellis eripiat: ita quoque eidem Medicinæ parti glorioſiores laudum tituli competunt, quæ, artificioſis artis præſcriptionibus inſtructa, impedit, quò minùs in morbos ancipites eventûs habentes incidamus, quàm ſi jam tum cum fatali hoſte graviùs colluctantes reſtituamus. Quò enim vehementiores ſunt morbi, corpora humana affligentes, eò majora fiunt humidi radicalis, & in eo ſituati caloris inſiti, diſpendia; quæ ex integro reſarcire & reparare, difficile eſt, imò impoſſibile; ob rationes alibi ſat ſuſè allatas. Unde, è periculoſioribus graviorum morborum pedicis erepti, non poſſunt tantum dierum numerum, tantámque vitæ extenſionem ſibi promittere, quantam ſibi polliceri habent, qui, per aptam remediorum ſupellectilem, ab iisdem fuêre præſervati. Ut eapropter præſervatio, graviſſima ægritudinum mala à corporibus arcens, ſvaviſſimum vitæ humanæ condimentum nuncupari mereatur; ſiquidem hâc colophonem addente, mortalibus ægris in longius ævum vivere eſt conceſſum.

Graviores morbi graviora damna.

Ut autem omnes hoſtiles morborum impetûs ab ipſis corporis noſtri intermuralibus, pro viribus, avertamus, duæ potiſſimum cauſæ, corporibus inſitæ, nobis veniunt obſervandæ; quarum altera Plethora; altera Cacochymia dicitur: quia hæ duæ cauſæ, corpora humana inhabitantes, bonam eorundem temperiem facilè in ſiniſtram diatheſin abire faciunt: eò, quòd cuilibet humorum ſpeciei, ſive naturali, ſive præternaturali, ſuum inſit temperamentum, quod partibus iis imprimit, quibus inhærent. Quò verò humores ii copioſiores & pejores fuerint, nobilioréſque partes occupaverint, eò quoque majores ac pernicioſiores morborum ſpecies inducunt. Hanc ob cauſam Galenus, *in art. medicinal. cap. 94.* ubi de Præſervatione loquitur, aſſerit: *Univerſum*, præſervatio-

Duæ cauſæ ſpectandæ, ad vitam ſervandam.

Præſervatio in quo conſiſtat.

tionis ſcilicet, *genus præcipuè circa humores verſatur, quos neque lentos oportet eſſe, neque craſſos, neque aquoſos, neque plurimos, neque vehementer calidos, aut frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios, neque veneni naturæ affines.* Horum omnium ratio eſt; quòd humores craſſi & lenti ſint crudi; *crudi verò,* edicente Galeno, *lib. de euchym. & cacochym. ſunt ad morbos generandos maximè idonei.* Eodem modo nec oportet eſſe humores aquoſos; quoniam nimia humorum aquoſitas viſcerum, ſangvinis productivorum, refrigerationem, renum imbecillitatem, & hinc hydropem minatur: juxta illud Galeni, *lib. 2. de ſymptom. cauſ.* ubi ait: *ſi ſeroſa excrementa redundant, aſcitem, ſeu aquam intercutim inducunt.*

Crudi humores morbos gignunt

Humores quantitate officiunt.

Non minùs ſanitati officiunt humores, quantitate excedente peccantes, ſive ii ſint evchymi, ſive cacochymi. Hi enim diverſas, pro naturarum ſuarum varietate, diverſorum morborum ſpecies producere ſunt apti: illi verò, aut vaſa nimium diſtendendo, ruptionis metum inducunt; aut, virium robori longè ſuperiores, repentinæ ſuffocationis metum inferunt. Simili prorſus ratione humores vel calidiores, vel frigidiores, partium temperiem diſponendo, ſunt apti, producere morbos ſibi proportionatos. Ad eam planè normam humores, nimiâ acrimoniâ præditi, vel ad putredinem inclinantes, veneniq; naturæ affines, manifeſta hominibus exitia comminantur; quoniam ejusmodi humorum fex non facilè ſcaturit, niſi corpora humorum copiâ, vel qualitate, peccante obruantur; qui, ubi difflari ſatis nequeunt, & diutiùs corporibus immorantur, illicò aceſcunt, putreſcunt, & malignitatem contrahunt: vi quarum qualitatum homines non modò de ſanitatis inverſione, ſed ipſiusmet etiam vitæ perditione, non rarò periclitantur. Nam ubi aucti humores fuerint, pariunt morbos, innuente Galeno, *cap. 94. artis medicinalis:* ubi verò humores nimium putreſcunt, & veneni naturam induunt, epoti, le-

Qualitate nocent.

Ex putridis ſuccis venenum generatur.

ti, lethalis veneni ad inſtar, aliquando jugulant: qualiter jugulatus fuiſſe videtur phreneticus ille, cujus meminerunt Hippocrates, & Galenus, *lib. 3. de morb. vulg. comment. 3. ægro 4.* ubi hic aſſerit: *vitioſus in corpore humor coacervatus fuit, veneno lethali propè adſimilis; qui, ubi vitioſiſſimus evaſerat, lethale repentè apparuit ſymptoma. Unde & hic æger tertio ſtatim die obiit, à qualitate ſuccorum virulentorum, non à phrenitide, peremptus.*

Ad eundem prorſus modum, & ob eaſdem penè cauſas, duos, Anno 1675. in Decembri, viros extremum obiiſſe diem, novi: quorum alter Urbis Echinopolitanæ; alter verò Polnenſis, Celſiſſimi Principis de Dietrichſtein hæreditariæ civis erat. Inciderat enim uterque in febrim acutiſſimam, cum tam enormibus deliriis, vociferationibus, violentis inſultibus, ut ab aliquot virorum fortiſſimis ægrè potuerint cohiberi: tam anxiè inſuper, concitateq; reſpirando, qualiter, ardentis caniculæ tempore, ex longo velociq; curſu defatigati canes reſpirare ſolent. Continuarunt porrò hæc ſymptomata, ſinè omni penitùs remiſſione, per tantum temporis ſpatium, usque dum natura, humorum venenatorum ferociâ victa, ſuccumberet, & ægri exſpirarent.

Hiſtoria Phreneticorum.

Unde cuilibet, diuturnioris vitæ amatori, ſvadeo, ut conſervandæ corporis puritati, naturæque integritati accuratiſſimè ſtudeat, & ambabus, ut dicitur, manibus amplectatur divini ſenis, Hippocratis, doctrinam, hanc in rem plurimùm facientem; quâ, *lib. de flatib.* monet, ut per *detractionem redundantium, & adjectionem deficientium*, naturæ gravatæ & periclitanti ſuppetiæ ferantur. Quod tunc fieri perſpicuum eſt, dum nimirum redundantium, qualitateque peccantium ſuccorum vitium, per competentia auxilia, tollitur, quò minùs à nimio eorum incremento, aut vitio contracto, morbi naſcantur; & oppreſſæ deficientésque corporis vires, per efficacia remediorum genera, adjuvantur, roborantur, & inſtaurantur. *De*

Adjectionis & Detractionis utilitas.

illis

illis enim, ut inquit Meſue, *in univerſalibus ſuis Canonibus: eſt ipſa ars Medicinæ, quæ eſt de conſervatione & adjectione rerum naturalium, & evacuatione & remotione rerum præter naturam: adjectio autem nihil eſt aliud, quàm conſervatio rerum naturalium, aut earum acquiſitio, quæ in corpore non ſunt: ſicut detractio nihil aliud eſt, quàm ablatio, ſeu evacuatio rei præter naturam.* Tanta denique harum duarum operationum, detractionis nimirum redundantium, & adjectionis deficientium, in foro Medico, eſt dignitas, ut opportunæ earum inſtitutioni vitam & valetudinem, in longiſſimos annos protractam, tribuamus. Hinc docet Hippocrates, *lib. de art. Medicinam eſſe, quæ ſanè in totum à morbis ægros vendicat, vehementéſque morborum impetûs obtundit*: quia tollit per detractionem, quod excruciat; & reddit, per adjectionem, corpori robur, quod perierat adeò, ut: tradente eodem, *lib. de leg. Omnium artium præclariſſima dicatur*, quoniam *Medicina id, quod moleſtum eſt, tollit; & id, à quo homo ægrotat, auferendo, ſanum facere novit*: ut eſt apud eundem, *lib. 1. de diæt.*

Qualitas & ſuccorum quantitas demenda.

Qualiter ergo humorum, ſive quantitate, ſive qualitate peccantium detractio, rerúmque deficientium adjectio, per congrua artis Medicæ præſidia inſtitui debeat, & poſſit, videlicet eum in finem, ut vitam & valetudinem in annos quàmplurimos ſoſpitem extrahamus, id deinceps eâ, quâ licuerit, diligentiâ declarabimus.

Caput II.

De Humorum alimentariorum detractione.

Diu vivere volenti quid faciendum.

QUicunque commodam, quâ nunc fruitur, valetudinem deinceps etiam ſartam tectámque conſervare nititur, is omnium eorum rationem habeat, neceſſe eſt, quæ quandam naturæ vim inferre conſveverunt; ut, ſingulari præſidiorum valore armatus, iis omnem ferociendi facultatem,

tem, nocendique occaſionem, in primo ſtatim limine, per ſuperfluorum detractionem, adimat: ſive ea ſecundùm, ſive præter naturam fuerint. Nos ab ea actionis parte exordium faciemus, quæ, juxta Hippocratem, circa humorum, nutritioni deſtinatorum, *ſuperabundantium detractionem* ſollicitatur; ut firma corporis ſanitas, quoad fieri poteſt, conſervetur, & omnis morborum impetus retundatur. Notum enim eſt omnibus, doctioribus ſaltem artis Hippocraticæ ſectatoribus, quòd ſangvis, partium refectioni datus, variorum graviſſimorúmque morborum cauſa eſſe ſoleat, niſi, per ſingularem Medicorum ſolertiam, eidem omnes exorbitandi occaſiones, per detractionem, auferantur.

Sangvis copioſus morbos inducit.

Interroganti autem, quomodo humores, corporis conſervationi præparati, in tantum augeri, & eò malitiæ pervenire poſſint, ut morbos pariant? Reſpondeo, ex Hippocratis, *lib. 3. de diæt.* quòd, *ubi cibi ſuperant labores, ſenſim collecta repletio morbum invehat.* Id quod vitam otioſam & ſedentariam degentibus, ac comeſſationibus die noctúque indulgentibus evenire ſolet. Horum enim natura aſſumptorum digeſtioni laborioſè adamuſſim præeſt, chylum in ſtomacho præparatum diſtribuendo, in ſanguinem transmutando, partibus alendis applicando, & aſſimilando tantum, quantum à partibus alendis exigitur; quando verò ſolidis corporis partibus, jam tum ſaturatis, nihil ampliùs adjici poteſt, venæ & arteriæ ſangvinis abundantiâ replentur; quibus ità repletis, nec locum habentibus, in quem noxiam ſangvinis copiam exonerent, pronum & proclive eſt, ut aut vas aliquod, ſangvinem continens, à nimia ejus multitudine rumpatur; aut calor nativus ſuffocetur. *Nam plenior athletarum corporis habitus, ſi ad ſummum ſit plenitudinis gradum perductus, lubricus eſt, neque in eodem permanere, aut conſiſtere poteſt: quum verò non conſiſtat, nec jam poſſint in melius proficere, ſupereſt, ut recidat in deteriùs*, tradente Hippo-

Copioſior ſangvis corrumpitur.

crate, *aphoriſ. 3. ſect. 1. Sangvis enim, utiliſſima naturæ poſſeſſio, ubi, in aliqua corporis parte plurimus accumulatus, ejusdem partis vim ſuperat, corrumpi conſvevit:* ut innuit Galenus, *lib. 2. de diff. febr. cap. 9. præſertim ſi in parvis vaſis, propter craſſitudinem, conſtipetur, aut, ob multitudinem, impingatur: quemadmodum videre eſt in univerſis inflammationibus: in quibus ſanè, duabus de cauſis, ipſe ſangvis corrumpitur: & quia ſcilicet non difflatur, & quia à natura non vincitur.* Quapropter idem Galenus, *lib. 9. meth. med. Sangvinem bifariò fieri inutilem,* docet: *vel quando propriam qualitatem ad unguem non ſervat, nec ampliùs nutrire, ſicut priùs, poteſt; vel dum ita multitudine crevit, ut premat vires, vel diſtendat vaſa, vel ea rumpat.* Quocunque autem modo peccaverit, ſive alienam qualitatem induendo, ſive vires opprimendo, ſive vaſa diſtendendo, vel ea obſtruendo, vel denique rumpendo; ſemper ſangvis aptus eſt graviſſimorum morborum myriades progenerare. Nam ubi vas rumpitur, ſangvis extravaſatur: *ſed ſangvis extravaſatus ſubitò in grumum concreſcit,* tradente Galeno, *lib. de atra bile: in grumum verò concretus, graviſſima ſymptomata inducit:* innuente eodem, *lib. de euchym. & cacochym.* quoniam, ut tradit Hipprocrates, *aphoriſ. 20. ſect. 6. ſangvis, extra vaſa elatus, neceſſariò putreſcit:* diverſas omnino, pro locorum, in quibus putreſcit, varietate morborum ſpecies producendo. *Si enim,* ut ſcribit Galenus, *lib. 8. de placit. Hipp. & Platon. ſangvis in pulmone, & ſpatio inter pulmonem & coſtas medio, ex corporis inſtrumentis effuſus conſtiterit, tempore putreſcens, tabem efficit. In ventre etiam, & per magna vulnera, in grumum coaleſcens, extrema pericula inducit.*

Ex duplici cauſa ſangvis perditur.

Concreti ſangvinis noxæ.

Talem ſangvinis extravaſati, concreti, & corrupti potentiam infelix ille Vinitor expertus fuiſſe videtur, cujus meminit Valleriola, *lib. 3. obſervat. 8.* qui, ex graviori contuſione, præmaturè extremum obiit diem; quia, referente Valleriola, *diſſecto cadavere, è regione vulneris, inter cranium & duram menin-*

Hiſtoria de ſangvine concreto.

meningem, ſat multa puris copia inventa fuit, membranaquè ipſa prætumida & decolorata, qua parte vulnus inſederat; etſi nulla tamen in cranio ſubeſſet fractura, ſciſſuráque aliqua, ſed ſola, ex ictu, concuſſio. *Unde, factum fuiſſe,* ait, *ut ictûs violentiâ, & contuſione, venalæ pericranii, ſangvinem fundentes, & ruptæ, ſaniei genitæ materiam præbuerint: qui ſangvis per partium læſarum poros transſudavit, & à calore partium in pus redactus fuit.* Ut ita ſit vero verius, ſangvinem, extra ſua vaſa delatum, non modò putreſcere, ſed & graviſſimos, imò lethales morbos producere poſſe.

Qua de cauſa *plenior illa corporis habitudo haud cunctanter eſt ſolvenda, quò corpus novæ nutricationis initium capiat; quia repletiones extremæ ſunt periculoſæ,* ut docet Hippocrates, *aphoriſ. 3. ſect. 1.* Quis ergo, viſo tantorum malorum cumulo, ex ſolius ſangvinis degenerantis vitio naſcentium, non judicet, plurimum ad valetudinem tuendam, vitámque longiorem, momenti conferri, ſi, certis cujusvis anni periodis, corpora, ſucco ſangvineo repleta, per venæ-ſectiones, ad evitanda tam gravia pernicioſorum morborum pericula, evacuentur. Per tempeſtivas enim ſangvinis detractiones non ſolùm ejusdem quantitas, ſed etiam qualitas peccans demitur; ſiquidem, teſtante Galeno, *libell. de purgant. medicam. facult. Per ſangvinis detractionem æqualiter omnes, qui in venis ſunt, humores vacuantur.* Hinc febrium initia, priùs, quàm incandeſcunt, ſangvinis vacuatione tolluntur, altiores humorum putredines impediuntur, primæ obnaſcentium inflammationum ſcintillæ per eam ſuffocantur. Adeò, ut ſectione venæ nec majus, nec præſtantius, nec promptius, nec demum ſecurius remedium, in toto Machaonis campo, reperiatur. Quod ipſum Galenus, probè advertens, *in fine comment. aphoriſ. 23. ſect. 1.* diſertè aſſerit: ſe præſentius remedium, ad tollendam doloris magnitudinem, non inveniſſe, venæ ſectione. Sed & cordis tremori, referente eodem, *lib. 5. de loc. affect. cap. 1.* medetur,

Plenior habitus tolli debet.

Venæ ſectio morbos præcavet.

aliisque innumeris morbis, aut à ſangvinis puri, aut aliorum eidem commixtorum plenitudine ortis, eſt remedio.

Quas ergò ſanitatis, longiorisque vitæ, conſervationi utilitates Venæ ſectio non præſtabit, quæ, præſervationis causâ, opportunè adhibita, exuberantem humorum copiam detrahit, ſi jam pugnantes cum morbis vires tam facili negotio ſublevet? Hæc, profectò, eſt venæ ſectio, quæ, cum judicio facta, exceſſivam ſuccorum multitudinem auferendo, inconcuſſum virium robur ſervat; cujus adjumento valida membrorum virtus ſuſtentatur; cui gratioſiſſimus faciei decor, etiam per plurimorum annorum decurſum immutatus, debetur; per quam ad omnia habilem promptamque ingenii diſpoſitionem conſervamus; à qua denique, opportuno tempore, debitóque modo factâ, ea in nos redundant, quæ ad ſanitatis, vitæque longioris incrementum maximè conducunt. Quæ igitur ad venæ ſectionem, utpote præſentiſſimum artis remedium, ritè inſtituendam ſint obſervanda, ſequentibus trademus, diligenter examinando; an ſangvinis detractio ſit tentanda; quando; ubi; & in qua menſura, is ſit evacuandus.

Quid opportuna venæ ſectio fructificet.

Caput III.

De Venæ-ſectione.

Hîc notandum primò, aliquot eſſe venæ ſectionis uſûs; quia per eam, diverſo reſpectu, non ſolùm à morbifico inſultu præſervamur: ſed etiam ab ipſo, jam crudeliùs in corporis vires deſæviente, liberamur. Nam redundantem ſangvinis quantitatem, venæ inciſionis adminiculo, ſubtrahimus; qua etiam unà corruptorum humorum portiones, qualitate nocentes, tollimus, in partes influere diſpoſitas revellendo, derivando, & univerſum corporis habitum

Sangvinis copia inciſione venæ tollitur.

gratioſè refrigerando. Sangvinem, inſuper, æquo majori quantitate peccantem minuimus, dum plethoram, vaſa fortiùs diſtendentem, viresque potentiùs opprimentem exhaurimus, ſimulquè exhauriendo metum illum, qui rumpendorum vaſorum, calorisque nativi ſuffocandi cauſa erat, adimimus. Nam diſtendentem, viribúsque ferendis majorem ſangvinis copiam auferendo, efficimus, ut proniore curſu fluat, & ob difflationem, omni ex parte evenientem, faciliori cum negotio à natura regatur; viribus ex omni parte reviviſcentibus: quæ deinde omnia gerenda & diſponenda eo modo exequuntur, ut ſingula ad perfectæ valetudinis, vitæque, longævitatem vergant. Eodem modo impura humorum cacochymicorum miasmata, & particulas, ſangvinis boni ſubſtantiæ commixtas, tolli, non eſt dubitandum. Cùm enim venæ-ſectione humores, in venis contenti, evacuentur; etiam vitioſa eorum ſaburra tollatur, neceſſe eſt: ſiquidem in venis

Sunt bona mixta malis: ſunt mala mixta bonis.

Secundò, quotidiano rerum uſu experimur, quòd in evacuationibus, per venæ inciſionem inſtitutis, priùs deterior maſſæ ſangvineæ portio effluere ſoleat, quàm melioris notæ ſangvis ſequatur. Cujus ratio, edicente Galeno, *lib. 1. de temper.* eſt, *quod ſangvis purus natura admodum affinis exiſtat, non ſolùm animantis partibus nutrimentum præſtans, ſed etiam calorem naturalem conſervans:* ut idem aſſerit, *lib. de curand. rat. per venæ inciſionem.* Per inciſionem pejor ſangvis aufertur.

Tertiò, tanta eſt naturæ, conſervationis ſuæ ſtudioſiſſimæ, providentia, ut etiam minimas, quas poteſt, malorum ſuccorum atomos à ſe longiùs abeſſe jubeat; qui proinde, per venas, ad extimos ſuæ regionis terminos amandati, eò promptiùs per venam apertam erumpunt, quò ſectio venæ in remotioribus corporis partibus facta fuerit. Ea de cauſa

Natura malum ſangvinem odit.

mirum non eſt, primum aliquando, & ſecundum ſangvinem, ad vaſcula competentia exceptum, deterioris eſſe ſubſtantiæ, quàm ſit ultimò effluens: ſiquidem per ſtupenda naturæ, in hac evacuatione cooperantis, opera deterior ſangvinis portio quaſi manu mittitur, &, tanquam ingratus, moleſtúsque hoſpes, præ reliquis, foràs abire cogitur. Qualiter ergo de loco in locum, per venæ apertionem, humorum fiat revulſio, id rem conſideratiùs perpendenti facilè patebit. Nam omnis moleſta humorum illuvies ad partes eas abigi ſolet, quarum virtus, vel ob vitiata generationis principia, vel tolerata morborum incommoda, eſt hebetior. Niſi ergo copioſior ſuccorum redundantia, per tempeſtivam ſangvinis miſſionem, tollatur, corpus amaris infirmitatum pœnis obnoxium redditur. Quin imò non rarò, ſummo cum fructu, humor, jam in partem aliquam illapſus, nondum tamen eidem firmiùs impactus, apertâ in propinquo venâ, ad alia loca derivatur; abſque morbi illatione; quem certo certiùs intuliſſet, niſi venæ-ſectionis interventione fluxus interceptus fuiſſet.

Venæ ſectio refrigerat.

Quàm porrò efficaciter ſangvinis detractio calidiorem corporis habitum refrigeret, id ex iis affatim conſtabit, ſi conſideraverimus, quòd per eam, in tempore adhibitam, vehementes febrium ardentium æſtûs ſopiuntur, anguſtantes eorum impetûs refrenantur, & tandem penitùs opprimuntur. Quantum ergo, in extinguendo ferventiore corporis calore, præſidium non præſtabit ſangvinis eductio, quæ corpori valenti adhibetur? Siquidem in hac, unà cum ſangvine, vehementior humorum calor, & ſpiritûs, copioſè erumpentes, in auram abeunt; quibus abeuntibus, corpus, per accidens, refrigeratur.

An igitur vena alicui ſit incidenda, id ex iis, quæ ſequuntur, facilè pateſcet. Primò enim debilis, & exhauſta corporis

ris diſpoſitio non patitur Venæ ſectionem, quia cum ſangvine, vitæ balſamo, copioſi ſpiritûs detrahuntur; quibus detractis, vires diſſolvuntur, & caloris nativi robur atteritur. Secundò, cùm pueri ſpiritûs facilè diſſipabiles, & inſignem carnis mollitiem habeant, requirantquè, ob continuam augmentationem, inſignem partium nutritionem; *iis, ante decimum quartum ætatis annum, non eſt ſecanda vena;* monente Galeno, *lib. 11. meth. med.* Verùm enim verò, hac noſtrâ ætate, illam Galeni doctrinam parum videmus obſervari; neceſſitate enim, quæ legem non habet, ita exigente, trimulis etiam, vel quadrimulis, ſangvinem, per venam inciſam, detrahunt Medici, dicentes: *Cùm natura ſit morborum medicatrix*, juxta Hippocratem, *lib 6. epidem. text. 1.* & *per ſe docta, ea, quæ conveniunt, efficiat*; Medicus autem ſit imitator naturæ benè operantis; oportet eam in omnibus ſuis operationibus diligenter obſervare, ejúsque præmonſtrata exempla æmulari, pro viribus. Jam verò, cùm experientiâ propè quotidianâ conſtet, pueros, per longam narium hæmorrhagiam, ab intenſiſſimis febrium æſtibus fuiſſe liberatos; quis jure Medico ſuccenſeat, ſi ſangvinis evacuationem, in pueris quoque, dum neceſſitas exigit, tentet, &, naturæ magiſterio inſtructus, eundem è venis extrahat, quem illa, ſponte ſuâ, à ſe, velut redundantem & noxium, repellit? Non poteſt profectò errare ſæpius, qui naturam ſive ducem, ſive magiſtram ſequitur, & præmonſtratam ab illa ſangvinis redundantis, aut vitioſi, diminutionem, dum neceſſitas exigit, inſtituere non reformidat.

Quibus vena ſecanda, quibus non.

Pueris ſecatur vena.

Tertiò Galenus. *lib. de ſang. miſſ.* Senibus, ob languentem eorum virtutem, facilémque relinquarum adhuc virium reſolutionem, ſangvinis detractionem prohibet; nec malè: ſiquidem, ob conſumpta, potiori ex parte, vitæ principia, humidum nimirum radicale, & calorem inſitum, ſenum corpora non modò ſunt debilia; ſed etiam frigida & ſicca. Si igitur

Galenus ſenibus non aperit venam.

illis

illis ſangvinem, ſuperſtitis vitæ theſaurum, detraxeris; nonne iisdem tumulum reſerabis, & præmaturo funere ſepelies, quos, ſangvine ſervato, in vivis ſervare adhuc potuiſſes? Nam ſenectus per ſe tot tantisque malorum incommodis torquetur, ut morbo ſit ſimilior, quàm ſanitati: ex quo illud videtur natum, ut communi quaſi adagio dicatur: *Senectus ipſa eſt morbus.* Vnde Galenus, *lib. 2. de ſympt. cauſ.* ait: *ſenectus intemperies quædam eſt, ad frigus & ſiccitatem proclivior; ob quam ſiccitatem ſenes ſunt & debiles, & tremuli*: ut inquit Galenus, *lib. de tremore.* Hiſce tamen non obſtantibus, ſunt, qui, experientiâ, & Galeni authoritate, *lib. de ſang. miſſ.* aliud edocti, ſenes, robuſtas vires, & venas ſangvine infarctas habentes, phlebotomant, cum inſigni utilitate, & facili virium tolerantiâ. Inquit enim Galenus, *Vehemens, æqualis, & magnus pulſus incorruptum virium robuſtarum eſt ſignum; quare, ſi in ſeptuagenariis is adſit; affectúsque jubeat; etiam ſecabis venam: proinde non tantùm annorum numero, ſed corporis etiam habitui intendendus eſt animus.* Sunt enim nonnulli ſenes, qui, aut principia generationis vitiata, aut ob miſerias, per rerum viciſſitudines toleratas, circa ſexageſimum ætatis annum, ex virium exolutione, tam ſunt debiles, ut vix liberè reſpirent. Eos ergo magno phlebotomiæ remedio velle tentare, grande nefas foret. Cùm, è contra, virium robore valentibus, & ſangvinis plenitudine ſcatentibus ſeptuagenariis vehementer ſanguinis miſſio poſſit prodeſſe; maximè, ſi à multis annis huic evacuationi aſſveverint; & in vere ejusdem detractio acciderit, ſanguinis ventilandi gratiâ. Nam *tempori, regioni, ætati, conſvetudini aliquid condonandum eſt*, docente Hippocrate, *aphoriſ. 17. ſect. 1.*

Aliquibus ſenibus conducit.

Quibus ſenibus non eſt incidenda.

Quartò, venæ ſectio non eſt tentanda, ubi ſuccorum cruditas exquiſita adfuerit; etiamſi febris jam quos corripuerit: quoniam, ſubtiliore ſanguinis portione per venam ſectam eductâ,

Succi crudi non petunt ſectionem venæ.

eductâ, virtus, humorum oneri ferendo impar, ſuccumbit. Qua de cauſa audiendus eſt Galenus, qui, *lib. 11. meth. med.* jubet *ſuccorum vitium, quæ redundanti ſucco ſit accommodatior, corrigi.* Neque enim venæ ſectionis operatio ad primam vitioſorum humorum cloacam pertingit. Minùs ergo inde quid demet. Et eſto, cacochymiæ ſedes ſit aut in venarum cavitatibus, aut in corporis habitu; commodiùs tamen illa evacuari non poteſt, quàm catharticorum uſu: ſiquidem illa vitioſos tantùm humores evacuant, malum à bono ſegregando, & ſanguinis puritatem generando.

Quintò denique, nec nimiùm venæ-ſectionem timentes eâ ſunt tentandi; quòd, ob graviorem rei apprehenſionem, facilè in animi defectum incidant. *Ex vehementiſſimis autem animi perturbationibus nonnulli exoluti fuêre;* tradente Galeno, *lib. 1. de art. curand. ad Glaucon.* Ergo hoc remedio non ſunt torquendi, qui illud tantoperè formidant; maximè verò ſenes, & corpore imbecilli. Nam *debilis ſuapte naturâ animula, ſub valida perturbatione, confeſtim & extinguitur, & ſuffocatur;* ut ab eodem ſcribitur, *lib. 2. de ſympt. cauſ.*

Timidi non patiuntur ſectionem venæ.

Ex his, quæ hactenus à nobis diſceptata ſunt, illud tandem conficitur: venam videlicet non eſſe incidendam, niſi iis ſolummodò, qui ſunt ætate florentes, inſigni virium robore præditi, qui faciei colore rubent, venas præ ſangvinis multitudine tumentes habent, & per univerſa corporis ſpatia laudabili ſucco abundant. Hi nimirum ſunt, qui, ſine ſexûs diſcrimine, ſive adoleſcentes, ſive ætate adultâ provecti, ſive ſenio graves fuerint, ſangvinis evacuatione egent. Nam *plenitudo, quæ ad vires, & ad vaſa refertur, facilè aut in putredinem abit, aut, in partes quaſdam ingruens, inibi tumores præter naturam excitat;* innuente Galeno, *lib. de vena ſect.*

Cui ætati competat, & quibus ſubjectis.

Cùm verò tempus venæ ſectionis optimum ſit duplex: alterum præſervationis; quando nimirum ſanguis educitur,

Tempus venæ ſectionis duplex.

tur, ut corpora ab inimicis morborum inſultibus præſerventur: alterum curationis; quando detractio inſtituitur, ut jamjam debacchantes in naturam ægritudines tollantur: meritò præſervationis tempus primo loco disquiſitioni ſubjicimus. Illud definiunt divinus Hippocrates,& Galenus,dum hic, *lib. de curand. animi affect.* inquit: *Morborum eventûs, per veris initium, detractione antevertere oportet*: ille verò, *aphoriſ. 47. ſect. 6.* & *aphoriſ. 53. ſect. 7.* aſſerit: *Quibus ſangvinem è venis detrahere conducit, iis vere ſecanda eſt.* Ratio hujus ab ipſomet Hippocrate, *lib. de natur. homin. circa finem*, datur, ubi ait: *Ver calidum eſt & humidum, à cujus imbribus, & dierum tepore, ſangvis augeſcit.* Quare niſi ea ſanguinis incrementa, ſub vernum tempus, imminuantur, & ille priùs, quàm ebullire atque efferveſcere incipit, extrahatur; conſectaneum eſt, homines vere & æſtate dyſenteriis corripi, aut ſanguinis è naribus profluvio (ut bellè obſervavit Hippocrates, *lib. de natur. hom.*) laborare. *Nam, pro anni varietate, variantur morbi*; confirmante eodem, *lib. de humoribus*. Ut itaque morbos, ancipites eventus habentes, à noſtris corporibus avertamus, vitam in longius ævum prolongando; jucundiſſimo veris tempore, prodeuntibus arborum foliis, vireſcentibus gramine pratis, illis præſertim diebus, quæ ſiniſtris conſtellationum aſpectibus & influentiis carent, horâ antemeridianâ, deguſtatis priùs aliquot juſculi cochlearibus, aut cibo modico, vires nonnihil reficiente, venas aperiemus. Jejunis enim planè ſtomachis nunquam facilè ſunt incidendæ venæ, eò, quòd vapores, ex timentium maximè ventriculis exſurgentes, deliquia generant, plùs damni, quàm commodi inferendo. Habui plurimos, etiam altioris conditionis, homines, qui, venâ jejunis apertâ, plerumque deliquium paſſi ſunt: ii deinde à me perſuaſi, ut, ante operis inchoationem, modicum juſculi, viniq; delibarent, atquè ita ſtomacho jejuno providerent, nunquam

Ver tempus venæ ſectionis.

quam poſteà, conſiliis meis obſecuti, animo vel viribus ſunt deſtituti.

Tempus curationis venæ ſectioni certum determinari non poteſt. Nam, monente Galeno, *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. Quocunque die ſcopos venæ ſectionis, in laborante, inveneris, in illo auxilium illud adhibeas; etſi vigeſima dies à principio extiterit; etiam quacunque diei, noctiſque horâ.* E contrario verò, *ſi ſtatim, ſecundo die à principio, metus ſit de ſubita, nimiáq; virium diſſolutione, ab eadem abſtinendum.* Quod confirmatur à divino Medicorum Patre, Hippocrate, *lib. de vict. rat. in morb. acut.* ubi ſcribit: *In morbis acutis ſanguinem detrahes, ſi vehemens fuerit morbus, &, qui ægrotant, ætate florenti fuerint, & virium robore valuerint.* Ad hoſce ergo ſcopos obſervandos, diligenti & ſagaci Medico ſemper reſpiciendum eſt, ne æger, per inconſideratas hujus remedii adminiſtrationes aut neglectas, aut non competenti modo peractas, pereat. In morbo quâvis horâ ſecatur.

Hîc aliquis, non abſq; fundamento, objicere poſſet, venæ ſectionem, ab initio morborum factam, eſſe nocivam; eò, quòd omnis evacuatio artis debeat procedere juxta operationes naturæ bene operantis; *quia hæc eſt morborum medicatrix*, juxta Hippocratem, *6. epid. ſect. 5. Medicus autem ejuſdem miniſter;* dicente Galeno, *in art. medicinal. cap. 82. cui videndum, quò natura maximè vergit, ut eò ducatur;* jubente Hippocrate, *aphoriſ. 2. ſect. 1.* ſed natura ipſa nunquam in principio, dum cruda ſunt omnia, vacuationem inſtituit; ergo nec Medicus ullam machinari debet, ob expreſſam Hippocratis prohibitionem, *aphoriſ. 22. ſect. 1.* factam, dum inquit: *Cocta medicari ac movere oportet, non cruda; nec per initia, niſi fortè cieantur impetu; quod rariſſimè fieri ſolet.* Nam quando vacuationi non obediunt, gravia ſymptomata excitare poſſunt. Reſpondeo: hæc omnia vera, nec in principio morbi ullam vacuationem attentandam eſſe, ſi conſtet, naturæ robur profligando morbo, ejúſque cau- Objectio. Reſponſio.

ſæ, ſufficiens fore. Si verò tantum notemus materiæ peccantis cumulum, ut natura ejus copiâ neceſſariò ſit peſſum itura, niſi venæ ſectione ſuccurratur; præſtat, in morborum principio, cum modica virium ſtrage, ſuppetias ferre, & humores peccantes tollere, quàm naturam, oneri ferendo inferiorem, dubio morbi eventui committere. Propterea Hippocrates, *aphoriſ. 29. ſect. 1.* docet: *Incipientibus morbis, ſi quid movendum videtur, move*; quia, ut idem, *aphoriſ. 30. ejusdem ſect.* dicit: *circa initia, & finem morborum, remiſſiora ſunt omnia.* Unde Galenus, *lib. 9. method. med.* ait: *ſi vires ejus, qui ex putredine humorum febricitat, valentes ſint, mittendus ſtatim, morbo incipiente, eſt ſanguis, ſi cruditas ventris non adſit: ſi vires infirmæ ſint, aut ætas dehortetur, incidenda vena non eſt.* Denique ad virium robur, ex quo haud dubiam conjecturam ſumere licet, an concedi, vel prohiberi venæ inciſio debeat, ſemper eſt reſpiciendum: ut juxta majorem vel minorem ejusdem valorem procedamus. Utrum illi dies, in quos Lunæ mutationes, aliique pejoris notæ ſyderum aſpectûs incidunt, in adminiſtranda venæ ſectione religioſiùs ſint ſpectandi, varii Authores inter ſe ferventiſſimè diſputant; dum alii negativam; alii verò affirmativam tuentur. Ipſe Medicorum Princeps, Hippocrates, *lib. de aëre, aq. & loc.* ait: *Qui artem Medicam rectâ inveſtigatione conſequi volet, is primùm quidem anni tempora in conſiderationem adhibere debet, quid horum quodque poſſit. Qui enim temporum mutationes, aſtrorúmque ortûs & obitûs, ut horum quæcunque eveniant, tenuerit, is utique futurum anni ſtatum prævidere poterit. Hac ratione inveſtigando, qui temporum occaſiones præſenſerit, is maximè cujusque naturam cognoverit, & plerunque ſanitas illi ſuccedet, minimumque in arte à rectâ viâ aberraverit.* Verùm ego, me moleſto, neque tantoperè proficuo hujus diſquiſitionis labori ſubtrahens, dico: cùm morbi non ſint ex feliciori, vel infeliciori Lunæ mutatione, aut ſiniſtris reliquorum

Virium robur in ſectione ſpectandum.

Sydera venæ ſectioni nihil conferunt.

aſtrorum

aſtrorum influentiis & aſpectibus judicandi; ſed potiùs ex majori vel minori humoris in corpore redundantis proprietate demetiendi; atque ex iis, quæ jam retulimus, innotuerit, neceſſitatem non habere legem; quin imò, monente Galeno, *lib. de venæ ſect. quocunque die mittendi ſanguinis ſcopi in laborante inveniuntur, auxilium hoc non eſt prætermittendum*: cenſeo, ſano huic Galeni conſilio eſſe omnino ſtandum, neque ſuperſtitioſis quorundam obſervationibus quidquam eſſe tribuendum; præſertim cùm morbi invaleſcentis diſcrimen urget, & periculum in mora eſt. Unde tamen inferri nolim, quod ſydera in Medicina non ſint ſpectanda.

Sydera poſſunt obſervari.

Locus venæ ſectionis.

Quoad Locum, venæ aperiendæ aptum, obſervare oportet, quòd, etſi quæcunque venarum aperta totum corpus evacuare poſſit; id tamen plerunq; per ampliorũ venarum inciſionem, majori cum utilitate præſtari, ſi reſpiciamus ad ſanguinis fontes, mali mineram ſuppeditantes; ſecundum quorum varietatem, varianda eſt venarum apertio; cùm communia venæ-ſectionis officia ſint revulſio, derivatio, boni & mali ſuccie vacuatio, atque refrigeratio.

Venarum differentiæ, pro affectûs differentia ſpectandæ.

Et quia venæ aliæ dantur univerſales, aut totius, aut potiorum corporis partium, evacuationi ſervientes; aut ſunt venæ cubiti interiores, baſilicæ & jecorariæ dictæ: exteriores, cephalicæ & humerales nuncupatæ: mediæ, & medianæ appellatæ: diligenter quoque earum electioni operam dare oportet. Nam venæ baſilicæ inſerviunt gravatis infra collum partibus, ut thoraci, pulmoni, cordi, diaphragmati, ventriculo, hepati, lieni &c. Unde Hippocrates, *lib. de vict. rat. in morb. acut. dolore, gravitatisquè ſenſu, vel circa mammas, vel ſupra ſeptum transverſum exiſtente*, jubet, *internam cubiti venam ſecare, & quam citiſſimè copioſum ſanguinem detrahere*. Exteriores cubiti venarum inciſiones laborantibus ſupra collum membris ſuccurrunt, ut faucibus, naribus, oculis, linguæ, auribus,

faciei, capiti, cerebro. Quapropter Galenus, *lib. 4. de ſanitat. tuend.* aſſerit: *æſtimare diligenter oportet, qui ſanguinem ſunt miſſuri, in thorace nè, dorſo & lumbis tenſio, pulsánsque dolor figatur; an in capite potius, vel collo. His namq; affectus, humeralem venam divides, maximè ſi repletum caput, & calidum ſentiunt: illis verò internam. Si verò omnino æqualiter laſſitudo occupat corpus; ambarum mediam.* Vena etenim media, ſeu mediana, ex coëuntibus baſilicæ & cephalicæ ramis conſtituta, utriúsque partis viſceribus medetur.

Quando infernæ venæ incidendæ.

Inferiores corporis partes affectæ, ut uterus, veſica, pudenda, anus, lumbi, coxendices, propter rectos venarum tractûs & ductûs, commodiùs per venas, in pedibus patentes, juvari putantur: quia id rationi, & Hippocratis doctrinæ conſonum eſſe videtur, qui, *lib. de natur. hominis,* inquit: *in lumborum & teſtium doloribus, ſanguis ex poplitibus, & malleolis interioribus, mittendus eſt; eò quòd venæ, ex ſuperiore corpore deſcendentes, in lumbos, teſtes, &, per poplites, interiore ex parte, indéque per tibias, ad malleolos internos, & ad pedes, deferantur.* Penes obſervando, ut idem aſſerit, *lib. de glandulis, ut quàm longiſſimè à locis, in quibus dolores fieri, & ſanguis colligi conſuevit, venarum ſectiones fiant. Hac namque ratione, cum minimè magna repente mutatio continget, &, translatâ conſuetudine, effeceris, ut nè ampliùs ſecundò in eundem locum coëat.* In omnibus partium affectibus venæ ſecundum rectitudinem ſunt ſecandæ. Rectitudo autem ea eſt, quam dextræ partes cum dextris ſervant, & ſiniſtræ cum ſiniſtris. Nam laborante oculo, ſanguinem à dextro mittimus; & non à ſiniſtro. Unde Jacchinus, *commento in 9. Rhaſ. cap. 16.* inquit: *per rectum ſemper eſt facienda venæ ſectio.* Hinc in ophthalmia melius eſt cephalicam ejusdem partis aperire, in qua oculus ophthalmiâ laborat; quia revulſionis fit gratiâ. Si verò derivationis causâ accidat; fit in parte contraria.

Venarum rectitudo obſervanda.

Hiſce

Hiſce nunc univerſalibus ſubjunguntur venæ particulares, quæ, per inciſionem reſeratæ, particularia partium mala auferunt. Quam ob cauſam Hippocrates, *aphoriſ. 68 ſect. 5.* docet, quod, *è parte capitis poſteriore laboranti, in frontem rectà excurrens vena inciſa proſit.* Taliter quoque, *lib. de rat. vict. in morb. acut.* iis venas infra linguam ſitas cædit, qui ex columellæ, faucium, gutturisque inflammationibus decumbunt. Dicit enim: *ex iis citò ſuffocari contingit, niſi quis brevì ſuccurrat; venis in brachiis & ſub lingua ſectis.* Præter eas utilitates, quas Galenus, *lib. de vena-ſect.* ſublingualium venarum inciſioni tribuit, longè majores etiamnum experimur: ſiquidem tanta, in omnibus febribus, etiam malignis, earum ſunt commoda, ut ferè, ſinè ipſarum inciſione, vix ſit ſperanda fructuoſa curatio; imò in multis, ſimili prorſus ægritudine laborantibus, vidimus, eos obiiſſe, aut graviſſima ſymptomata ſuſtinuiſſe, quibus venæ ſublinguales non fuère inciſæ: cùm, è contra, pleraque pars ægrotantium per tempeſtivam venarum ſublingualium inciſionem evaſerit; paucioribus & remiſſioribus ſymptomatibus toleratis.

Quando particulares incidendæ.

Sublingualium inciſio.

Licet Hippocrates, *aphoriſ. 30. ſect. 5.* doceat, mulierem, fœtu gravidam, ſectâ venâ, abortire: nos tamen, diligenti habitâ virium, temporis, quantitatis, ratione, venæ-ſectionem commodè adhiberi poſſe, arbitramur: ſi nimirum morbos patiantur acutos, vires conſtent, ſanguis inſigni copiâ peccet. Quin imò plurimas magnæ conditionis Dominas novimus, quæ, nimiâ ſuccorum bonorum quantitate ſcatentes, circa medium geſtationis tempus, ſummo cum fructu, tum proprii corporis, tum infantis, ſalvatellam aperiunt, &, aliquot ſanguinis uncias detrahendo, ſibi & proli, in uteri ergaſtulo occluſæ, liberiorem reſpirationem procurant. Nec video, qualiter ſucculentis, delicatè otioſéque viventibus, forti corporis habitu præditis, gravidis moderata detractio obeſſe poſſit; præ-

Gravidæ ſectâ venâ nō abortiunt.

Quibus gravidis ſecanda.

ſertim,

ſertim, ſi ejusmodi vacuationibus aſſvetæ fuerint. Ex quibus tamen non ſequitur, omnibus indiſcriminatim gravidis prodeſſe ſanguinis miſſionem. Inſigni enim cacochymiâ laborantes, pauperes, debilesque fœminas prægnantes, generoſo hoc medicamento velle tentare, grande piaculum foret; quoniam, hoc faciendo, non modò prægnans, ſed & fœtus ipſe, virium detractione manifeſtæ ruinæ exponeretur: adeóque cautè & parcè hoc remedio tractandæ ſunt prægnantes.

Quantum ſanguinis emittendum.

Examinato ſufficienter loco, venæ ſectioni idoneo, quæritur; quantum humorum per ſanguinis miſſionem ſit evacuandum? Reſpondeo: etiamſi hæc quæſtio à variis variè diſputetur, dum alii plus, alii verò minus, tollendum eſſe, judicant: nos tamen eam à majori, vel minori ſanguinis vitio dependere, aſſerimus; prout enim hoc majorem vel minorem alterandi potentiam habuerit, ætatisque vires florentiores fuerint, aëris nos ambientis temperies favorabilior, corporis plethora major, ante acta vita liberalior extiterit, atque excretiones ſolitæ magis aut minùs reſponderint: ità quoq; ſanguinem nunc parciùs, nunc verò copioſiùs evacuare competit, etiam usque ad animi deliquium, docente Hippocrate, *lib. de rat. vict. in morb. acut.* & Galeno, *lib. de ſang. miſſ.* ubi hic dicit: *Ubi ferveſcentis ſanguinis plenitudo ineſt, acutiſſimam febrem accendens, ſubitò, ac ſimul vacuare expedit, eámque, priusquàm in principem aliquam partem ingruat, inanire tentandum, vel ad animi usque deliquium.*

Ad deliquiū detrahere non decet.

Verùm enim verò, cùm ſanguinis miſſio ad animi deliquium per ſe ſit crudelis, ſæpiúsque inducat ſyncopen, unde mors aliquando metuenda: non poteſt non eſſe ſuſpecta; quin potius phlebotomiam iteratò inſtitui ſvaderem, primò melioris revulſionis gratiâ: ſecundò, quòd vires eam faciliùs ferant. Ubi tamen quemvis admonitum velim, ne, cum Lazaro Riverio, toties in uno ſubjecto reiteretur venæ ſectio, quo-

quoties, ab illo, reiteratam fuiſſe, legitur, *cent. 2. Obſervat. 63.* Septies enim Villicæ, morbo laterali ægrotanti, ſe venam inciſiſſe, refert. Siquidem deteſtanda eſt hæc nimia quorundam, in mittendo ſanguine, licentia: dum, cum Botallo, vel minimâ datâ occaſione, aut causâ, venam aperire jubent, in ſatis notabili quantitate, calorem corporis nativum nectare ſuo, vivificóque pabulo, ſpoliantes. Hinc contingit, ut homines, in optimo ætatis flore conſtitutos, ita emaciatos, rugarumque deformitate obſitos videas, ut Jovem lapidem jurares, ipſos decrepitos ſenes: adeò ſcilicet virium valore ſunt exhauſti, ut jam ferè tripodes incedere cogantur, quos poſtmodùm mors, eximio temporis ſpatio, termino ipſis à Deo præfixo antevertit. Hac de cauſa quilibet, diuturnioris vitæ, & conſtantioris ſanitatis, cupidus, præſertim Germanus, (qui ob aëris auſterioris intemperiem tam largas non patitur venæ ſectiones) ejusmodi Medicorum temeritatem, meliùs forſan dixero, levitatem, non modò ſuſpectam habere debet; ſed etiam, cane pejùs & angve fugere: ſiquidem, ut peſſimum quoddam veſparum genus, hoc barbaro procedendi modo, nativam partium hyblam, unà cum divino illi inſidente calore nativo depopulatur.

Frequentior venæſectio deteſtanda.

Apertâ, per inciſionem, venâ, diligenter primum ſanguinis impetum, reliquumque ejus fluxum, obſervare expedit: quia id magnoperè conducit, ad formandum prudens judicium, de ſtatu ejus, qui venæ inciſionem paſſus eſt. Nam quò majore cum impetu primùm eruperit, conſtantiorque dein in impetu permanſerit, eò quóque ſanguis ſpirituoſior & calidior eſt putandus: tantò quoque, ob firmam corporis œconomiæ diſpoſitionem, copioſiùs evacuari poteſt, quantò expeditiùs ſanguis exilit. Qui verò, poſt primum impetum, aut difficulter, aut non, niſi guttatim, effluit, aut planè ſiſtitur, is copioſus ſit, & craſſus, frigidus, viſcoſus, paucisque ſpiriti-

Primus cruoris impetus obſervandus.

bus locupletatus, neceſſe eſt; præſertim, ſi nec poſt digitum, aliquamdiu vulneris orificio admotum, recollectâ nimirum parumper naturâ, liberiùs effluxerit.

Quantum sanguinis emittendū.

Quanto temporis ſpatio ſanguis, per venam apertam, fluere ſit ſinendus, id eleganter ab ipſo Galeno, *lib. de vena-ſectione adverſ. Eraſiſtr.* doceri videtur, dum inquit: *menſura, in vena ſectione, multò faciliùs deprehenditur, quàm in cæteris quibus-vis auxiliis. Nam & coloris mutationem, nunc quidem in ipſo ſanguine fluente; nunc verò in ægrotantis corpore reſpicere oportet. Animi quoque defectio, in plurimis affectibus, vacuationis terminum obtinet: quemadmodum ſanguinis fluentis vigor langueſcens, & pulſûs mutatio. Adde, quòd & Medicus hujus ſolius vacuationis liberam habeat facultatem ſiſtendæ, quandocunque illi placuerit: aliarum autem nullius.* Tam diu igitur ſuum ſanguini fluxum concedere competit, usque dum tanta ſuccorum copia extrahatur, quanta prudentis Medici judicio, ad corrigendum ſanguinis vitium, permittentibus phlebotomati viribus, ſufficit. Ad tria autem, vel quatuor, eáque mundiſſima, vaſcula vitrea, vel fictilia, excipiatur ſanguis; quæ mox operculo competente tegantur, ut ſanguis ab omni pulveris aliarúmque rerum illapſu defendatur, atque, hac ratione, poſt quatuor, quinque, vel ſex horarum decurſum, eò tutius, de ſanguinis extracti colore, ſubſtantia, aliisquè ſuccis admixtis, judicium formari poſſit.

Sanguinis educti Examen.

Quærenti nunc ex me, quis ſanguis, è phlebotomati vena eductus, ſit bonus, & quis malus dicendus? Reſpondeo, cum Galeno, *lib. 3. de aliment. facult. cap* de laurace: *Extremæ pravitatis, ſecundùm conſiſtentiam, ſanguis eſt tum craſſus, ut pix liquida; tum ſeroſus adeò, ut poſteà, quùm, è vena effuſus, concreverit, plurimum habeat aquoſæ humiditatis ſupernatantis. Laudatiſſimus verò eſt, qui inter hos exactè medius eſt;* qui nimirum mediocriter fibroſus, & quaſi homogeneo rubicundus, quique

modum,

modum, in aqua ſupernatante, ſervat. Nam ſanguis cruſtâ albâ, nimiúmque tenaci, obductus, phlegmaticus eſt; & à debili caloris nativi robore, vitalique ventriculi fermento prodire ſolet: *qualis plerunq; apud fœminas, delicatam, otioſámque, ſub tecti umbra, vitam ducentes ſolet generari:* dicente Jacchino, *in 9. Rhaſ. cap. 49.* Hic, ſi fibrarum interpoſitione careat, neq; ſibi cohæreat, putredinem, vehementem corporis cacochymiam, & ad cachexiam corpus diſponi, indicat. Si verò bullæ quædam, phlegmati interſitæ, in ſanguine, per venam educto, cernantur; pulmonum vitia, tuſſes, & raucedines inſtare, experientia, fidiſſima rerum magiſtra, nos hactenus docuit. Ubi tamen obſervari velim, ſanguinem phlegmaticum, per venam eductum, non tantæ ſemper eſſe malitiæ, ut corrigi non poſſit: quia *pituita dulcis concoctu facilis eſt*, ut inquit Galenus, *lib. de conſtitut. art. med.* hinc in laudabilem ſubſtantiam redigi poteſt. Quòd autem ſit alba & viſcoſa aliqualiter, id ipſi de naturali ſua conſtitutione competit; confirmante id Riolano, *Phyſiolog. cap. 12.* ubi ait: *pituita primis qualitatibus debet eſſe frigida & humida; ſecundis alba & inſipida.* Ex omnimoda ſupernatantis ſeri abſentia aut mortem, aut ſumma morborum pericula, aliqui prædicunt; quia, ut inquit Hippocrates, *lib. de aliment. humiditas alimenti vehiculum eſt*, quo ſi ſanguis careat, qualiter ad partes alendas devehetur? Hinc in ſe ſubſiſtens neceſſariò putreſcit, lethales inferendo morbos.

Sanguis niger, per venam eductus, non ſtatim pro peſſimo proclamandus eſt, niſi aut febres ardentes, viſcerúmque inflammationes adfuerint, aut diſpoſitiones ad illas apparuerint: quoniam, ut loquitur Galenus, *lib. de atra bile, ſanguis, qui venâ ſectâ mittitur, nigrior eſſe videtur, in ſiccis calidisq; corporum temperamentis: ſicuti & in hujuscemodi anni temporibus, & regionibus, conſtitutionibus, vitæ ſtudiis, victûs ratione, ac denique cibis craſſis, & ſiccis: quales ſunt lens, cochlea, & carnes hircinæ,* Sanguis niger non ſemper malus.

taurinaque, præſertim ſale aſſervatæ. Conſimilis etiam naturæ eſt vinum nigrum, craſſum, & auſterum. Pari etiam ratione, quæcunque ægritudines fiunt ex calida & ſicca intemperie, cujusmodi ſunt febres ardentes, craſſum & nigrum ſanguinem generant.

Sanguinis colores.

Si accidat, ut mixtura quædam verſicolor ſanguini emiſſo ſupernatet, quam aliàs rariùs obſervare contingit; hæc magnam, in ſuccorum alimentariorum receptaculo, perturbationem loquitur, corpúsque, malignis occupari hoſtibus, præſagit. Nam quando ſanguis à re virulenta inficitur, per tacitam, eámque continuam fermentationem accidit, ut eò magis floridus ſanguinis color mutetur, quò diuturnior miasmatis maligni cum ſanguine, fuerit mora: quantóque, in agendo, potentius fuerit, tantò quoque pejoris notæ colores ſanguis induit. Unde à viridi ſanguine cordis anxietates, cardialgias, & vehementiſſimas anguſtias, pectorisque dolores, induci videmus.

Nimia aquoſitas ſanguinis.

Si eveniat, ut ſanguis, è vena detractus, poſt concretionem ſuam, in aqua natet, malum eſt; ut aſſerit Jacchinus, *in comment. in lib. 9. Rhaſ. cap. 25.* ſiquidem *malum jecoris & venarum habitum ſignificat, ex quo brevì totum corpus afficitur.* Nam hujus aquæ multitudo non naſcitur, niſi aut ex vehementi viſcerum, ſanguinis productivorum, refrigeratione; aut ex valde languenti renum, ſeroſitati emungendæ deſtinatorum, virtute; vel ex largiore meri potatione. Viſcera enim, alimentorum digeſtionem perficientia, ſi nimis ſint debilia, ſuo digeſtionis officio præeſſe non poſſunt. Hinc alimenta, in aquoſam humiditatem degenerantia, tam abſurdi ſanguinis productioni occaſionem præbent.

Ubi verò ſanguis evacuatus ſiccus & albus, nigrísque veluti bullis guttatim reſperſus fuerit, matricis affectiones & dolores produntur: cujus rei veritatem quemvis artis peritum quotidianus rerum eventus docebit: uti cæruleus afflicti lienis

nis ſignum eſt. Si nimium flaveſcat, uteri, vel veſiculæ fellis, obſtructionem manifeſtat, vel inſignem flavæ bilis exuberantiam revelat. Qui citò concreſcit, præter hoc, quod craſſioris denſioríſque ſubſtantiæ ſit index, atque exinde facilem venarum, viſcerúmque obſtructionem pariat, etiam quaſi infallibile ſtupiditatis augurium edit.

His omnibus æquâ prudentis judicii lance ritè ponderatis, quis adhuc negabit, ſanguinis detractionem, tum valetudini ſervandæ tuendæque, tum vitæ in ævum extrahendæ utplurimùm ſervire? Siquidem hæc non ſolùm de præſenti valetudinis ſtatu, inſtituendæque ejusdem tutela, nos certiores reddit; verùm etiam præſentium & impendentium morborum qualitates edocet; congruentes medicamentorum ſpecies ſuggerendo; quorum beneficio periculoſiſſimos eorum arietes averruncare & obtundere poſſumus. Quis ergo adhuc dubitabit, ſanguinis, per inciſam venam educti, examen ad vitæ longævitatem plurimum facere? Siquidem hoc dictante, nobis innoteſcit, ſanguinem citò concreſcentem, eſſe craſſum & indigeſtum; atque ideo, ad inducendas viſceribus obſtructiones, valdè habilem; cui proinde digerentibus, attenuantibus, incidentibus obviandum eſſe indicat; qualiterquè debilitata viſcerum temperies confortanda, & eorum antipraxia ſit reducenda, docet; adeò; ut, ad conſequendam dierum multitudinem, multum, imò plurimum, faciat ſanguinis educti luſtratio.

Venæ ſectio prudenter adhibita vitam prorogat.

Utrùm autem venæ ſectio purgationi, an verò purgatio venæ ſectioni ſit præferenda, vehementer ab hujus ſæculi Medicis diſceptatur: dum alii dicunt: ſe quorundam Medicorum conſvetudinem ſatis mirari non poſſe, qui purgationem venæ ſectioni præmittunt: dicuntquè, hanc conſvetudinem eſſe planè deteſtandam, atque arte Hippocraticâ penitùs indignam, quòd innoteſcens, per venæ inciſionem, ſanguinis

Alii purgationi venæ ſectionem præmittunt.

vitium, deinde primò debeat, per congrua purgantia, corrigi. Si enim peccantes maſſæ ſanguineæ portiones, per purgationem, ſint vacuatæ (nam purgatio eſt ſanguinis purificatio, dicente Galeno, *lib. de purgant. medicam. facultat.*) ad quid opus eſt poſtmodum venæ ſectione? Nonnè expreſsè Galenus, *lib. 6. epid. comment. 6. text. 6.* ubi de oculorum affectibus loquitur, dicit, *quòd ſi redundet ſanguis, ad cubiti venam exteriorem, quam humeralem vocant, ſcindendam accedimus: deinceps medicamine molliſſimo, & neutiquam mordaci utimur.* Et, *lib. 11. meth. med.* aſſerit: *ſi iis auxiliis, quæ obſtructiones eximant, uti, non vacuatâ priùs abundantiâ, velimus, non modò nihil proficiemus, ſed majorem etiam reddemus affectum. At ſi, vacuatâ priùs multitudine, ad curandam obſtructionem accedamus, medicamentis iis utemur, quæ, citra calorem, obſtructiones expedire ſint apta.* Nonne & ipſe noſter Hippocrates clariſſimis verbis docet, venæ ſectionem purgationi præmittendam eſſe? dum, *lib. de vict. rat. in morbis acutis*, inquit: *vehementiſſimi jecoris dolores, & lienis gravitates, atque graviſſimi, ſupra ſeptum transverſum, dolores, & morborum collectiones ſolui nequeunt, ſi quis eas primùm medicamento purgante aggreſſus fuerit? Verùm in his venæ ſectio præferenda eſt.* Ergo ubique venæ ſectio purgationi eſt præferenda; quoniam, ſi per ſanguinis miſſionem corpus priùs fuerit evacuatum, purgans medicamentum exhibitum venas & arterias, atque inanes corporis regiones, invenit non oppletas: quo fit, ut, absque omni impedimento, in totum corpus ſuas vires exerat, ſuccos attrahendo, totúmque corpus, ob inanita ubiquè ſpatia, faciliori labore evacuet; quod repletis ſanguine venis tanto cum commdo fieri nequit.

Alii venæ ſectioni purgationẽ,

Alii, è contra, aſſerunt, hanc ſententiam neque eſſe Hippocratis menti conſonam, neque rationi conſentaneam, neque uſu receptam. Quòd menti Hippocratis repugnet, manifeſtè ex ipſo, *lib. de rat. vict. in morb. acut.* oſtendunt, dum innuit:

innuit: *Si dolor ſurſum ad jugulum tendat, vel ad mammam, & brachium, internam brachii venam ſecare oportet, ea parte, quâ dolor affligit; & ſanguinem detrahere, pro corporis habitu, anni tempore, ætate & colore, pluſque, & cum majori fiducia, ſi dolor acutus fuerit, ad animi uſque deliquium ducere; poſteà alvi infuſum per clyſterem exhibere. Quòd ſi ſub thorace dolor valdè urgeat, lateris morbo affecto, alvum medicamento purgabis.* Ex quibus, ut ajunt, luce meridianâ clariùs apparet, nunquam fuiſſe mentem Hippocratis, ut venæ ſectio ſemper, & indiſcriminatim, purgationi præmittatur; eò, quòd id rationi videatur adverſari. Nam, dicente Averrhoe, *collect. cap. 1. non eſt ſecanda vena, niſi priùs purificetur corpus; ne venæ exinanitæ attrahant in ſe ſuccos crudos, qui non ſolùm augent morbum, ſed corrumpunt intemperiem; ex quo non rarò mors ſequitur.* Nec uſu hic mos eſt receptus: nam præclariſſimis, & in re Medica verſatiſſimis Viris medicis in uſu eſſe videmus, ut plerunque purgationem venæ ſectioni præmittant, nimiam humorum peccantium exuberantiam è primis rapiendo viis, præſertim, ubi ſanguis non habet cauſam urgentem.

Verùm etiamſi non minùs ſit periculoſum, quàm etiam temerarium, ſeſe tam acribus doctiſſimorum Virorum diſceptationibus immiſcere: nihilo tamen minùs, cùm modicum meum, hac ſuper re, judicium Lector perplexus fortè deſideret, ne torrentem ſicco, ut dicitur, pede tranſiiſſe videar, dicam, quod ſentio: Hippocratem nimirum, & Galenum, aliosquè graviſſimos viros, cum diſtinctione eſſe accipiendos. Quando enim utriusque evacuationis neceſſitatem, per indicantia, cognoſcimus; lubens conceſſero, à venæ inciſione eſſe auſpicandum: quoniam hujus, tanquam à Medici voluntate dependentis, tanta eſt ſecuritas, ut eam aut nulla, aut prorſus exigua corporis mutatio ſequatur. Quæ reverà de purgatione, nunc plus, nunc minùs operante, nobis pollice-

Quando purgatio venæ ſectioni, & hæc purgationi præmittenda.

liceri non poſſumus. Si autem contingat, ut materia turgeat, aut notabilior ejusdem, in meſenterio, adſit apparatus, infra thoracem exiſtente inflammatione; aut corpora à morbis præſervandi ſit animus: tunc neceſſariò purgationem venæ ſectioni præmittendam judico. Primò, quia *humores agitati, & à particulis ad particulas transfluentes, hominem dolore afficientes, irritantes, & quieſcere non permittentes, evacuare competit*: ut inquit Galenus, *lib. in quo agit de iis, quos purgare oportet.* Secundò, *peccantium ſuccorum vitium purgatione, quæ redundanti ſucco ſit accommodatior, corrigendum eſt*; mandante eodem, *lib. 13. meth. med.* Tertiò, in inflammationibus, infra thoracem affligentibus, ipſemet Hippocrates, ut jam dictum eſt, purgationes venæ-ſectioni præponendas eſſe, expreſsè docet; dum, *lib. de vict. rat. in morb. acut.* inquit: *Quod ſi ſub thorace dolor valdè urgeat, lateris morbo affecto, alvum medicamento purgabis.* Ratio ab ipſo Galeno, *lib. de conſtitut. art. medic.* datur, ubi ait; *ea quippe evacuatio facillimè & optimè fiet, quæ per vicinas vias, & affines parti affectæ, fuerit adminiſtrata; ſed, ſi quid jecoris cavo adhæreſcat, id per inteſtina detrahemus*; quia viæ, hujus partis evacuationi deſtinatæ, ſunt commodiores. Ex quibus patet, univerſim, ex Hippocratis & Galeni decreto, verum non eſſe, in omnibus omnino vacuationibus à venæ ſectione eſſe inchoandum, & eandem purgationi ubique locorum eſſe præmittendam. Quartò, à doctiſſimis Hippocratis ſectatoribus, prudenter, feliciterquè praxin Medicam facientibus, uſu receptum eſt, ut venæ ſectionibus, maximè verò vernalibus, quæ tuendæ valetudinis cauſa fiunt, purgationes præmittantur. Et hoc ideo, ut ſtagnantem in meſenterio cloacam, heterogeneáſq; & inutiles cruoris particulas everrant; tenaciores venarum meſaraicarum obſtructiones reſerando, humores alimentarios à peregrino fermento purificando, & ad partium nutritionem habiliores reddendo. Secundò, ſi pur-

gationes

gationes venæ-miſſioni præmittuntur, non eſt timendum, ne venæ, per ſectionem inanitæ, humores excrementitios à membris ſibi vicinis attrahant; quod aliàs certè fieret, niſi copioſior eorum multitudo, per purgationes prævias, fuiſſet ſublata. Nam, ut Galenus, *lib. 2. de naturalib. facult.* docet, *nutrimentum trahitur, non ſucceſſione continui ad id, quod vacuatur; ſed proinde ac magnete lapide ferrum;* unde, ut natura, feriari neſcia, continuo appetitu trahat, neceſſe eſt, ſicque contingere poteſt, ut tam humores vitio plenos, quàm conducibili bonitate donatos, attrahat; maximè verò peractâ venæ-ſectione: ubi natura non tam circa vacuati loci repletionem occupatur, quàm ad novi alimenti attractionem & repoſitionem ſollicitatur.

Et his rationum momentis, in utramque partem probè diſcuſſis, patere ſatis, arbitror, quanta ex opportunis, iiſque circumſpectè factis, venarum inciſionibus longiori vitæ & valetudini adjumenta veniant. Siquidem, præter alia, alibi jam enarrata, commoda venæ ſectiones gravatam, à prementibus ſuccis, naturam ſublevant, & ad caput, aliáſque nobiliores corporis partes, evaporantium humorum multitudinem exonerando, faciunt, ut natura, morborum medicatrix, haud ægrè reliquos, & adhuc crudos, in viſceribus degentes, ſuccos concoquat, evincat, & per vias, à natura datas, excernat, procúlque abeſſe jubeat. Hinc, detractis, per phlebotomiam, humoribus evaporantibus, cerebrum expurgatur, ſenſuum turbatio demitur, mentis integritas reducitur, ingenii lumen & acies excitatur, oculorum ſcommata tolluntur, viſûs acumen redit, immodicæ vigiliæ, ab evaporationibus ad caput factis ortæ, ſopiuntur, auditûs gravitas & difficultas aufertur, vocis raucedo corrigitur, cordis anguſtiæ ſanantur, liberior pulmonum dilatatio efficitur, hepatis ſanguificatio promovetur, lienis obſtructiones reſerantur, omnes denique totius

Venæ ſectionis commoda.

corporis partes, à nimia humorum ſarcina preſſæ, efficiuntur, ad munia ſua obeunda, expeditiores: quia vires in iis, aut fortiùs impeditæ, aut jamjam ſuffocandæ, reviviſcunt, reficiuntur, & augentur: adeò, ut non ſit dubitandum, quin venæ ſectiones, cum judicio inſtitutæ, multum, imò plurimum, ad longioris ſanitatis vitæque conſervationem conferant.

Caput IV.

De Cucurbitulis & Hirudinibus.

QUantus, quámque frequens & celebris, hâc noſtrâ ætate, apud omnes, cujuscunque demum ſtatûs, ſexûs, & conditionis homines ſit Scarificationis uſus, id nulli ejusdem mecum Germaniæ inquilino ignotum eſſe, puto; cùm in omnibus propè civitatibus, oppidis, quin imò majoribus nonnunquam pagis, alantur balneatores, artis ſcarificandi inſigniter periti; ut populo, ſanguinis detractione indigo, hebdomadatim ſcarificent, aut etiam, quâcunque neceſſitatis horâ, Cucurbitularum adminiſtratione ſuppetias ferant. Nam cuicunque corporis particulæ admotæ gravantem humorem eliciunt, exſugunt, & vacuant. Quapropter à Galeno, *lib. 13. meth. med. cucurbitulæ ſtrenuum planè auxilium nominantur; atque ideo inventæ, tum, ut foras evocentur, quæ ſunt in alto; tum ut eximantur, & eruantur, quæ jam in ſcirrhum abeunt*: ità profectò, ut cucurbitulæ ſcarificatæ abundantiorem ſanguinis copiam, per ſe, ſenſibiliter, & paulatim, absque ſpeciali virium jactura, auferant; non obſtante, quòd tantùm humorem intercutem evacuent. Extracto enim, ex venis capillaribus, ſanguini alius, à venis majoribus, tantò copioſior ſubmittitur, quantò lárgior, per cucurbitularum uſum, ſanguinis evacuatio facta fuerit; adeò, docente Capivaccio, *lib. 6. Practic. Medicin. de febr. cap. 16.* ut earundem frequenter adhibitarum bene-

Cucurbitulæ ſanguinē vacuant.

E toto corpore evacuant.

beneficio, & profundiore plagarum inciſione, totius corporis evacuatio poſſit crebrò obtineri.

Ad hæc ſciendum eſt, ſcarificationes duplicem potiſſimùm ob finem adhiberi; nimirum leviori ſanguinis vitio, uni tantùm particulæ moleſto, medentur: aut quando venæ-ſectionis vices obeunt, iiſque adhibentur, quos, vel ob inſignem virium debilitatem, vel vehementiorem venæ incidendæ metum, generoſo hoc remedio tentare non audemus. Nam cucurbitularum adminiſtratio omni prorſus periculo vacat; quod reverà de venæ ſectione affirmare non licet: eò quòd experientiâ conſtet, multos ſæpe infeliciter venâ ſectos, in maximas miſerias incidiſſe. Id quod, paucis ab hinc annis, Reverendo cuidam Cappucinorum Religioſo accidiſſe novimus, cui, propter nervum, transſectæ venæ ſubſtratum, & læſum, in tantum brachium intumuit, ut omnis ferè brachii caro in meram purulentiam degenerârit, & hinc non, niſi poſt longum temporis intervallum, & diriſſimos toleratos dolores, à maximè induſtrio, Artisque curandi peritiſſimo Chirurgo à manifeſto mortis periculo liberari potuerit Æger; remanente tamen continuâ brachii imbecillitate.

Scarificationes duplici de cauſa adhibentur.

Scarificatio periculo vacat.

Ut igitur Scarificationes, & Cucurbitulæ, tum valetudini ſuo conſtanter in vigore conſervandæ, tum vitæ, ad annoſam ætatem provehendæ, aliquod ſubſidium adferant; diligenter advertendum eſt ex Galeno, *lib. de Scarificat. & Cucurbit. lib. 13. meth. med.* & *lib. 2. de compoſ. med. ſec. loc.* nunquam facilè eſſe ſcarificandum, ante univerſalem corporis evacuationem: quia timendum eſt, ne humores, attractivâ cucurbitularum vi, ad partem ſanam prolecti, morbum excitent, aut partis jam affectæ miſerias augeant magis, quàm imminuant. At quanti, hoc in puncto, ab hujuſce temporis hominibus, errores committantur, id facilè non expreſſero; dum illi non modò vitioſis humoribus pleni, ſed etiam infarto cibis ſto-

Purgatio Scarificationem præcedat.

macho turgidi, ad balneæ egregiè calentia abeunt, ſudantes, ſanguinem per cucurbitulas extrahentes, in iis, æſtuantibus corporis viſceribus hauriunt; volentes, ut ajunt, ſuæ ſanitati ſtudere: cùm tamen ex hiſce inconſideratis ſudorum provocationibus, & præpoſtero cucurbitarum uſu, non rarò plus damni, quàm commodi, reportent; dum aliquando ſani ingrediuntur, & infirmi exportantur.

Plebis errores.

Secundò diligenter obſervandum eſt, monente ſic divino ſene, Hippocrate, *lib. de Medico*, ut, *ubi ſcarificare opus fuerit, plagæ profundæ fiant: oportet enim ex ſcarificatis locis ſanguinem profluere, præſertim fluxionibus longè diſtantibus à carnis ſuperficie; quia taliter multum humoris ex viciná carne ſana attrahunt.* Nam cucurbitulis & ſcarificationibus plerunque revulſionis gratiâ utimur: revulſio autem vel fit ratione totius cujuſdam partis, ut capitis, gutturis, pulmonum, pectoris, ventris &c. vel ratione particulæ tantùm. Quid ratione hujus ſit faciendum, id à Galeno, *lib. 13. meth. med.* monſtratur, dum inquit: *utendum cucurbitâ, in ipſa parte, quæ phlegmone urgetur, inter initia non eſt: ſed poſteaquam univerſum evacuaveris, atque ex uſu jam eſſe videatur, eorum, quæ in inflammata particula continentur, aliquid aut vacuare, aut verſus exteriora revellere. Proinde, ubi affectûs etiamnum in generatione conſiſtunt, minimè ipſis membris, quæ laborare incipiunt, ſed iis, quæ continua iis ſunt, cucurbita imponi debebit, revellendi in contrarium causâ.* Quod ab eodem, *lib. de revulſ. cap. de cucurbit.* confirmatur, dum ait: *porrò dum affectûs etiamnum fiunt, haud in ipſis laborare occipientibus partibus, ſed in illis, quæ illis continuæ ſunt, revulſionis causâ cucurbita eſt imponenda.*

Scarificatio plagas profundas exigit.

Revulſionis causâ quid faciendum.

Si verò cucurbitulæ & ſcarificationes accidant, ratione totius corporis, aut ratione integri principalioris cujuſdam viſceris, in inferioribus corporis, aut viſceri affecto ſubjectis partibus ſunt faciendæ. Hinc Benedictus Victor Faventinus, *in lib.*

Scarificatio ratione totius, vel partis, qualiter facienda.

in lib. de curand. morb. cap. de Lethargo, docet, *quòd ſi Cucurbitulæ lethargico, tum in ſcapulis & collo, tum in cervice, cum multa flammâ, apponuntur, per rationem caloris attrahentis, attrahetur materia cerebro obnoxia ab intus ad extra: & ab eodem calore, in extimis cerebri, ipſa reſolvetur materia; & eodem calore cerebri facultas roboratur, ita, ut validior fiat ad pellendum, ſi quid pituita remanſerit in cerebri meatibus.* Taliter quoque, monente Galeno, *lib. de revulſ. cap. de ſcarificat.* crura ſcarificamus, affecto capite, &c, ut, *lib. de venæ ſectione*, aſſerit, *incipientes, aut etiam vigentes capitis dolores, per cucurbitam, in cervice, procurata retractio, interdum quidem ſola, interdum cum ſcarificatione, levat.* Eodem modo, *ſi ſanguis è naribus profunditur, præcordiis maximas cucurbitas affigimus*: innuente eodem, *lib. 13. meth. med.* Simili ratione, tradente Valleriola, *lib. 2. obſervat. 10. præmiſſis univerſalibus, anginâ decumbentes per cucurbitulas ſcarificatas, in ſcapulis admotas, mirum in modum juvantur, & leviùs reſpirant.* Quantum flatuum diſcuſſione cucurbitulæ proſint, id patet ex Galeno, *lib. 12. meth. med.* ubi dicit: *qui à ſolo ſpiritu flatuoſo cruciantur, illicò, cucurbitulâ admotâ, tum à dolore liberi, tum omnino ſani redduntur; in quacunque corporis parte dolor ſit excitatus.* Sic quoque cucurbitulæ, mammis appoſitæ, nimium fluentes mulierum menſes ſiſtunt. Unde Hippocrates, *aphoriſ. 50 ſect. 5.* ait: *mulieri ſi placet menſtrua ſiſtere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone;* cujus ratio pulcherrima datur à Foreſto, *lib. 28. obſervat. 13. in ſcholio*, dicente: *ſunt enim pectori ad genitalia venæ communes: habent nimirum magnam colligantiam cum utero; perquè eas demandantur menſes in mamillas prægnantium, ut convertantur in lac; & per ventoſas, iisdem applicatas, ab utero fit diverſio.* Uti, è contra, *quùm menſes evocare in animo eſt, pubi & inguini cucurbitam affigimus: quia pars vicina ejus modi affixione repletur*, ut inquit Jacchinus, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 66.* *Similiter quoque, ſuppreſſis hæmorrhoidibus, ſcarificamus crura;* jubente

Cucurbitulæ flatûs diſcutiunt.

Quomodo menſes ſiſtant.

Quomodo menſes provocent.

Hæmorrhoidibus medentur.

bente Galeno: *iis verò nimiùm fluentibus, cucurbitulæ in dextro, ſiniſtróque hypochondrio, ſplenis atque jecoris regioni ſuperponantur, nec non humero, antequam cibus ſumitur;* tradente Gualtero Bruele, *cap. de hæmorrhoidibus nimiùm fluentibus.* Denique, ut præclaras cucurbitularum vires penitiùs inſinuem, adhuc ea addo, quæ iis à Galeno, *cap. de cucurbitulis*, tribuuntur, cùm inquit: *cucurbitula poteſt evacuare materiam, dolorem ſolvere, minuere phlegmonem, inflationem diſcutere, revocare appetitum, ventriculo infirmo recuperare robur, animi liberare deliquio, ab alto fluxiones transferre, reſiccaréque, ſanguinis eruptiones cohibere, & ſexcentas alias utilitates conferre:* ſi modò obſervatis obſervandis adhibeatur.

Scarificationis commoda.

Quanta igitur commoda ſcarificatio, artis Medicæ præceptis conformiter inſtituta, iis allatura ſit, qui eâ præſervationis duntaxat gratia opportunè utuntur, id ex ingentibus, quas morborum onere preſſis adferre conſvevit, utilitatibus licet colligere. Si enim jam urgentes capitis dolores tollunt, &, in occipite affixæ, diuturnis oculorum deſtillationibus, atque aliis innumeris affectionibus efficaci ſunt remedio; credibile eſt, longè faciliùs eſſe, tempeſtivâ earum operâ, corporis partes à morbis defendere, quàm, jam morbis decumbentes, amiſſo virium valori reddere. Quemadmodum enim facilius eſt, auferendo ignem, domum ab incendio tueri, quàm ſuſquè dequè flammis conflagrantem à ruina defendere; ſic quoque minori cum labore corporis partes ab infirmitatibus præſervantur, quàm jam cum morbo, hoſte, dimicantes vindicantur. Sunt itaquè cucurbitulæ, & ſcarificationes, ſingularia præſervationis & curationis inſtrumenta; quorum rectus uſus tam morborum generationes impedit, quàm noxias jam progenitarum vires elidit; proliciendo ſtagnantem, carnem inter & cutim aceſcentium, & malignam non rarò qualitatem induentium ſuccorum cloacam: prohibent nimirum,

rum, ne humores, inter cutim hoſpitantes, propter arctiorem pororum conſtipationem, ab externis aëris injuriis factam, maligno quodam fermento impraegnentur, &, ad principaliora corporis viſcera remeantes, peſſimas quasque aegritudines producant.

Hîc aliquis non absquè cauſa interrogaverit, an, ad rectum ſcarificationum & cucurbitularum uſum, opus ſit ſingulari curſûs Lunaris, ejusquè quadraturarum, obſervatione: cùm videamus, hujus ſaeculi homines ad eas valde religiosè & accuratè attendere? Reſpondeo, ex Galeno, *lib. 3. de dieb. decretor.* quòd, *cùm omnia hæc inferiora à ſuperioribus ſuis venuſtatem ſuam & ornamentum ſuſcipiant, & omnia invaleſcant, dum Luna plena fuerit, & ideo fruges adaugeat, & maturet celerrimè*: etiam ſequatur, quòd corporis vires, plenâ exiſtente lunâ, ſint pleniores, aut (ſi ita placuerit) humores corporis ſint copioſiores: ut docet Joannes Antonius Maginus, *libro, de legitimo Aſtrologiæ in medicina uſu, conſcripto, cap. 17.* ubi ait: *Cùm Luna ſit humiditatis Domina, ac productrix; terrena omnia, humido conſtantia auget, dum lumine plena eſt: minuit autem, & virtutem humidam ſubtrahit, dum lumine diminuta eſt.* Unde concludo, probabile eſſe, omnem ſcarificationis & cucurbitularum adminiſtrationem, Lunâ decreſcente, fore longè efficaciorem, quàm dum, quotidianis intenta incrementis, plenum conficit orbem. Ratio etiam pro hac ſententia militare videtur, quoniam, exiſtentibus in ſuo valore viribus, maximequè abundantibus humoribus detrahendis, optimè inſtituitur eorum detractio. Hinc, me judice, non malè faciunt illi, qui, ſtatum tempus conſtanter obſervantes, tribus, vel quatuor, poſt plenilunium, diebus, praeſervationis, & non neceſſitatis (hæc enim, dictante communi hominum adagio, legem non habet) causâ, ſcarificationibus utuntur. Tanti enim, ut jam dictum eſt, non ſunt Lunæ decreſcentis effectûs, quanti accreſcentis: quod idem

Lunâ decreſcente ſcarificatio melior.

Aliis temporibus etiã fieri poteſt.

idem docet Galenus, *lib. 3. de dieb. decretor.* ubi ait: *omnia ſiquidem, quæ facere nata eſt, ubi falcis figuram repræſentat, languida fiunt.* Nolim tamen, ut hinc aliquis, perperam, concludat, quòd reliqua Lunæ tempora hiſce evacuationibus nullatenus conducant; cùm aſtra non neceſſitent, ſed tantùm inclinent. Quapropter non eſt dubitandum, quin inclinantes eorum influentiæ magnam vim habeant, corporis noſtri humiditates commovendi, & alterandi; non quidem, ut totales, ſed ut cauſæ partiales; adeóque cucurbitularum uſum feliciter promovere poſſint.

Hirudinum opera.

Inter reliqua Chirurgiæ præſidia, tum ad longioris vitæ, ſanitatisquè conſervationem, tum ad particularem quorundam morborum curationem efficaciter facientia, Hirudines, Sanguiſugæ dictæ, non malè numerantur, eò, quòd pungendo venarum tunicas aperiant, & exſugendo nunc peccantem in partibus ſubcutaneis, veniſquè capillaribus; nunc verò ab interioribus corporis viſceribus, ſanguinis copiam notabiliter detrahant. Prout enim variis membrorum particulis apponuntur; ita etiam diverſas diverſis partibus inhærentium ſuccorum evacuationes moliuntur. Unde, cuti appoſitæ, ſubcutaneum ſanguinem eliciunt; majori cuidam venæ admotæ, hoſpitantem in majoribus venis humorem evocant; adeò, ut, hoc modo, etiam ſanguinem, in toto genere venoſo redundantem, inſigniter, absque tamen notabili virium jactura, evacuare poſſint, atque varias morborum ſpecies exſtirpare. Hinc Petrus Paſchalius, *in ſuo, de febribus, tractatu, cap. de febri peſtilente, in Appendice,* hirudines ſummè laudat; ſiquidem *non confertim*, ut inquit, *quemadmodum venæ ſectio, ſpiritûs exhauriunt, virésque debilitant, & tamen ſanguinem vitioſum evacuant.* Benedictus Faventinus, *lib. de curand. morb. cap. 14.* ait, *ſi contingat, ut melancholia morbus ex melancholico ſanguine enaſcatur, cerebrum & univerſum corpus occupante; ora venarum,*

Ex majorib' & minoribus venis evacuant.

rum, quas hæmorrhoidas vocant, aperies, præſertim dum hæ cuipiam ſuppreſſæ fuerint, qui crebro aſſvetus eſt, ſanguinem melancholicum per eas evacuare: fiat autem hæc apertio hirudinibus.

Melancholiam per hæmorrhoidas tollunt.

Quantum utilitatis hirudines, ad leniendos, vel penitus tollendos capitis dolores adferant, ex eo clarum evadit, quòd dolor capitis, à vellicantium vaporum aſcenſu ortus, melius penè remedium non habeat, quàm hirudines; quia, ut inquit Hippocrates, *lib. de morb. caput propter caliditatem ad ſe trahit*, humores ſcilicet & vapores, qui quò majore impetu cerebrum petierint; tantò quoque majorem partium membranoſarum vellicationem, & inde vehementiorem quoque earum dolorem cauſabunt. Ideo, ſi ſubjectis cerebri partibus hirudines appoſitæ fuerint, aſcendentes vapores & humores revelli, ſedarique dolorem, neceſſe eſt: ſiquidem, hac ratione admotæ, humores ad ſuperiora vergentes, & vapores revellunt, atque ad ſubjectas partes remeare cogunt. Quapropter Leonardus Jacchinus, *in 9. Rhaſis, cap. 7.* in phrenitide, vigentibus ſymptomatis, venis poſt aures ſanguiſugas apponi jubet. Hieronymus Mercurialis, *lib. 1. de affect. capit. cap. 15.* hirudines naribus, aut hæmorrhoidibus, in phrenitide, adhibendas eſſe, monet: quia, ut aſſerit, *Hippocrates plerisque in locis docuit, ſanguinem per hirudines, ſeu, ſine hirudinibus, à venis hæmorrhoidalibus exeuntem, maniacis & melancholicis maximè conferre.* Quare, adhortante eodem Mercuriali, *lib. 3. de febr. cap. 16. de ſympt. febr. ad ſolertem Medicum pertinebit, hoc in caſu animadvertere, utrùm febriens familiarem habeat ſanguinem fluentem ab hæmorrhoidibus. Nam hoc in caſu, ad avertendum dolorem capitis, nullus alius locus eſt eligendus, quàm hæmorrhoides. Si autem nullas internas partes oblæſas habeat, nullus locus aptior eſt pro hirudinibus, quàm nares: & ſæpe ſum expertus, hirudinem unam, vel alteram, naribus febrientium immiſſam, ſtatim dolorem capitis ademiſſe.* Ut ita dubitare ampliùs nolim, hirudines eſſe potentes, non modò

Capitis dolori medentur.

Phrenitidē curant.

Hirudinum beneficia. modò ex parvis, per corporis habitum diſperſis, venis, ſed etiam majoribus exſugere fæculentiorem, craſſiorem, bilioſioremquè maſſæ ſanguineæ portionem, atque liberare à ſæviſſimis quibusdam morbis; non attento, quòd aliqui, ſubtiliùs diſcurrentes, dicunt, hirudines tam anguſtas infligere plagas, ut ad craſſioris ſanguinis eductionem non ſufficiant. Reſpondeo enim, plagas ab hirudinibus primo quidem inſtanti anguſtiores fieri; ſenſim verò, tractúque temporis, ab animalculo, ſuavioris ſanguinis inquirendi avido, concurrenteque fortiori ſanguinis impetu, in tantum nonnunquam ampliari, ut experientiâ, & oculari inſpectione doceamur, quòd revera non modò craſſus, fæculentus & aduſtus ſanguis per plagas, ab hirudinibus factas, effluat, verùm etiam vix ſiſti poſſit, ob ampliatas, præter modum, plagas.

Quare, pro meliori hirudinum applicatione, ſciendum eſt, quòd illæ ſint de genere entomatum ſeu inſectorum, quæ in aliis ferè aquis non inveniuntur, quàm paluſtribus, lacuſtribus & ſtagnantibus: quandoquidem, ex putridis earum particulis eas generari, non malè creditur. Cùm itaque, teſte Galeno, *lib. 6. de uſu partium: quale unumquodque eſt, tali id ipſum nutriri alimento oporteat;* accidit, ut hirudines ſuâpte naturâ cœno ac limo delectentur, & nutriantur, adeóque veneno haud careant. Eapropter Galenus, *libell. de hirudinibus*, monet, quòd hirudines, recens captas, in aquâ purâ, &, ut alii volunt, parvulo ſanguine in paſtum exhibito, aſſervare oporteat, ut probè purgentur, ac venenum ab iis exprimatur; locoque applicationis ſale nitri priùs perfricato, & ſanguine, vel argilla, inuncto applicentur. Inquit enim Galenus, *loco jam citato. Injiciendæ autem ſunt hirudines in aquæ tepidæ vas purum, latiq; oris: deinde ſpongiâ eas comprehendentes, viſcoſitatemq; ab eis detergentes, tandem manu applicabimus. Ubi autem adhæſerint, infundendum particulæ oleum tepidum eſt, ne ſcilicet refrigeretur,*

Hirudinum electio.

Modus applicandi & auferendi.

vetur. At ſi manibus, aut pedibus admovendæ ſunt; ipſam partem aquæ, cui inſunt ſanguiſugæ, immergere oportet. Quòd ſi parum depaſcantur, forfice caudam præcidito, ſecundum rectitudinem filamentorum. Nam effluente ſemper ſanguine trahere non deſiſtent, donec ſalem, aut cinerem ipſarum ori inſperſerimus. Ubi verò deciderint, cucurbitâ venenum eſt avellendum, aut pars fovenda ex ſpongia: quòd ſi particula emorſa lacrymet, cuminum, aut farinam inſpergito: ſuperquè lana madidata oleo pauxillo involvito. Sin ſanguis erumpat, lintea ex aceto injicito, aut gallam uſtam, aut ſpongiam liquidâ pice madentem, poſteaq; uſtam imponito.

In hirudinum porrò electione id advertendum eſt, ut minores, tenues, oblongæ, parvaquè capita habentes, majoribus, viridibus, ſplendentibus, ac lineas cœruleas, lanuginemque in dorſo gerentibus, utpote venenoſo morſu diverſa ſymptomata inducentibus, præferantur. An verò locorum varietas aliquid hirudinum electioni conferat, dubius hæreo; niſi forſan eas meliores dixero, quæ in mundioribus, minusquè ſtagnantibus aquis reperiuntur: novi equidem, has reliquis longè præſtantiores, quia minùs uliginoſo pabulo veſcentes, minùs quoque ſunt venenatæ. Utrum autem Hiſpania, Italia, Gallia; an verò Hungaria, Bohemia, Marcomannia, aliæquè provinciæ, aliis melioris notæ hirudines alant, & ſuppeditent, idcirco definire non attento, quòd cujuſdam valdè altùm ſapientis Medici recorder, qui, moto, in magni alicujus Prælati menſa, diſcurſu, de hirudinibus, earumque operatione, aſſerebat, hirudines Hiſpanicas reliquis longè eſſe præſtantiores, ſeque domi ſuæ tale hirudinum genus aſſervare: cùm tamen mihi, interroganti, an eas per Poſtam ſibi ex Hiſpaniis allatas haberet, confuſus, reſpondere neſciret; ubi notabam, bono viro aut nullam, aut planè exiguam hirudinum, earúmque operationis eſſe cognitionem; cùm, loco hirudinum, cantharides, vulgò muſcas Hiſpanicas dictas, ſubintelligeret.

 geret.

geret. Ut ita ſit vero verius, quod Doctiſſimus aulæ Eggenbergiacæ Archiater, D. D. de Volckshoven, jocoſè occinere aſſolet, dicens: Quemadmodum non omnis portans citharam, eſt bonus citharædus: ſic non omnis medicans boni Doctoris nomen meretur: quod in hujuſmodi, genuina artis remedia, legitimumque ea adhibendi modum, ignorantibus Medicaſtris veriſſimum apparet, dum v. g. hominibus quaſi exſanguibus, hecticis, debilibus, & morborum chronicorum tyrannide planè confectis, hirudines non modò applicant, ſed etiam, immoderatiùs agendo, penitùs emori faciunt, non conſiderantes, Juſtiſſimo Deo Judici, aliquando ſeveriſſimas rationes exigenti, noviſſimum etiam quadrantem eſſe perſolvendum.

Hirudines præſervant & curant.

Ex hiſce nunc, de Hirudinibus ſat fuſè dictis, palam fit, quòd per congruam hirudinum applicationem non modò à graviorum morborum inſultu præſervari; verùm etiam ab affligentibus eorum cruciatibus liberari poſſimus: ſi nimirum, pro varia ſanguinis ſubſiſtentia, variis quoque locis hirudines admoveantur. Sic febribus putridis, totius evacuationem poſtulantibus, majoribus in cruribus, aut brachiis apparentibus venis, vel hæmorrhodibus, apponuntur: poſt aures, fronti, temporibus, naribuſque adhibentur, ſi capitis miſeriæ ſanguinis imminutionem requirant. Idem de reliquarum partium affectibus eſt judicandum.

Caput V.

De opportuna humorum excrementitiorum detractione.

SI multæ, eæquè magnæ, corporibus noſtris, à tempeſtiva redundantium humorum alimentariorum evacuatione, utilitates conferuntur; longè, profectò! copioſiora, longeque

geq́ue ampliora, ab ea detractione, iisdem bona præſtabuntur, quæ humores, ex natura ſua inutiles, malos, ſanitati inimicos, opportunè detrahit. Siquidem mundatis tempeſtivè ab impura humorum ſaburra viſceribus, bona qualitatum ſymmetria conſervatur, coctiones ritè peraguntur, partes nutriendæ probè aluntur, inculpatæ à membris actiones eduntur: ita, ut opportunæ humorum detractioni, induſtriam matremfamilias agenti, incontaminata corporis ſanitas & vita, in longiſſimos annos producta, debeatur. Cuncto enim doctiorum Virorum cœtui haud ignotum eſt, quòd omnibus planè eſculentis, & potulentis, quibus utimur, inſunt multæ particularum heterogenearum portiones; quarum pars in ſanguinem purum, ad totius reparationem requiſitum; pars verò in humores, cuilibet particulæ analogos, excrementitios & inutiles, abit. Sic calidiores & ſicciores eſculentorum & potulentorum portiones, ſeu (ut doctiſſimis quibuſdam hujus ſæculi Medicis, juxta celebratiſſima Chymicorum principia procedentibus, placet) ſalinæ & ſulphureæ alimentorum reliquiæ in bilem degenerant: humidiores & frigidiores, ſeu aquoſioris nutrimenti partes, in viſceribus, aut corporis habitu ſubſiſtentes, in pituitam transformantur: frigidiores autem & ſicciores, ſeu feculentiores & terreſtriores alimoniæ ſordes, in melancholiam reſolvuntur. Et licet abundantiores primæ digeſtionis feces, poſt primum, è ſtomacho, ad inteſtina tranſitum, in iis ſoleant à chylo ſeparari, & per alvum egeri: nihilò tamen minùs ſciendum eſt, ſubtiliorem excrementoru ſcoriam (quam Neoterici ex aqua, ſale, ſulphure, & terra, conſtare aſſerunt) ſelectori cruoris maſſæ permixtam permanere; quæ dein, in circulari ſanguinis commeatu, continuaquè in vaſis effervefcentiâ, paulatim reſolvitur, & ab humore nutritio, qui ab omni recrementorum genere depuratus eſſe exigit, ſegregatur: quæ poſtmodum particulæ excre-

Opportunæ purgationis fructus.

Heterogeneæ alimentis particulæ inſunt.

crementitiæ ſeparatæ, prout magis bituminoſæ, tartareæ, argilloſæquè fuerint, eò tenacius ſuæ ſeparationis viſceribus adhærebunt: quæ pedetentim, ob continuum circulationis motum, indeſinentemquè ſanguinis fervorem, à perpetuo particularum novarum acceſſu taliter augentur, ut, niſi opportunâ detractione imminutæ, ſubtractæquè fuerint, qualitates peregrinas induant, naturalis ſuæ cohibitionis vincula diſrumpant, in furorem abeant; tales pariendo morbos, quales hiſce particulis, ſeu, ut cum veteri Medicorum ſchola loquor, humori peccanti ſunt proportionati: adeò, ut, ſi bilis peccaverit, bilioſorum morborum ſpecies affligant: ſi pituita redundaverit, magna, eradicatúque difficilia pituitoſorum malorum agmina infeſtent: ubi verò atræ melancholiæ copia adfuerit, rebellium quoque & immorigerarum affectionum myriades generabuntur: aut demum, ſi ſalſarum ichoroſarumquè ſuperfluitatum mephitis dominium tenuerit, inſignis etiam hiſce humoribus competens afflictionum multitudo naſcetur; præſertim ſi diutiùs in viſceribus imperturbati manſerint. Quantò enim longiorem in corpore moram trahunt, tantò pejorem ſemper naturam adſciſcunt, copioſioresquè evadunt: *mali ſiquidem ſucci*, innuente Galeno, *in comment. aphoriſ. 10. ſect. 2. in corpore priùs collecti, corrumpunt ſimul alimentum adveniens, ita, ut cacochymiæ quantitas augeatur, & qualitas ſervetur: atqui malorum ſuccorum multitudo, cùm immodica fuerit, expurgari non poſſunt; ſed unà cum ſanguine, per totum corpus deferuntur:* dicente eodem, *lib. 3. de ſympt. cauſ. &, ſi diutius in eo moram trahant, putreſcunt. Quare mordaces & acres, atque his partibus, & quæ ipſos continent, infeſti redduntur, & in iis morbos generant:* teſtimonio ejusdem, *lib. 3. de natural. facult.* Ratio datur ab eodem, *lib. de euchym. & cacochym.* dicente: *ab iis conſervamur, quæ naturæ noſtræ ſunt familiaria: quæ verò illi adverſantur, nos in perniciem deducunt: & quantam vitioſi*

Qualiter hæ particulæ auctæ noceant.

Ab iis alimentum corrumpitur.

vitioſi ſucci, ad gignendos pernicioſos morbos, vim habeant, ex libro Galeni, *de euchymia & cacochymia*, cuilibet eum diligenter inſpicienti patebit.

Quid ergo eſt, quòd tenella infantium corpora non rarò, aut in uteri ergaſtulo, à nimia matrum impuritate, aut vitiato nutricum lacte cacochymica effecta, vexantur ab ulceribus, tuſſibus, umbilici inflammationibus, aurium humiditatibus? Quid mirum eſt, quòd pueros tonſillæ, anthraces, lumbrici, ſtrumæ, ſimilesquè morbi afficiunt? Viros pulmonum inflammationes, aſthmata, lethargi, alvi profluvia, ſpirandi difficultates, defluxiones cum tuſſi, articulorum dolores, paſſiones renum, apoplexiæ, & infinitæ aliæ hujuſmodi generis miſeriæ excruciant? Quid mirum eſt, hunc mentis alienatione turbari? illum ſyderationibus exerceri? iſtum, morbo comitiali correptum, pulſare humum? eum à ſpaſmo & nervorum diſtenſione lacerari? alium urentibus oculorum doloribus enervari? alium lippitudines & delachrymationes pati? alium auditûs gravedine infeſtari? quid, amabo! mirum eſt, quòd hic continuis deſtillationibus contabeſcat? ille moleſto aurium tinnitu torqueatur? hic ſiccâ quatiatur tuſſi? ille peripnevmoniâ, & lentis pulmonum exeſionibus laboret? angat hunc cachexia? illum cholera? hunc calculus? illum inteſtinorum colica paſſio dilaceret? hic podagræ doloribus ardeat? ille aquâ intercute pereat? iſte, ob pſoram & ſcabiem, quieſcere nequeat? Quid denique mirum eſt, nullum aliquando corporis humani membrum reperiri, quod peculiaribus, ſibique velut propriis morbis non infeſtetur? Impura enim corpora, congruentibus medicinis non purgata, & à vitioſorum humorum pravitate liberata, non poſſunt non in haſce, iiſque ſimiles miſerias incidere; ob rationes jam alibi in medium allatas, & ab Hippocrate, *aphoriſ. 10. ſect. 2.* expreſſas, dicente: *impura corpora quò plus nutriveris,*

Diverſi hominum morbi recenſentur.

Niſi corpora purgentur, infirmantur.

Alimenti corruptio.

veris, eò magis læſeris. Accedit inſuper, quòd alimentum, partium nutritioni deputatum, etiamſi optimum, potiori aliquando ex parte à ſuccis vitioſis, in primis viis ſubſiſtentibus, in tantum depravatur, ut eandem cum iis naturam induat: quod deinde per eaſdem venas, à ventriculo ad hepar, ab hepate per univerſum corpus migrat; per quas ſuccus nutritioni dicatus ad partes alendas proficiſcitur. Cùm verò ſit impoſſibile, ut omnes ſucci excrementitii in partibus alitis ſubſiſtant; neceſſariò eorum pars aut transſudare, aut per eaſdem venas, cum ſanguine circulante, remeare, aut à fortioribus partibus, ad imbecilliores amandari, aut à ſuperioribus ad inferiores defluere debet. Quocunque autem modo acciderint defluxiones, ſemper ab iis morbi generari poſſunt. Hinc docet Hippocrates, *lib. de glandul.* quòd, *ſi fluxio copioſa in cerebrum irruat, ipſum affligit, & mens perturbatur, & homo circumambulat, aliena cogitans, & aliena videns, perferens morbi mores profuſo riſu, & peregrinis imaginationibus. Si fluxio ad oculos fiat, ophthalmia appellatur, & oculi in ipſa intumeſcunt. Sin ad nares defluxio fiat, arroduntur. Si ad aures fiat fluxio, laborans hoc morbo plurima excernit: & auris à frequenti fluxione per tempus vexatur, & pus graveolens effluit. Si verò fluxio retrò proceſſerit, per palatum, & in ventrem pituita pervenerit; fluunt quidem horum ventres; non autem ægrotant. Si verò infernè maneat pituita, affectiones volvuloſæ fiunt diuturnæ. Aliis autem, ſi per palatum in guttur multa fluxio contingat, idquè frequenter, morbi tabifici oriuntur. Replentur enim pulmones pituitâ, atque pus fit: id quod pulmones exedit: & ægroti non facilè ſuperſtites manent.*

Catarrhoſæ defluxiones cauſant morbos.

Catarrhus morborum fons.

Propter has defluxiones, ex parte in partem fieri ſolitas, doctiſſimus Crato, *Lib. conſil. 7.* aſſerit, *quòd catarrhum Medici, tanquam fontem omnium morborum, vel certè præcipuorum, ſtatuant. Etſi enim,* ut inquit, *vulgus catarrhum tum vocet, cùm*

materia

materia pituitoſa, à capite, ad vicinas partes, nares, fauces &c. defluit: propriè tamen catarrhus, ſeu deſtillatio appellatur, cùm quascunque corporis partes fluxio præter naturam obruit, eásque qualitate, vel quantitate moleſtâ afficit, ac actiones vitiat.

Hîc loci benè notandum eſt, quòd humorum defluxio accidat, vel ob vitium partis mandantis, vel partis recipientis, vel viarum, per quas fluit, vel ob humoris fluentis, noxam. Pars mandans, quæ & terminus à quo dicitur, deponit & concitat humorem ad aliam partem, triplici potiſſimùm de cauſa: aut quia pars mandans recipiente eſt robuſtior, aut quòd terminus à quo ab humoris acrimonia irritatur. Primo modo omnis pars robuſtior, facili labore, moleſtiorem humorum ſarcinam deponit in debiliorem; eò, quòd, ob innatam ſibi virtutem, humorum affluxui reſiſtat, &, quoad poteſt, à noxio ejus conſortio ſe tueatur. Eam ob cauſam docet Galenus, *lib. 2. de diff. febr. cap. 10.* quòd *ſoleat ſæpè excrementum ab aliis in alias partes confluere; fortioribus nempè id ſemper à ſe pellentibus, ſuſcipientibus autem imbecillioribus: unde ad fortiores relabi, eſt impoſſibile. Idcirco per plethoras atque cacochymias imbecilliores particulæ infeſtari ſolent variis fluxionum affectibus.* Secundo modo cuilibet doctiorum virorum haud ignotum eſſe confido, quòd facilis ſit humorum deſcenſus, à nobiliſſimo rationis domicilio, capite nimirum, ad ſubjectas eidem partes; ſiquidem humores, utpote aut tenues, facilè ſeſe in vias, ad ſubjecta viſcera copiosè deſcendentes inſinuant: aut, tanquam graves, ductu naturali feruntur deorſum, impulſi à nativo cerebri robore. *Nihil igitur mirum*, ut inquit Galenus, *loco jam citato, vel cerebrum, vel univerſum caput, excrementum in ſe collectum, ad partes imbecilliores expellere, veluti ad aures, oculos, tempora, labia, dentes, malas, palatum, gingivas, gurgulionem, pariſthmia, aut denique ad glandulas illic conſiſtentes. Quòd ſi ex his nihil imbecillitatem patiatur, ad pectus, pulmonem,*

Defluxio quomodo accidat.

Pars mandans.

Facilis humorum deſcenſus.

fauces, gulam, ventriculum, ipſa fluxio delabitur : ut hac ratione ſit veriſſimum illud Hippocratis, quod habet, *in Epiſtola ſua ad Regem Demetrium* data, inquiens : *in ſumma quidem humanorum morborum radix caput eſt, ex eoq; maximæ ægrotationes adveniunt. Cùm enim toti corpori incumbat, eorum omnium, quæ ingeruntur, reliquias & tenues humores, non ſecus ac cucurbitulam, attrahere contingit.* Unde non absque ratione magnum illud Græciæ oraculum, Hippocrates, *lib. de carnib. cerebrum frigidi & glutinoſi ſedem*, declaravit : quoniam, medullarem ejus ſubſtantiam conſiderando, frigida & humida temperie dotatam invenimus: quæ inſuper cava eſt, & oblonga, inſtar cucurbitæ efformata: ut aſcendentes ex ſubjectis viſceribus vapores eò promptiùs excipiat; qui, ad frigiorem cerebri ſubſtantiam delati, in aquoſum humorem reſolvuntur; non aliter, quàm exhalationes, à calore Solis, in ſecundam aëris regionem elevatæ, in pluviam, grandinem, vel nivem convertuntur. Præterea cerebri temperiem frigidam eſſe & humidam, aſſerunt omnes omnino Authores : ergo etiam frigidâ & humidâ ſanguinis portione, tanquam ſibi amica, nutritur cerebrum. Nam, ex decreto Galeni, *lib. 11. meth. med. nutrimenti qualitas à temperie petenda eſt* : &, *lib. 6. de uſu part.* inquit, quòd, *quale unum quodquè eſt, tali ipſum alimento nutriri oporteat.* Si igitur cerebrum frigido & humido alitur ſanguine, fieri vix aliter poteſt, quin magna ſuperfluorum ſuccorum copia cerebri nutrimentum concomitetur : adeò, ut cerebrum ex ſe, naturáque ſua, & per accidens, excremento frigido, pituitoſo & aquoſo congregando ſit opportunum. Hinc tertio modo conſtat, eam eſſe partium corporis, maximè verò nobiliorum, conditionem ſeu conſtitutionem, ut vel leviter, ab humorum acrimonia, aut multitudine, irritatæ, eas ad partes minùs nobiles proſcribant & abigant.

Caput morborum radix.

Cerebri temperies.

Notandum eſt ſecundò : quòd una pars magis alterâ dicatur

catur

catur recipiens, duplici de cauſa: vel quòd humores, in nobiliore parte contentos, ad ſe trahat; vel quia debilis eſt. Trahit autem dolore & calore; quia reliqua corporis membra, parti affectæ ſuppetias ferendo, concurrunt ſanguine & ſpiritu, qui, humorem augentes, tumori & dolori incrementum addunt. Hoc competit doctrinæ Galeni, *lib. 2. de different. febr. cap. 10.* dicentis: *Confluit materia inutilis, interdum quidem impulſa, ad infirmiores particulas, interdum ab illis attracta. Etenim calor naturâ eſt aptus, ad conciliandas ac recipiendas fluxiones. Proinde in corporibus plenis, aut in quibus excrementa redundant, magna portio ad eas defluit partes, quæ incaluerunt vehementiùs. Nec parùm ad partes dolentes humoris ſolet confluere. Videntur itaquè manifeſtè, fluxionum cauſæ, quæ ex ipſis partibus laborantibus originem trahunt, eſſe duplices: quarum altera eſt, in ipſis accenſa caliditas: altera, excitatus dolor.*

Pars recipiens dupliciter, vel trahit, vel debilis eſt.

Partes verò, ob debilitatem, humorem ad ſe fluentem recipientes, ſunt tales, vel ex naturali ſua conſtitutione & ſitu; ut pulmones, qui, propter inſignem ſuam mollitiem & laxitatem, à nativitate, ſunt diſpoſiti ad recipiendos humorum fluxus; ut docet Galenus, *lib. de curand. rat. per venæ ſect.* inquiens: *Pulmo fluxioni recipiendæ promptiſſimus eſt; quia & hic infirmas facultates poſſidet, corpusquè laxum.* Vel in caſu adventitio, vi cujus nativus partis debilitatæ vigor, attritus, potiori ex parte periit; ut contingit in caſu, ictu, aliisquè rebus, fortuitò partes lædentibus.

Ob debilitatem recipiunt.

Si vias ſpectemus, quarum adminiculo materia, ad tumorum, aliorumquè morborum generationem faciens, defluit, ab Hippocrate, *lib. de loc. in homin.* & *lib. de gland.* numero ſeptem ſolent aſſignari. Aſſerit enim: *fluxiones de capite, velut cum ſecretione contingunt, per aures ſecundùm naturam, per oculos, per nares: tres numero. Aliæ per palatum in guttur, & ingulam: aliæ per venas, in ſpinalem medullam, in ſanguinem. Omnes nume-*

Fluxionum viæ.

mero ſeptem. Si igitur in cerebro, ob naturalem ejus temperiem frigidam & humidam, atque ideo, ad humorum collectionem, valdè proclivi, materia, ex continuo vaporum & humorum aſcenſu colligitur, & cumulatur, atque ab eodem, utpote frigidi & glutinoſi matrice, ad ſubjectas eidem partes delabitur; etiam diverſæ ægritudinum ſpecies producuntur, pro humorum copia, natura, & partium recipientium varietate, variantes. Proinde, ut loquitur Hippocrates, *lib. de glandulis: Medicus, ſi vir bonus & intelligens ſit, occaſionem horum morborum magna ex parte intelligat:* ut ita vel cauſarum amotione inopinatum morbi impetum infringat; vel ægritudinem viſcera affligentem, naturámque enervantem tollat; vel ſaltem inter curandum nominis integritatem, bene prognoſticando, tueatur. Eam ob cauſam, ut monet Jacchinus, *in comment. in lib. 9. Rhaſ. cap. 5.* quærendum venit, *num morbus hujus partis ab alterius morbo foveatur; aut cauſam ſuæ generationis in alia parte habeat. Hoc enim conjicere oportet: quoniam imprimis cauſas oportet abſcindere; & ita parti mandanti priùs eſt proſpiciendum.* Nam hæc cauſa dicitur, vi cujus eſt affectus, & ideo præ omnibus ejusdem cognitio Medicum Praxim facientem decet; quòd, autore Hippocrate, *lib. de arte, ſufficiat ad curandum, qui ſufficit ad cognoſcendum.* Quia, ut tradit Galenus, *lib. 2. meth. med. cauſa inventionis principium, eſt ipſius morbi cognitio.* Ideóque *cauſa, quæcunque illa fuerit, circumcidenda eſt:* monente eodem, *lib. 4. meth. med.* Unde perſpicuum evadit, quòd, innuente Galeno, *lib. 9. de placit. Hippocratis & Platonis, exacta ſimilium & diſſimilium & diſſimilium cognitio ſufficiat, ad morborum curationis & præſervationis methodum.* Facilis nimirum eorum affectuum creditur exterminatio (ſi tamen omni cura nondum ſint ſuperiores) quorum cauſas ad amuſſim cognoſcimus. Tunc verò affectum corpus affligentem, aut afflicturum, cognoſcere putamur, quando eorum

Medicus intelligens.

Quærendum unde morbus.

Morborum cognitio ſufficit curationi.

rum

rum cauſas haud ignoramus: adeò, ut is ſolus ſit Medicus

Felix, qui potuit morborum noſcere cauſas,
Felix, qui potuit, notas bene tollere cauſas.

Utrumque verò pauci, & non, niſi,

— — quos Juppiter æquus amavit,
Dîs geniti potuêre: quibus præcordia Titan,
De meliore luto finxit, queîs ridet Apollo.

Sic ſe, profectò, res habet, ut nullus verus, felixque Medicus nuncupari poſſit, niſi, ob inſignem Philoſophiæ & Medicinæ cognitionem, inſtar Oedipi cujuſdam, abſtruſiſſimas rerum, in corpore latentium, cauſas intelligat, ſeque reverà intelligere, ipſo facto & opere demonſtret, per adjectionem ſuppeditando, quod ad vitam longiſſimè protrahendam requiritur; & per detractionem auferendo, quod ejuſdem productioni officere notatur. Ut ita frivolorum quorundam, veræque Artis expertium Medicorum jactantiæ nihil ad genuinam, vel præſervationis, vel curationis methodum faciant; qui impudentiùs aliquando, coram indiſcretæ cretæ cauponibus, ſemiaduſtis piſtoribus, aliiſque rudibus opificibus, ſe multorum annorum Practicos gloriantur; cùm tamen, fraudulentis impoſtoribus, quàm veris Medicis ſimiliores, ignorent, quòd Viri docti non annis, ſed ſtudiis ſint æſtimandi; quorum aſſidui vigilatarum noctium labores eò ſolùm collimant, ut id in effectu demonſtrent, quod, ſe ſcire, verbis declarant; ſtimulati doctrinâ divini Medicorum anteſignani, Hippocratis, *lib. de decenti habitu*, inquientis: *Præclara res eſt, quæ ex opere, quod quis didicit, proficiſcitur, oratio. Quidquid enim artificiosè factum eſt, à ratione profectum eſt. Quidquid autem artificiosè dictum eſt, non autem factum, viam & rationem artis expertem arguit. Opinabile ſiquidem, absque actione, inſcitiæ, & nullius artis indicium eſt.*

Quis felix Medicus.

Pſeudo Medici rejiciuntur.

Si igitur tanti honorum tituli eam Medicinæ partem de-

cent, quæ graſſantes in corpora morbos, cognitis eorum cauſis, tollit; longè ſanè majora laudum encomia illi debentur, quæ, opportunis inſtructa remediis, perniciosſam humorum illuviem ſubtrahendo, impedit quemvis ægritudinis inſultum. Nam hæc illa eſt, quæ redundantem fecum, ſanitatem vitámque perdentium, mephitim tempeſtivè everrit; in quibus inteſtinorum, venarum, aliorumquè vaſorum impuritas conſiſtit, vitium, gravitas, lentor & putredo eſt. Hæc illa eſt medicinæ pars, quæ gravia periclitantis valetudinis impedimenta demit, incipientes morborum radices evellit, languentes partium vires excitat, humanæ naturæ robur confirmat; adeò, ut firmiter credam, nunquam mortales ægrotaturos, ſi corporis impuritates, calorem nativum rubigine obducentes, ſpiritusquè vitales defœdantes, opportunis ſemper temporibus, per alvum, aliasquè vias competentes expellerent. Hac itaque ratione manifeſtum evadit, quantum opportuna inutilium ſuccorum detractio ad longioris vitæ & valetudinis conſecutionem faciat: adeò, ut nos operæ pretium facturos arbitremur, ſi, capite ſequenti, de Purgatione egerimus.

Artificioſæ & opportunæ detractionis encomia.

Caput VI.

De Purgatione.

Quòd Medicus, ab ipſo rerum omnium artifice creatus, circa magnum verſetur bonum, dum omnium eorum, quæ vim naturæ inferunt, ferociam retundendo, opprimendo, expugnando, vel præſentem corporis ſanitatem tuetur, vel amiſſam, aut labefactatam reſtituit; nullus unquam ſanæ mentis dubitavit. Siquidem abſque ipſa ſummarum etiam divitiarum, honorum & fortunarum poſſeſſores beati

Sanitas magnum bonum eſt.

beati cenſeri non poſſunt. Cùm igitur opportuna humorum detractio, ſeu purgatio, ſit unicum, illudque præcipuum, Medicinæ inſtrumentum, quo illa utitur, ad domandam, refrenandam, & è corporis humani latebris everrendam rebellium, infeſtorumquè excrementorum portionem; jure merito inſtituitur quæſtio; quid ſit Purgatio? Galen. *in comment. aphoriſ. 2. ſect. 1.* dicit, quod *purgatio ſit humorum qualitate moleſtorum evacuatio.* Alii dicunt: *purgationem eſſe evacuationem particularem ejus repletionis, quæ virtuti corporis vim infert; factam medicamento rectè & convenienter exhibito, ut amiſſa contentorum proportio priſtinæ ſuæ naturali conſtitutioni reſtituatur:* ut Joannes Paulus Pernumia, *lib. 4. de arte curandi.* Alii aſſerunt: *purgationem eſſe humorum, qualitate peccantium, coctorum tamen & præparatorum, ex corpore, per inferiora, medicamentis purgantibus, convenientem eductionem:* ut Joannes Jonſtonus. Alii denique volunt: *purgationem eſſe humorum, citra, ſeu præter ſanguinem, vitioſorum, per ſedem, eductionem:* ajunt enim, *quemadmodum plethora ſuccorum omnium eſt redundantia; ita cacochymia, ſanguine dempto, non omnium:* ut Hannoveranus.

Purgatio primū Medicinæ inſtrumentū.

Quid ſit.

Verùm enim verò, nos, ſalvo tamen Doctiſſimorum Virorum judicio, dicimus: quod *purgatio ſit latentis perniencioſæ & inutilis materiæ, per apta medicamentorum auxilia, ad periclitantis ſanitatis conſervationem, & amiſſæ reſtitutionem, per alvum eductio.* Ideò enim hæc à Medicis inſtituitur, ut artis Medicæ propoſitum, quod à Galeno, *lib. de ſect.* ſanitas dicitur, obtineatur: ſive nunc præſentem corporis ſanitatem conſervare; ſive abſentem congruâ remediorum ſuppellectile reſtituere intendamus.

Definitio purgationis.

Quanta jam hujus evacuationis ſit utilitas, quantaque neceſſitas, tum ad obtinendam, tum ad conſervandam valetudinem, vitamquè exinde in longas annorum periodos extrahendam, id cuilibet, rem diligentiùs ſecum ruminanti,

facilè

Purgationis utilitas & neceſſitas.

facilè fiet manifeſtum. Quotidianæ enim corporum noſtrorum inſtaurationi, ſufficientibus opus eſt alimentis, adhoc, ut diſſipatæ, per calorem, particulæ reparentur: fieri autem ægrè poteſt, ut alimenta, per os aſſumpta, ita ſint pura & homogenea, ut diverſis & heterogeneis excrementorum portionibus non ſint imprægnata; quorum pars, feculentior inprimis, in primæ digeſtionis organis; pars verò in reliquis concoctionis officinis, à ſucco nutritio ſeparatur; quæ, niſi per vias â natura datas excreta fuerint, habent aptitudinem, præſentem corporis ſanitatem evertendi; ſive ea primæ concoctionis excrementa fuerint, ut feces per alvum excernendæ; ſive ſecundæ digeſtionis, ut urina, per veſicam evacuanda; ſive ultimæ nutritionis ſordes illæ fuerint, per ſudorem, & inſenſibilem pororum tranſpirationem, diſſipandæ. ***Excrementa enim ſingula***, ut ait Galenus, ***lib. 3. de facult. natural. ſi moram in corpore diutius trahant, putreſcunt, mordacia & acria, atquè hiſce, quæ ipſa continent, infeſta redduntur.*** Unde Hippocrates, ***lib. 4. de morb.*** monet, ut, ***qui ſanus futurus eſt, heſternum ſtercus ſemper quotidiè per alvum demittat:*** quia longiorem fæcum in corpore moram ſequuntur earundem indurationes, ob continuam venarum ſuctionem, & omnis liquidioris ſucci conſumptionem; inteſtina à nimium exſiccatis fæcibus obſtruuntur, dolores colici, ob vehementiùs infarctas, & diſtenſas inteſtinorum tunicas, oriuntur, flatibus exitûs præcluduntur, &, teſte Celſo, ***lib. 1. cap. 3. ex ventre ſuppreſſo, & parum reddente, inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaquè ſuperioris partis mala increſcunt.*** Et, ***quibus alvus ignea fuerit, veſicam etiam eâdem affectione teneri, neceſſe eſt:*** docente Hippocrate, ***lib. de aëre, aq. & locis***: quia tanta veſicam inter & alvum correſpondentia intercedit, tum ob officia excretionis, utrique parti communia, tum ob partium viciniam, ut, unâ parte benè habente, & altera bene ſentiat; alterutrâ verò male ſentiente, &

Alimenta homogenea non dantur.

Fæcũ mora in corpore periculoſa.

Veſicæ & inteſtinorum correſpondentia.

te, & hæc ſiniſtrè habeat, adeò, ut, alvo vehementiùs occluſâ, etiam mictus impediatur, cum ſummo ſanitatis detrimento. Longè adhuc majorem malorum ſeriem, quæ arctiorem alvi occluſionem, & hinc penè furientium flatuum retentionem ſequitur, enarrat Hippocrates, *lib. de flatib.* ubi aſſerit: *Obſtructo inferiori ventre, in univerſum corpus flatus percurrunt, &, ad ſanguine refertas corporis partes illapſi, eas refrigerant;* jam iliacos pariendo dolores, jam hydropes inferendo, nunc cauſando pleuritides, nunc verò generando ſyderationes, aut apoplexias: teſtante eodem, *lib. jam citato,* ubi inquit: *Quasdam alias infirmitates, ut ſunt volvuli, agitationes inteſtinorum, tormina, & ſimiles aliæ infixiones à flatibus dependere, nemini obſcurum eſſe, puto. Quando illi locos teneros & inaſſuetos, ac priùs intactos, aggrediuntur, inſtar ſpiculi incumbentes, carnem penetrantes, aliquando præcordia petunt; aliquando alia, aliquando utrumque ſimul. Pleuritides generant, dum flatûs, ultra venas ſubſiſtentes, ſanguinis vias coarctant; compreſſus autem ſanguinis, ſuâ copiâ, quâ maximè impreſſionem fecerit, venas perrumpit:* & ſanguis, ſive is purus, ſive aliis humoribus commixtus fuerit, reſeratis à flatibus viis, in ſpatium illud defluit, quod eſt pleuram inter & coſtas, affectionem pleuriticam generando. *Cùm autem flatus,* edicente eodem Hippocrate, *loco jam antè citato, carnes penetrando, meatûs corporis rarefecerint; tunc ſequitur ipſos flatûs humiditas. Humectato autem corpore, liquefiunt carnes, & tumores ad tibias deſcendunt, & morbum hunc hydropem appellant. Etiam apoplexiæ à flatibus fiunt: quando nimirum flatûs frigidi & copioſi carnes ſubjerint & inflarint. Hæ enim corporis partes ſtupidæ redduntur. Et ſiquidem multi flatûs univerſum corpus oberrant, totus homo attonitus redditur: ſi verò partem aliquam; pars illa. Quod ſi abierint flatûs, ceſſat etiam morbus; ſi permanſerint, permanet morbus.*

Obſtructionis mala.

Pleuritidis cauſa.

Flatuum malitia.

Eâdem penitus ratione, de aliis capitis affectionibus diſ-

currendum eſſe, reor; quæ à flatu, ob arctiorem inteſtinorum conſtipationem, naſcuntur. Nam retentus in corpore flatus ad altiores corporis partes migrat, ventrem mordet, cordis anguſtias excitat, capitis monarchiam vaporibus implet, tales ſpiritibus animalibus obtenebrationes inducendo, oculorúmque hebetudines & fuſcationes adferendo, ut omnia rotari, & in gyrum circumagi putentur.

Requiſita ad vitæ conſervationem.

Ut igitur diuturnâ vitâ, & inconcuſſa valetudine fruamur, totis viribus in id incumbendum eſt, ut inutilia alvi excrementa quotidie bis, vel ad minimum ſemel, à ſomno, manè, evacuentur; urina, quotieſcunque exitum poſtulaverit, demittatur; ſudor veniens non impediatur; mucus narium extrahatur;&, quidquid ad mali à bono ſucco ſeparationem facere poterit, nequaquam omittatur: plurimùm enim adjumenti, ad longioris vitæ, & conſtantioris valetudinis poſſeſſionem addit, ſi alvus ſit paulò laxior, &, ut placet Hippocrati, *lib. prænotion. excrementorum copia ciborum ingeſtorum rationi reſponderit. Optima hæc eſt alvi dejectio: quia talis exitus, inferiorem alvum benè valere, declarat*: multíque morbi, alvi laxioris beneficio præcaventur.

Alvi lubricitas bona.

Urinæ fluentis commoda.

Non minora Urinæ benè riteque fluentis ſunt commoda, eò quòd, unanimi propè Medicorum conſenſu, per urinam non modò copia ſeroſi humoris evacuetur, ſed etiam, per hujus eductionem, ventriculi, hepatis, lienis, aliorumque viſcerum calor nativus conſervetur, ſuccus melancholicus imminuatur; ſicque homini ad lætioris mentis, firmioris valetudinis, longævioriſque vitæ adeptionem plurimum addat. Si igitur contingat, ut alvus juſtò ſit ſegnior, ſtimulanda erit iis, quæ levem irritandi virtutem habent: quales ſunt uvæ paſſæ; aut paulò ante cibum, aut in ipſa prima menſa aſſumptæ; vel decoctum galli, emolliendi potentiam habens; aut pruna laxativa, cum decocto ſenæ parata, & horâ cum dimi-

diâ,

diâ, ante paſtum ſumpta. Eodem modo, jubente Hippocrate, *lib. 2 prædict. urinam copiá potui reſpondentem reddere oportet, & ſemper æqualem, & quàm maximè effuſam, & ad paulò craſſius inclinantem, quàm quod potu ſumptum eſt.* Quòd ſi igitur contingat, ut urina potui aſſumpto non reſpondeat, aut difficiliùs prodeat, levioribus diureticis, id eſt, medicamentis, urinam ciendi virtute pollentibus, ſuccurrendum eſt, ut ſucci hujus excretionis capaces educantur. Inter reliqua mihi, quindecim annorum uſu, probata ſunt ſpiritus ſalis, vitrioli, ſuccus citri, ſemen aniſi, fœniculi, baccæ juniperi; quæ, ſi, in fine paſtûs, in tantâ quantitate maſticata deglutiantur, nihil ampliùs poſt ſumpta bibendo, in quanta tribus primis digitis, bina vel terna vice, arripi poteſt, non modò urinam promovent, ſed & probam ſtomachi digeſtionem efficiunt, caput à vaporibus, ex ſtomacho aſcendentibus, tuentur, flatûs diſcutiunt, & alia multa commoda præſtant. Nec ridiculum videatur, quòd exigui hujuſmodi pretii medicinam tanti valoris afferam. Quemadmodum enim non quivis in luto jacens lapillus, ſine diſcrimine, eſt ſpernendus; ita nec quodvis ſimpliciſſimum medicamentum, abſque conſideratione, temerariè eſt contemnendum; modò Medicus, naturæ miniſter, medicamenrum, utpote activum, taliter ſuo paſſivo applicare noverit, ut naturam, in opere non ſufficientem, leniter adjuvet, non verò cogat. Nam, ex decreto Galeni, *lib. quos purgare oportet*, natura non eſt cogenda, ſed cum moderamine adjuvanda. Inquit enim: *Ubi natura imbecilliùs actionem obit, id, quod deeſt, oportet nos, per medicamenta, adjicere.* Nec velim, ut quis malè arbitretur, medicinas tantùm pretio æſtimandas, & nullas ad malorum profligationem eſſe ſufficientes, niſi ex procul diſſitis Indorum & Chinarum oris allatæ advectæque fuerint: ſiquidem ſapientiſſimus rerum omnium creator, ab æterno, cujuslibet terrarum loci infir-

Urina provocanda & Alvus ſegnior ſtimulanda.

Exigua medicina magnæ virtutis.

mitates prævidit, nec non ad neceſſitatem, in quavis Orbis provincia, ex terra produxit medicinas, quæ ad tollendas cujuslibet provinciæ incolarum ægritudines ſufficiunt. De quibus alibi, Deo annuente, fuſior agendi occaſio dabitur.

Tertiæ coctionis excrementa expurganda

Idem omnino judicium de tertiæ coctionis excrementorum evacuatione formandum eſt. Cùm enim omnia à natura excludi non poſſint; quotidiano corporis exercitio, aut apto medicamentorum genere excludantur, neceſſe eſt; quia aliàs, in corporis circumferentia, peregrinas naturas induunt, & bonæ valetudini, longæque vitæ officiunt. Quarè in dies ſingulos, abſolutâ nocturnâ manè quiete, omnia ſenſuum organa, pro poſſe, ſunt expurganda, ut os, lingua, dentes, facies, oculi, aures, nares, à viſcoſis ſuis limoſitatibus: totúmque corpus, per motum & exercitium, cuilibet ſubjecto familiare, atque remedia, cuivis parti & humori proportionata, adjuvandum eſt, ut partium calor excitetur, humores, in quocunque viſcere latitantes, incidantur, attenuentur, &, quantum fieri poteſt, per omnes membrorum meatûs & poros evaporent, atque tum in ſenſibilem, tum inſenſibilem tranſpirationem evaneſcant.

Verùm, præter has, jam enarratas, vitioſorum ſuccorum ſpecies, adhuc alii, maximæ conſiderationis, humores, in corporibus humanis deliteſcentes, ab Hippocrate, Galeno, Avicenna, aliisque graviſſimis Viris Medicis, recenſentur, qui, in ſtatu ſibi legitimè debito conſervati, ad præſentis ſalutis ſuſtentationem conferunt: in contrarium verò ſtatum abeuntes, non modò ſecundam viſcerum diſpoſitionem evertunt, ſed etiam præmaturè emori faciunt. Hoc imprimis docet Hippocrates, *lib. de natura hominis*, dicens: *continet in ſe ipſo corpus hominis & ſanguinem & pituitam, & bilem duplicem, flavam atq; nigram; quibus corporis natura conſtituitur, & per quæ ægrotat, & ſanitate fruitur. Et ſanitate quidem fruitur tum maximè,*

Qui humores in corpore latere ſoleant.

quan-

quando temperamentum hæc inter ſe habuerint moderatum, tum facultate, tum copiâ; præſertim poſt mixtionem. Ægrotat autem, quùm horum aliquod aut parcius, aut abundantius fuerit: aut etiam à reliquis ſeparetur in corpore, neq; cum reliquis omnibus contemperetur. Neceſſe eſt enim, quùm quid horum ſecretum fuerit, & per ſe ſteterit, non ſolùm locum, unde ſeceſſit, morbidum fieri; ſed etiam eum, in quo ſtat, & in quem, propter nimiam ejuſdem copiam, eſt diffuſum, dolore ac morbo vexari. Expropter non minùs eſt operæ pretii, quàm ſummæ etiam neceſſitatis, ut de hiſce humoribus, vitam valetudinémque diutius conſervantibus, & eandem à ſtatu naturali degenerando deſtruentibus, nonnihil accuratiùs tractemus: cùm (ut eximium illud Romanæ facundiæ oraculum, Tullius 2. *offic.* loquitur) *omnis valetudo ſuſtentur notitiâ ſui corporis, & earum rerum obſervatione, quæ aut prodeſſe, aut obeſſe ſolent.* Atqui ſecunda ſanguinis, pituitæ, bilis & melancholiæ diſpoſitio corporis ſanitati prodeſt, ſiniſtra verò obeſt; uti extat apud Hippocratem, *loco jamjam citato*: ergo quatuor iſti humores, in maſſa ſanguinea contenti, ad firmioris ſanitatis conſervationem, longæviorisque vitæ conſecutionem diligenter ſunt obſervandi. Siquidem, ut placet Galeno, *lib. de placit. Hippocratis & Platonis: ſanguis, pituita, bilis flava & atra, non ſolùm primæ noſtræ generationis ſunt principia; ſed etiam, partibus in ſolidiorem ſubſtantiam abeuntibus, augmentum & robur addunt; maximè ſi primam ſuam temperiem ſervaverint.* Ex optimis enim heterogenearum particularum alimentis gignuntur; ideoquè diverſas quoque vires & facultates obtinent; ut diverſis diverſarum partium naturis alimoniæ eſſe poſſint.

Corporis cognitio illud conſervat.

Humorum differentia.

Hinc notandum eſt, quòd quælibet pars alenda non, niſi nutrientis ſubſtantiæ, ſibi ſimilis, appoſitione augeatur & conſervetur. Similis autem ſubſtantia humoris nutrientis redditur actu, quæ talis erat potentiâ, per naturalem partium

Partes nutriuntur alimento ſibi ſimili.

concoquentium calorem; qui, alimenti affluxu excitatus, id, quod deceſſit, reficit, & id, quod parti augendæ & conſervandæ confert, apponit. Id quod diſertè docetur à divino Medicorum Principe, Hippocrate, *lib. de principiis*, ubi ait: *alimento ad partes delato, talem unumquodque ſpeciem unicuiq́ imprimit, quale ipſum fuerit. Singula enim, ab alimento irrigata, augmentum capiunt, & calidum, & frigidum, & glutinoſum & pingue, & dulce, & amarum, tum oſſa, tum quævis alia, quæ homini inſunt.* Hoc modo purior, delicatiórque maſſæ ſanguineæ pars temperatioribus, ſibique conformibus viſceribus in eſcam cedit, atq; ſpirituum conſervationi ſervit: juxta doctrinam Galeni, *lib. 1. de ſemine*, aſſerentis; *omnia, quæ carnosâ ſpecie ſunt prædita, ſunt ex ſanguine condita.* Pituita, altera maſſæ ſanguineæ portio, quæ caloris digerentis bonitate, ex humidiore & frigidiore alimentorum ſubſtantia, in laudabilem ſuccum convertitur, humidiorum & frigidiorum partium nutritioni ſervit; earundem juncturas in temperata levitate conſervando: ut tradit Avicenna, *lib. 1. fen. 1. doctr. 3. cap. 1.* dicens: *calor naturalis phlegma rectificat, & facit ex eo ſanguinem, ad membrorum phlegmaticæ complexionis nutritionem; juvatquè ut humectentur juncturæ & membra, quæ multæ exiſtunt motionis; ne ſiccitas eis accidat, propter calorem, qui ex motu provenit.* Tertius cruori commiſtus humor eſt Bilis, quæ, ex tenuiore calidioréque chyli portione nata, ad alendorum membrorum, ſuæ temperaturæ affinium, refectionem facit: confirmante id eodem Arabum Medicorum Coryphæo, *loco jam citato*, ubi dicit, quòd *neceſſitas choleræ ſit, ut ſanguini admiſceatur, ad nutrienda membra, in quorum complexionibus magnam choleræ rubeæ partem eſſe oportet: reliquum ſanguinem ſubtiliet, & in itineribus ipſum penetrare faciat.* Quartus denique, ſub alimentari ſucco contentus, humor frigidus & ſiccus eſt Melancholia; qui, ex terreſtiore alimenti ſucco generatus, ad inſtaurandum vegetandúmque ſibi

Bilis, Pituitæ, Melancholiæ neceſſitas.

ſibi cognatorum membrorum robur, firmandos quoque humores tenues & ſpiritûs, ne ita ſint fugaces, conducit; ut, hac ratione, à nonnullis, melancholia cauſa ſapientiæ cenſeatur. Hoc quoque docetur ab Avicenna, *loco jam allegato*, aſſerente: *Neceſſitas melancholia eſt, ut eo modo ſanguini admiſceatur, quo debet in nutrimento cujusque membrorum, in quorum complexionibus magnam melancholia partem eſſe oportet, ut oſſa: ad hæc ſanguinem reſtringit, confortat, & inſpiſſat*, ne ſcilicet æquo faciliùs, calore, aliisquè tum intrinſecis, tum extrinſecis, injuriis diſſipetur.

Denique (ut à gravibus doctiſſimorum quorundam Medicorum controverſiis præſcindam, qui velle videntur, quòd omnes omnino corporis partes à ſanguine homogeneo alantur) ita concludo: cùm omnia corporis humani membra, & partes, ſint diverſarum naturarum; & quævis tamen earum ſuo ſibi analogo alimento reficiatur; neceſſariò admittendum, tales in cruoris maſſa dari ſanguinis particulas, quæ partium heterogeneitati correſpondent; adeoque vero ſimilius eſſe, quòd humores, ſanguis nimirum purus, pituitoſus, billioſus & melancholicus, ab Hippocrate, Galeno, Avicenna, ac tota penè Medicorum Schola, ſtatuti in cruoris maſſa contineantur: unus enim, idemque ſuccus, ſibi ubique ſimilis, tam diverſos effectus edere vix poteſt. Ut ita non minùs verè, quam belle, dixerit Galenus, *lib. de euchym. & cacochym. quod ab iis alamur, quæ partibus nutriendis ſunt familiaria; & unumquodque eorum, quæ nutriri debent, familiarem ſibi, ex ſanguine, ac ſimilem ſuccum trahat, qui, vaporis inſtar, diſſolutus, his, quæ ipſum attraxerunt, apponitur, ac, tandem ab iis transmutatus, illis aſſimilatur. Tractio autem fit à partibus alendis, non ſucceſſione continui ad id, quod vatuatur; ſed perinde, ac à magnete lapide ferrum, qui ſcilicet talis qualitatis trahendæ vim habet*: innuente eodem Galeno, *lib. 1. de ſemine*, & *2. de facult. natural.*

Diverſitas partium diverſum alimentum poſtulat.

Verùm

Verùm cùm de humoribus, corpori humano in nutrimentum cedentibus, inſtituendáque contracti eorum vitii emendatione, alibi ſat fuſè egerimus; ulteriore ipſorum commemoratione hîc ſuperſedebimus, ad excrementitios tranſituri ſuccos, utpote pituitam, bilem, melancholiam, ſeroſasquè viſcerum aquoſitates: ſiquidem diligens horum ſuccorum obſervatio ad vitam, in longiſſimos annos extendendam, plurimum confert; cùm, è contra, neglecta eorundem notatio & expurgatio non modò integram corporis ſanitatem corrumpat, ſed etiam longioris vitæ radices inadvertenter evellat, & immaturam acceleret mortem. Unde, de ſingulorum natura & evacuatione acturi, ſequenti capite Pituitam, decentemquè ejuſdem Purgationem, trademus.

Caput VII.

De Pituita excrementitia, & ejus Evacuatione.

Mala excrementitiorũ ſuccorum natura.

Cùm humores excrementitii, pituita nimirum, bilis, melancholia, & ſeroſæ humiditates, hujus ſint conſtitutionis, ut aut, ferinam naturam induentes, calorem nativum diſſipent, accendant & reſolvant: aut, nimiâ ſuâ copiâ affligentes, eundem ſuffocando, in nihilum reducant: aut ſaltem partium facultates à muniis ſuis ritè obeundis ita impediant, ut integrè valentium organorum actiones edere non valeant: non immeritò ſtudioſam horum ſuccorum inquiſitioni operam impendimus; ut, habitâ peritiore eorum naturæ cognitione, opportunis remediorum copiis inſtructi, iisdem obviare poſſimus, & tum firmam corporis ſanitatem contra tacitos adverſantium morborum inſultus tueri, tum concuſſum valetudinis ſtatum pro virili reparare; atque, hac ratione, vitam in longius ævum protrahere valeamus. Cùm verò, tradente Riolano, *Phyſiologia cap. 12. major, poſt ſanguinem, ſit*

ſit pituitæ, in corpore, portio, quàm bilis & melancholiæ, eidem etiam primum competere locum arbitror. Unde, ab hac incipiens,

Dico: *Pituita excrementitia præternaturalis eſt frigidior & humidior excrementorum pars, quæ vel ex frigidorum & humidorum alimentorum indigeſtibili portione; vel à debili viſcerum concoquentium calore naſcitur.* Dicitur à debili viſcerum concoquentium calore, *quia fieri poteſt*, ut docet Galenus, *lib. 2. de temperament. ut colligantur pituitoſa excrementa, nec tamen humida ſit particula, ſed ſimul frigida & ſicca: cùm nimirum ex cibis, neutiquam ex noſtro corpore, ipſa pituita oriatur. Corpus enim ubi ingeſtos cibos non vincit, ſimile iis ipſum quoque excrementum gignit.* Pituitæ excrementitiæ natura.

Hujus pituitæ ſpecies aliquot à Galeno, *lib. de atrabile*, recenſentur, dum ait: *ſunt aliquot pituitæ ſpecies: dulcis nempe, acida, & ſalſa.* Quibus quartam, *lib. 4. de tuend. ſanitat.* addit, dicens: *color plumbeus, quique mixtus eſt ex livido & albo, crudos & pituitoſos dominari ſuccos, indicat; minùs tamen humidos, quàm ſit pituita communiter dicta; cui ſi adſit lentor, vitreus ſuccus dicitur.* Verùm ab Avicenna, *lib. 1. fen. 1. doctrina 4. cap. 1.* & reliquâ facilè Medicorum ſcholâ, acidæ, ſalſæ, & vitreæ, inſipida, ut quarta pituitæ non naturalis ſpecies, adnumeratur; rejiciendo pituitam dulcem: quòd hæc, tractatu temporis, à Vulcano corporis hnmani digeſtivo concoqui, & in laudabilem ſanguinem redigi, atque partibus alimento eſſe poſſit. Quator ejus ſpecies.

Inſipidam igitur pituitam illam non malè dixero, quæ, ſingularis ſaporis expers, cruda eſt, & ab eſculentorum & potulentorum, pituitoſo ſucco plenorum, eſu, aut à debili, vel impedito ſtomachi, reliquorúmque, concoctioni ſervientium, organorum calore generatur, & non tam ventriculi, atque inteſtinorum ſpatia occupans, quàm intra, & extra venarum ductûs reſidens, ex parte ad caput migrat. Quod convenit Inſipida Pituita.

Ipſius ſedes. doctrinæ Hippocratis, *lib. 4. de morb.* ita aſſerentis: *quidquid in cibo & potu pituitoſum ineſt, id, ubi in ventriculum venerit, partim corpus ad ſe trahit, partim verò caput; quod cavum exiſtit, & veluti cucurbita, corpori incumbens, pituitam attrahit; novâ pituitâ, recenter ex cibo generatâ, in capite permanente, veteri autem, ad nova adventum, foràs migrante.* Hæc pituita, ob ſpecialem ſuam cruditatem, frigiditatem, & copiam, apta eſt producere morbos, maximè ſi æquò longiorem, in partium jam enarratarum ſpatiis, moram traxerit. *Si enim in capite permanſerit, multum dolorem capiti exhibebit:* innuente Hippocrate, *loco jam citato. Optimè quidem fiet, ſi pituita à capite ad ventriculum perveniat, & cum fecibus exierit:* ſi verò contingat, ut ventriculi parietibus tenaciùs adhæreat, diutiúsque in eo ſubſiſtat; non poteſt non graviſſimos producere morbos. Siquidem pituitæ cruditas digeſtivam ſtomachi virtutem labefactat; quâ labefactatâ, neceſſariò major crudorum pituitoſorúmque humorum congeries oritur. Nam ſtagnans in ventriculo, inteſtinis, ac reliquarum partium cavitatibus, pituita, advenienti recenter alimento ſuum facilè characterem imprimit, atque ad ſua tranſire caſtra cogit; adeò, ut, hoc modo cumulatior facta, cibi faſtidium pariat; juxta illud Galeni, quod habet, *lib. de atra bile,* dicens: *à pituita cruda dejicitur appetentia. Quia,* ut placet Jacchino, *in comment. in lib. 9. Rhaſ. cap. 43. illa calorem, primarium concoctionis præſidem, opprimit;* &, ut docet Rondeletius, *lib. 2, meth. med. morb. cap. 13. pituita inſipida, multitudine ſuâ, oris ventriculi ſenſibilitatem tollit, &, in eo copioſiùs collecta, ſatietatem facit. Ubi verò, ex pravo corporis habitu, copioſius pituitoſum excrementum colligitur; ileos, lienterias, teneſmos, omniúmque, qui ventri contingunt, morborum graviſſimos inducere ſolet;* monente Galeno, *lib. 5. de uſu part.* Ut, conſiderato hoc acerborum malorum cumulo, quem pituita cruda congerit, rem longè fructuoſiſſimam faciamus, ſi voracis hujus pituitæ generationem maturè præ-

Inſipidæ effectus morboſi.

præpediverimus, aut jam præſentem rurſum eliminare, pro viribus, conniſi fuerimus; ne videlicet pretioſum corporis noſtri calorem inſitum depaſcatur; cujus unico beneficio vivimus. Nam hic ab initio nos formavit; hic, ſalubri vegetatione, nos ad juſtam magnitudinem perduxit; hic ad finem vitæ nos ſuſtentat, alit, & tuetur; item tandem, temporis ætatisquè decurſu, propter continuam ſuam in humidum radicale actionem, nos mutat & ſenſim conficit.

Secundum pituitæ non naturalis locum, à Galeno, *lib. de atra bile*, obtinuit acida; quæ ſic nuncupata creditur, quòd, eam exſpuentibus, aut per vomitum ejicientibus, tam acido ſapore dotata videatur, ut, immaturorum fructuum inſtar, dentes hebetet atquè obtundat. Hanc à labefactato ventrili calore generari, paſſim tradunt Authores; inter quos Hieronymus Mercurialis eſt, qui, *lib. 5. de febr. cap. 12.* ſcribit, quòd *pituita, quæ acida vocatur, fiat à ſumma frigiditate membri eam generantis, habeátque hujuſmodi pituita eam conditionem, quemadmodum ſcribit Hippocrates, lib. 4. de morb. ut, fuſa ſuper terram, fermentet eam, inſtar aceti, & humoris melancholici.* Quam actionem licet nos non viderimus, ſuccum tamen pituitoſum acidum, ex ſuccis, inſignem frigiditatem habentibus, generari, &, ob id, inſignem quoquè frigiditatem ſibi innatam habere, non poſſumus negare; partim ob rationem, quâ probatur, quòd quævis cauſa generet effectum ſibi ſimilem: partim ob Galeni authoritates, qui, inter reliqua, *lib. 1. de loc. affect.* expreſſè docet: quòd, *ſi cibi in ventriculo aceſcant, cauſam frigidam eſſe, neceſſe ſit. Acidum enim omnino crudum eſt;* aſſerente eodem, *lib. 3. de facultat. natural.* Ratio verò à Doctiſſimo Sennerto, *Inſtitut. lib. 2. part. 2. cap. 4.* hæc datur: quòd acida nimirum pituita, ob defectum caloris digerentis, naſcatur. *Nam licèt,* ut inquit, *aliquam in ventriculo alterationem patiatur; calor tamen in operatione deficit; ideoquè poſtea in venis vix ullam amplius*

Acidæ Pituitæ generatio.

alterationem ſuſcipit, maximè ſi contingat, ut ſenes, fœminæ, aliique debilioris naturæ homines, aſſumant craſſos, lentos, frigidos, humidos & indigeſtibiles cibos; iiquè citiùs, quàm priori menſâ aſſumpti, ſint concocti.

Hæc Pituita appetentiam facit, ſi credendum eſt ſententiæ Galeni, *lib. de atra bile*, docentis: quòd *ex pituita acida, dum redundat, homines famelici fiant*: ergo etiam ex hac, magis peccante, orietur appetentia canina; quoniam idem teſtatur Galenus, *in comment. aphoriſ. 21. ſect. 2.* quòd, *propter acidos quosdam ſuccos, os ventriculi imbuentes, fieri conſueverit appetentia canina*: cujus affectionis cauſa non eſt negligenda; *cùm*, ut refert Donatus ab Altomari, *part. 2. de medend. corpor. hum. mal. cap. de canina appetentia, ex hoc affectu aliquando ad continuam vomendi conſuetudinem delabantur, ſæpè etiam aliis affectionibus obnoxii fiant, cœliacis videlicet & dyſentericis, atque atquæ inter cutem; propterea, quòd, priusquam priores cibi ſint concocti, alios ingerant. Alii etiam volunt, quòd, ſi hæc affectio diu perduraverit, in ſoporem, tandémque mortem ipſam, incidant.* Hiſce de cauſis pituita præternaturalis acida diligenter obſervanda eſt, ne, copioſiùs collecta, calorem naturalem inſitum opprimat, & virtutem hanc nativam, utpote proximum animæ facultatum inſtrumentum, altiùs opprimendo, tales radices agat, ut firmiori corporis ſanitati, productiorisquè vitæ longævitati officiat.

Acidæ effectus.

Tertius, in ordine, locus pituitæ ſalſæ debetur; quæ eſt pituita, ſalſo ſapore imprægnata, ob putredinem, ſalſæquè humiditatis admixtionem: ut docet Galenus, *lib. 6. de febr. different cap. 6.* inquiens: *præter ſpecies jam dictas, eſt pituita ſalſa, aut ob putredinem, aut ſeroſæ humiditatis admixtionem.* Credibile nimirum eſt, hanc pituitam oriri ex inſipida, putreſcente, & ſeroſa humiditate, ſalſuginem quandam habente, quæ eidem commiſcetur; ob quorum ſuccorũ, inter ſe coëuntium, ſocietatem, pituitæ ſalſæ, à Galeno, diverſa tribuuntur tempera-

Quid Pituita ſalſa.

peramenta; quoniam nunc frigidam, nunc eam calidam eſſe refert. Neque in hoc contradixiſſe ſibi cenſendus eſt Galenus, cùm extra controverſiam ſit, fieri poſſe, ut idem humor, diverſo reſpectu & tempore, nunc calidus, nunc frigidus appareat. Dum igitur frigidam Galenus pituitam perhibet, de pituitâ in abſtracto conſideratâ loqui cenſendus eſt. Dum verò idem, calidam eſſe, *alibi*, docet, de pituita ſpecifica, & illa quidem, quæ ſalſo humori commixta eſt, ſano ſenſu illius doctrina eſt accipienda. Quæ ejus origo.

Quanta porrò malorum lerna, à ſalſæ hujus pituitæ malitia, in corpora humana redundet, quantúsque gravium ex ea morborum cumulus nonnunquam oriatur, vix dici poteſt. Nam copia ſalſæ pituitæ, ventriculum occupans, vehementem producit ſitim; confirmante Galeno, *lib. 1. de ſympt. cauſis*, ubi ait: *ſi, ſalſi humoris vitio, ventriculus morſicationem ſenſerit; potionem magis, quàm cibum deſiderabit*: ita, ut ab hac pituita implacabilem quorundam aſciticorum ſitim ortum trahere, mihi perſvadeam; qui, licet ventrem corruptâ humorum mephiti plenum habeant, indeſinenter tamen pocula appetunt, atque ità

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Et quis inficias ibit, ſcabiem, impetiginem, aliásq; cutis defœdationes, à corroſiva hac, & exulcerante pituita gigni? Quin imò & ipſe Divinus Hippocrates, *lib. de affection.* id inſinuat, ubi dicit: *lepra, prurigo, ſcabies, impetigines, vitiligo, & alopecia, ex pituita oriuntur*: quia, ob acrimoniam ſuam, inſignem exedendi, cutimquè defœdandi, potentiam habet. Hinc quoque, diutiùs in inteſtinis retenta, eadémque oberrans, ipſa exulcerat, dyſenteriam parit, teneſmum, id eſt, continuum alvum egerendi deſiderium, gignit. Hoc confirmatur à Jacchino, *in comment. in lib. 9. Rhaſ. cap. 58.* ubi, Galenum citando, ait: *pituita ſalſa hac mala facere poſſe cenſetur, ut à Galeno quo-* Acidæ infirmitates graves.

que, in comment. aphoriſ. 6. ſect. 2. docetur. Facit enim pituita ſalſa mora, ad mali generationem; quia lentore ſuo adhæret; juxta aphoriſ. 12. ſect. 3. unde & 3. epid. 3. 22. Teneſmi, inquit, *difficiles fiunt à ſalſa pituita: quoniam multum hæret, nequè facilè eruitur.* Quantæ perniciei catarrhi à ſalſa hac pituita producantur, frequentiori experientiâ edocti, lamentabiliter enarrabunt, quorum nares, columellæ, fauces, guttura, &c. tantoperè nonnunquam fuerunt eroſa, ut integris quandoque ſeptimanis domeſticos limites egredi non potuerint. Quid, quòd infinitus propè hominum numerus à corroſiva hujus pituitæ malitia abreptus fuit; eò, quòd continuè à capite in molliorem pulmonum ſubſtantiam decidit, &, eos corrodendo, putrefaciendo, tabem, temporiſque tractu, mortem ipſam intulit. Quare omnibus longioris vitæ amatoribus amicè ſvaſum velim, ut huic humori, corporis limites ſubintrare inchoanti, apto remediorum juvamine eâ, quâ par eſt, velocitate obvient; ne, aucta ejus copia, & pernicioſa corrodendi facultas, pretioſiſſimum vitæ balſamum devaſtet; ſanitatem evertendo, vitæq; dies ante tempus abbreviando.

Pituita vitrea cur ſic dicta; & unde orta.

Quarta, inter ſuccos pituitoſos præternaturales, eſt pituita vitrea, ſic à Praxagora, ut eſt apud Galenum, *lib. 2. de different. febr. cap. 6.* nuncupata, quod conſiſtentiâ ſuâ vitro fuſo ſit ſimilis, colorem ovorum albumini non abſimilem habens. Originem ſuam trahit à ſpeciali lentorum, viſcoſorum, frigidorum, humidorúmque ſuccorum frigiditate, quorum naturam & temperamentum, ut congener fœtus, adamuſſim obſervans, ſeu retinens, multò acidâ eſt frigidior; adeò etiam, ut aliquando frigida ex corporibus excreta fuerit.

Vitrea frigidiſſima graviſſimos colicos dolores gignit.

De frigidiſſima hac pituitæ ſpecie Galenus, *loco jam citato*, ita loquitur: *Eſt una pituitæ ſpecies, vitro fuſo perſimilis, usque adeò frigida, ut, quum detinetur alicubi, dolores acerbiſſimos excitet. Tales dolores vocati colici excitantur, ubi frigidiſſimus aliquis humor*

(qua-

(qualis ille eſt, quem Praxagoras vitreum nominat) in quopiam inteſtino craſſiori eſt impactus; quibus adeò torquentur ægri, ut videantur, circa infimum ventrem, & ureterum regionem, terebro perforari. Id quod olim mihi etiam contigit, ubi, injecto oleo rutaceo, cùm id paulò pòſt conarer excernere, excrevi humorem vitro fuſo perſimilem: aſſerente eodem, *lib. 2. de loc. affect. cap. 2.* Aliam ingentis hujus frigiditatis cauſam vix dare poterimus, quàm quòd pituita vitrea, ob inſignem ſuum, quem habet, lentorem, à calore corporis digeſtivo vinci non poſſit; unde ab illo tanquam incorrigibilis relicta, vehemens illud frigus retinet, quo vegetum vitæ ſulphur impetit, frangit, graviſſimosque in viſceribus pariendo dolores.

Cùm igitur non modò ingens malorum ſeries ex præternaturalis pituitæ ſpeciebus naſcatur; ſed & quibuſcúnque florentioris etiam ætatis hominibus, per ſiniſtram earum interventionem, vita adimi poſſit; non absque ſpeciali fructu, abſoluto pituitæ, ejusquè ſpecierum, examini methodum quandam annectimus; quam qui accuratè obſervârint, non modò earundem ortum impedire, verùm etiam progreſſum ſiſtere, aut jam plus nimio progreſſarum exceſſum tollere poterunt; vel digerendo, vel incidendo, vel purgando, vel ſudando; dummodò in horum uſu remediorum opportunum etiam tempus, citra ſuperſtitionem tamen, obſervetur. Nam mala corporis complexio inveterata & confirmata non ſuſcipit curationem; ut exinde ortum videatur illud Poëtæ:

Mala inveterata difficulter ſanantur.

Non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Ut itaque methodus noſtra cujusvis votis ſerviat, hîc notandum eſt: quòd frigidæ & humidæ conſtitutionis homines ad ſuccorum jam relatorum generationem maximè ſint proclives; quales ſunt pueri, fœminæ, declinantis ad ſenium ætatis viri, quíque, pingvioribus corporibus præditi, tumentes

Ad pituitoſos morbos qui maximè proclives.

habent

habent ventres, anguſtas venas poſſident, mollem ſunt ſortiti carnem; aut quicunque vitam erroribus plenam vivunt. Cùm autem non modò medicamentis, ſed competente etiam victûs ratione, perverſorum ſuccorum productiones impediantur, quin imò & jam geniti extirpentur; initium methodi noſtræ præſervantis, ſimul & curantis, faciemus à ſalubri diæta: cùm ſobria diæta diſpenſet quævis bona; atquè iisdem fiat præſervatio, quibus peragitur curatio.

Aër præcavens pituitæ productionem.

Quapropter, ab aëre incipientes, jubemus, aërem eligi purum, moderatè calefacientem & ſiccantem; qui, ſi talis, ex natura ſua, non fuerit, arte curetur. Pituita enim, utpote frigida & humida, calefactione & ſiccatione quidem indiget; eâ tamen moderatione agendum eſt, ne pituita à violentiore calore aut turgeſcat, aut, tenuioribus ejus partibus abſumptis, craſſiores indureſcant, aut viſcoſiſſimæ evadant; ſicque nulla amplius arte diſſolubiles fiant.

Pituitoſi quo victu cibandi.

Qui frigido & humido ſunt temperamento, victu cibandi ſunt, in quo ſuperet, quod tenuem ſuccum facit: jubente Galeno, *lib. 5. de ſanit. tuend. moderatè verò ſunt cibandi, qui pituitâ abundant:* & quidem tali alimentorum genere, quæ facilè digeruntur, & nullum, aut planè exiguum, naturæ, in concoquendo, laborem faciunt, atq; anguſtos venarum ductûs facilè ſubeunt; quæque ſtagnantibus, in primis viis, pituitoſis ſuccis ſunt contraria, eorum viſcoſitatem incidentia, attenuantia, & ad evacuationem diſponentia. Hinc cinnamomo, paucóque pipere condiri poſſunt: *piper* enim, & *Zinziber*, craſſum humorem diſſecant, & ſolvunt: ideoque iis convenit, quorum præcordia pituitoſis iſtiusmodi ſuccis turgent & inflantur; innuente Galeno, *lib. 4. de ſanit. tuend.* Talia autem alimenta ſunt *juſcula caponum, pullorum, carnis vitulina, petroſelino, hyſſopo, thymo, aſparago, pulegio, fœniculo, bugloſſa, borragine* alterata, aromatibusquè jam nominatis condita. Omnia autem difficilioris con-

concoctionis eſculenta, quæque facilè ſubjiciuntur corruptioni, aut flatuum copiam generant, vitentur; ut natura, aliunde gravata, eò commodiùs peccantium ſuccorum cruditati evincendæ ſtudere poſſit. Potus ſit vinum album, illúdque bonum, cum honeſto moderamine hauſtum: quia, immoderatiùs ſumptum, cruditates auget, & ingens pituitæ præternaturalis facit incrementum. Cibi concoctu difficiles flatûs generant.

Nec ſufficit, ut frigidæ & humidæ complexionis homines ſobriâ utantur diætâ; niſi corpora quandóque à collecta pituitoſorum humorum ſaburra liberent: quia naturaliter fieri non poteſt, ut non aliquid quotidiè pituitæ excrementitiæ, ex ciborum varietate, colligatur, in iis maximè corporibus, quæ vi naturalis ſuæ conſtitutionis ad ejus generationem inclinant: cùm implicet, dari alimenta ab omnimodo pituitæ conſortio immunia. Ut igitur ſæpius anno, aut ſaltem quovis anni quadrante, purgantibus collectam pituitam medicinis utantur, neceſſe eſt. Hujuſmodi autem ſunt phlegmagoga, id eſt, medicamenta pituitam purgandi virtute prædita; ſive ea fuerint ex emeticorum, ſive catharticorum cenſu. Nam Hippocrates, *lib. 3. de rat. vict. ſect. 4.* expreſsè mandat, *vomitionibus, poſt cibos cujusvis generis humidiores, ter in menſe uti, in hyeme:* cujus rationem aſſignat, *libr. de ſalubr. vict. rat.* aſſerens: quòd *tempus hoc æſtivo plus pituitæ gignat, & morbi circa caput, & regionem eam, quæ eſt ſupra ſeptum transverſum, excitentur.* Vomitio enim facilis & blanda, eſt evacuatio præſtantiſſima; ſiquidem hæc à ventriculi, emetico medicamento ſtimulati, impetu contingit, ac omnes ex ejuſdem fundo, tunicis, è præcordiorum membranis, jecoris, lienis, & reliquarum partium, in hac vicinia ſituatarũ, cavitatibus vitioſam pituitæ ſcoriam evocat; adeò, ut, hiſce chylificationis & ſanguificationis officinis, reſpirationisq; organis, ab immunda ſuccorum farragine liberatis, inſitus earum Archæus novo vigori reſtituatur. Diætæ conjungenda ſunt phlegmagoga, ſæpius in anno. Vomitio facilis.

Emeticâ. Emetica, nobis in hoc paſſu uſitata, pro naturarum, facilè, vel difficulter vomentium varietate variant. Aliis enim datur *aqua ſimplex tepida, cum oleo amygdalarum amararum:* aliis decoctum ex *radicibus aſari, floribus chamomill ſummitatibus centaurii minoris*, & *ſemine raphani paratum*: aliis propinamus *oxymel ſimplex, cum aqua centaurii minoris*: aliis *aquam benedictam Rulandi*: aliis damus *ſalem vitrioli vomitivum album*: aliis *pulverem Emeticum Zvvelferi*, in Appendice ad Animadverſiones, cum modo adhibendi, deſcriptum: offerimus aliis *ſyrupum emeticum Angeli Salæ, cum aqua cinnamomi abſque vino parata:* aliis *tartarum emeticum Mynſichti* adhibemus: nec homo credit, quanta cum facilitate ſaburram ventriculi everrat, ſi *tria, vel quatuor ejusdem grana, cum granis quinq; tartari vitriolati* mixta, ex vehiculo competenti propinata fuerint: aliis denique porrigimus *infuſum vitri antimonii*, cum tanto ſucceſſu, ut (Deum teſtor) chronicos etiam aliquorum morbos, reiteratâ hujus infuſi exhibitione, curaverimus. Centenis etiam illud vicibus, tam juvenibus, quàm ætate confectis, fortibus, & minùs fortibus viris, & omnis generis ſexûs fœminei perſonis, cum judicio obtulimus; nunquam tamen ſymptomata ſumus experti, quæ à malè ſanis nonnullis hominibus, quin imò naſututis aliquibus Pharmacopœis, ab eo provenire aſſeruntur. Nec obſtat, quòd aliqui objiciunt, infuſum antimonii eſſe rem nimis vehementem. Reſpondeo enim, quòd duro nodo durus cuneus ſit admovendus; quia viſcoſa non raro excrementa cum tanta pertinacia partium lateribus adhærent, ut debilioribus non cedant. Ad hæc ſufficit, quòd ſit medicamentum nauſeâ carens, & citò operetur.

Antimoniū tutum eſt.

Quicunque difficulter vomunt, aut aliis prohibentibus cauſis vomitu non ſunt tentandi, medicamentis alvum ſubducentibus, & pituitoſas ſuperfluitates educentibus, ſunt juvandi. Talia ſunt: *agaricus ſimplex*, vel *trochiſcatus*; qui, docente *Dioſco-*

Qui purgandi.

Dioſcoride, lib. 3. cap. 1. redundantem in ventriculo, meſenterio, jecore, liene, utero, pulmonúmque ſubſtantia, pituitam aquoſam, lentam & viſcoſam educit, ob peculiarem, has partes inter & agaricum intercedentem, ſympathiam. *Radix bryoniæ,* quæ validè ſeroſos & pituitoſos humores purgat ex utero, jecore, & liene, utpote quorum obſtructiones ſolvit & reſerat, aſthmati, & podagræ doloribus medetur. *Semen cnici*, ſeu *carthami*; quod crudam & indigeſtam pituitam ejicit, flatûs diſcutit; maximè ſi *Zinzibere, aniſo & maſtice* correctum fuerit. *Mechoacanna*, quæ pituitoſorum, maximè in capite, ac venoſo genere, pectoréque reſidentium humorum exturbationi, ſine omni penitus moleſtiâ, ſervit; ut proinde utiliſſimum ſit remedium, in catarrhis à capite ad pectus deſcendentibus. Non minora commoda præſtat *Turpethum*, in expurganda cujuſcunque ſpeciei pituita; ſiquidem hujuſmodi malæ notæ hoſpites etiam ex remotioribus corporis juncturis elicit. Hinc lentæ motionis affectionibus ſummoperè prodeſt: ut arthritidi, aſthmati, lui Venereæ, hydropi, elephantiaſi, & aliis hujuſmodi tenacioris naturæ morbis. *Hermodactylus* pituitam viſcoſiſſimam, hincquè maximè pertinacem, peculiari vi, è diſtantioribus artuum cavitatibus evocare creditur: ideoquè peculiarem, in arthritide, locum obtinuit; ubi tamen advertendum, quòd, ob nimiam ſuam flatulentiam, corrigentibus opus habet. *Euphorbium*, ob inſignem, quâ pollet, pituitam tenacem & perverſam evacuandi virtutem, arthriticorum Theriaca nominari meruit; quia hanc, ipſis etiam articulorum juncturis altiùs impactatam, reſolvit; ut exinde magnas, in paralyſi, arthritide, ſpaſmo, hydrope, aliiſque curatu difficilioribus ægritudinibus, utilitates conferat. Hîc tamen notandum eſt, quòd, ob exceſſivam ſuam caliditatem, malignamquè proprietatem, ut placet Dioſcoridi, *lib. 3. cap. 87.* aliiſque graviſſimis Viris Medicis, non facilè in ſubſtantia ſit

Medicamẽta phlegmagoga ſimplicia.

Ff 2 exhi-

exhibendum: tutiores enim ſunt medicinæ ex eo, lege artis, extractæ, & ab exceſſiva calefaciendi urendique potentia vindicatæ. *Sagapenum* tertio gradu calefaciens, & ſecundo ſiccans, tantam extrahendi vim obtinuiſſe refertur, ut ſpicula carni infixa extrahat; quæ nos relinquentes, hoc ſaltem dicimus, quòd egregiè purget craſſam & lentam, in ventriculo, inteſtinis, utero, renibus, cerebro, nervis, aliiſque remotioribus corporis partibus, hoſpitantem pituitam: ut propterea hydropi, tuſſi inveteratæ, aſthmati, cephalalgiæ, ſpaſmo, epilepſiæ, paralyſi, artuum tremori, aliarumque tenaciorum affectionum curatelæ proſit. Quæ, de ſimplicium medicamentorum, pituitam, ejúſque ſpecies, expurgantium ſerie retuliſſe, hîc ſufficiat.

medicamenta phlegmagoga compoſita.

Compoſitorum medicamentorum, pituitam præternaturalem expurgantium, tantus eſt numerus, ut, ſi omnium Authorum, ſelectiſſima quæque habentium, hîc referre vellemus, multo temporis decurſu opus nobis eſſet. Unde ea ſolùm attingimus, quæ magis uſitata, & pituitæ evacuandæ impediendæque idonea judicamus: inter quæ ſunt *Syrupus de carthamo*, *de ſpina infectoria*, *de epithymo*, *de fumaria compoſitus*, *de rhabarbarō lenitivus*, *lenitivus de tribus*. Inter Electuaria ſunt *diacarthami*, *diacarthami de Villa nova*, *lenitivum Florenzóla*, *hiera cum agarico*, *benedicta laxativa*, *eleſcophi*, *Indum majus*, *diaphœnicon*. De Pilularum maſſis, quondam, ex doctiſſimorum Medicorum decreto, pituitæ ſubtractioni ordinatis, hîc nihil dicimus; eò quòd earum uſus jam ferè exoleverit. Nam quæcunque à celeberrimis hujus ſæculi Practicis pilulæ præſcribuntur, illæ ex rerum extractis conficiuntur; nec malè: ſiquidem extracta ideo à doctiſſimis viris Medicis ſunt inventa, ut non ſolùm in minori pondere exhiberi poſſint, quàm res, ex quibus eliciuntur: ſed etiam ut, ob majorem ſuam à fecibus depurationem, & ſpirituoſitatem, promptiùs operentur, accuratiùs

Maſſis pilularum prævalent Extracta.

ratiùs penetrent, minorem nauſeam inferant, & commoda, partibus conferenda, citò, tutò, & jucundè præſtent. Inter Extracta, pituitam excludentia & præcaventia, maximè uſitata ſunt: *Extractum agarici*, *catholici*, id eſt, omnes humores evacuantis, *diacarthami*; *Extractum panchymagogum, phlegmagogum, pilularum de ſagapeno, de ſuccino Cratonis, tartarearum Schröderi, aloephanginarum, arthriticarum, cochiarum, de colocynthide, de euphorbio, fœtidarum, de hermodactylis, lucis, ſine quibus eſſe nolo &c.*

Pulveres, & Decocta, ad pituitæ expurgationem facientia, quivis ad beneplacitum ſibi curare poterit, partim ex ſimplicibus, partim ex ſimplicibus & compoſitis inter ſe, lege artis, commixtis: ubi tamen ſemper obſervandum eſt, quòd, ob ſimplicium flatulentias, corrigentia, ex *maſtice*, *cinnamomo*, *mace*, *ſemine aniſi*, *fœniculi*, *coriandri*, *radice zedoariæ*, *ſpica &c.* ſint addendda; ut tormina, quæ ſine corrigentium admixtione evenire poſſunt, evitentur, & impediantur.

Ubi corpora, vi temperamenti ſui, ad pituitæ collectionem inclinantia ſingulo menſe, aut quovis anni quadrante, juxta majorem vel minorem rei exigentiam, per phlegmagoga ſufficienter purgata fuerint; ſummum ſibi fructum facient, qui purgationi, convenienter peractæ, ſudoris provocationem mox ſubjunxerint: quia per ſudorem non modò ſuperſtites pituitoſorum ſuccorum reliquiæ inciduntur, attenuantur; ſed etiam, vi diaphoreticorium attenuante, per cutis poros excutiuntur & conſumuntur. Magis ergò in fieri exiſtentis pituitæ initia diſſipabuntur; præſertim quæ in corporis circumferentia, ob arctiorem pororum conſtipationem, hærent; quin imò opportuno diaphoreticorum uſu inveteratæ nonnunquam, & à frigidis humidisque cauſis oriundæ affectiones tolluntur; quales ſunt paralyſes, contumaces catarrhi, arthritides, Gallici articulorum dolores, aliæque per-

Pituitoſis ſudores pro ſunt.

pertinacioris naturæ ægritudines, in juncturis hærentes. Talia autem ſudorifera ſunt, è mitiorum foro, *radix angelicæ, carlinæ, ſcorzoneræ, bardanæ, contraiervæ, imperatoriæ, pimpinellæ, tormentillæ, vincetoxici, Zedoariæ, Chinæ, ſarſaparillæ, ſaſſafras, lignum ſanctum, ejúsque cortex. Folia carduibenedicti, ſcordii, ulmariæ: ſemina carduibenedicti, citri, napi,* &c. *Cornu Cervi, lapis Bezoar Orientalis & Occidentalis.*

Sudorifera ſimplicia.

Compoſita ſunt: *aqua carduibenedicti, ſcabioſæ, fumariæ, florum aurantiorum, Theriacalis; ſpiritus terræ ſigillatæ, cardui benedicti; mixtura ſimplex, Theriaca vetus; rob ebuli, ſambuci, Mithridatium; ſal cardui benedicti, ſcabioſæ, centaurii minoris, fraxini, abſinthii; antimonium diaphoreticum*: & alia quàmplurima, quæ, pro neceſſitate, variari poſſunt.

Diaphoretica compoſita.

Si corporis viſcera à pituitæ non-naturalis ſaburra, per phlegmagoga & diaphoretica, defæcata fuerint, ad præſervantium remediorum genera transeundem eſt; quò minùs nova deinceps hujuſmodi farinæ pituita coacervetur: quod pharmacis moderatè calorem nativum inſtaurantibus perficitur; qualia ſunt: *ſemen aniſi, cardamomi, coriandri præparati, fœniculi, radices acori ſylveſtris, calami aromatici, Zedoariæ; Cinnamomum, flores macis, elixir vitæ Matthioli, tinctura proprietatis Mynſichti, marmelada ejusdem magnanima, electuaria ex radicibus acori ſylveſtris condit. enulæ conditæ, ſcorzoneræ conditæ, pimpinellæ conditæ, corticibus citri conditis, Zinzibere condito, myrabalanis conditis, nuce moſchata in India condita, ſuccolada;* & aliis hujusmodi virtutis ſpeciebus confecta; quæ non modò temperatam ſtomachi calorem excitandi virtutem habent; ſed etiam debiles & deſtructos penitùs ventriculos reficiendi valorem poſſident; ſi præſertim in pulveres non nimis ſubtiles jam enarratæ ſpecies redactæ, & cum ſaccharo mixtæ, in fine paſtûs, ſiccè deglutiantur; ubi orificium ſtomachi claudunt, vaporum aſcenſum impediunt, vim digeſtivam promovent, & bo-

A Pituita præſervantia.

& bonam concoctionem faciunt: ubi tamen id advertendum, ne, pulvere hoc aſſumpto, ante quatuor horarum decurſum quidpiam ſuperbibatur. Et hæc de pituitæ purgatione dicta ſufficiant.

Caput VIII.

De Bile præternaturali, & ejus Purgatione.

Cùm capite præterito de Pituita, ejusquè ſpeciebus, egerimus, cum intimatione vehementium illorum incommodorum, quæ ab eâ, dum limites ſibi naturaliter competentes transgreditur, in admirandam corporis Monarchiam promanare ſolent; atquè modum & media ſuggeſſerimus, quibus eidem importuniùs exorbitanti ſit obviandum; reſtat nunc, ut de bile præternaturali, ſecundum in ordine locum obtinente, agamus: quæ, ob calidam ſuam & ſiccam temperiem, ſeu (ut præſtantiſſimis hujus ſeculi Medicis, in omnibus principia Chymica obſervantibus, placet) ſulphuream naturam, non ſolùm in peſſimas quáſque ſpecies facilè degenerat; ſed, etiam minimâ datâ occaſione, ignem ſuſcipit, qui ſulphur nativum & inſitum, omnium actionum fulcrum, depopulatur, atquè plurimas graviſſimáſque corporibus ægritudines parit. Ut exinde Democritus, *in epiſtola ſua, ad Divinum Hippocratem data*, optimè dixerit; quòd *bilis, in hepate manens, ubi in corpore humano redundârit, id ipſum corrumpat, ejusquè noxius & inutilis ſit incola.* Nam ſi diutiùs in hepate manſerit, â potente ejusdem calore magis magisquè aſſatur; adeò, ut tandem, docente ſic Galeno, *lib. 2. de facult. natural. craſſa, ignea, & vitellina reddatur*; hacque ratione violentiſſimorum ſymptomatum cauſa fiat. Quod agnoſcens Hippocrates, *in epiſtola ad Damagetum miſſa*, dicit: *Ubi bilis redundârit, utplurimùm hominum inſaniæ cauſa eſt.* Quod potiſſimum accidit, ſi bilis diutiùs reten-

Bilis præternaturalis naturæ ſulphureæ.

Hæc bilis corp⁹ quando corrumpit.

Inſaniam procreat.

retenta fuerit; quia *exuſta bilis cauſat furores*, inquiente Jacchino, *in comment. in lib. 9. Rhaſ. cap. 14.* non aliam ob cauſam, quàm quòd bilis, ab immoderato jecoris calore, tractu temporis, copioſior & ferocior facta, acerrimos ſuos vapores cerebro ſubmittit; quò & tandem ipſa aſcendit, &, violentiâ ſuâ prædominium furioſè obtinens, regularem ſpirituum animalium influxum impedit; quo impedito, vitiatísque ab adverſo fermento ſpiritibus animalibus, utpote immediato facultatis animalis inſtrumento, cerebri actiones vitiari, neceſſe eſt: unde mentis abalienationes, deliria, furores, aliáque graviſſima capitis, totiúsque corporis mala à bile oriuntur. Adeoquè rem non minùs ſummè utilem, quàm etiam neceſſariam, fecerimus, ſi, hoc loco, de bile, maximæ nonnunquam violentiæ, & malignantis naturæ ſucco, peſſimeque feriatis ex ea deſcendentibus ſpeciebus, aliquantò accuratiùs tractaverimus; proponendo modos & vias, hiſce furioſis ſuccis evacuandis aptas, adjungendoquè congruentem pharmacorum materiam; quorum auxilio præſentium bilis ſpecierum evacuatio, & abſentium præſervatio inſtitui debeat ac poſſit; ad hoc, ut valetudinem diutiſſimè ſartam tectámque ſervemus, & vitam, ſine omni morborum inſultu, in longiſſimos annos producamus.

Atquè hîc notandum eſt, quòd omnes biles præternaturalis ſpecies plerunque ex bile flava excrementitia generantur; quæ per ſe eſt humor excrementitius flavus & amarus, ex tenuiore, calidiore, magisque terreſtri alimenti portione natus: *quiquè*, ut placet Avicennæ, *lib. 1. fen. 1. doctrin. 4. cap. 1. à ſanguine colatus, neceſſitatis & utilitatis causâ, ad cyſtim fellis transmittitur, ut totum corpus à ſuis ſuperfluitatibus mundet, inteſtina à ſtercore & phlegmate abluat, ac inteſtina, aniq; muſculos, acredine ſuâ pungat, ut, quid ei neceſſarium, ſentiat, & egerenda emittat.* Hinc inteſtinorum & alvi fæcibus commiſcetur, ut eas flavo ſuo colore

Bilis præternaturalis ſpecies ex flava.

Bilis flavæ munus & utilitas.

colore tingat, & muſculum alvum claudentem ſtimulet. Eodem prorſùs modo de urina, ſecundæ coctionis excremento, diſcurrendum eſt; quia, iisdem de cauſis, urinæ ex folliculo bilis admiſcetur; qui folliculus ſi obſtruatur, & meatûs ab eodem, ad inteſtinorum cavitates, urinæquè vaſa, deſcendentes occludantur, tàm urinæ, quàm alvi fæces redduntur albæ; ut videre eſt in cutis defœdatione, quæ Icterus nuncupatur.

Ex quibus patet, quòd bilis flava ſit quidem excrementum, ex calidioribus & ſiccioribus ſanguinis particulis reſultans; utile tamen & neceſſarium; eò, quòd reſultantes ex alimentis tam primæ, quàm ſecundæ digeſtionis impuritates tingat, & naturam ad eorum excluſionem, acredine ſuâ, impellat: ut, hoc modo, valetudinis, longiorisque vitæ ſuſtentationi proſit, & non obſit, niſi contingat, ut à ſtatu ſibi naturaliter competente abeat: quod duobus plerunque modis accidere ſolet: vel alteratione, à calore vehementiùs agente inductâ: vel rei alienæ permixtione. Bilis flava rei alienæ permixtione fit præternaturalis, dum humor, aut ab extrinſeco adveniens, aut in intrinſeca corporis penetrans, eidem commiſcetur: quod absque difficultate contingere poteſt, eò quòd, ut ex anteactis conſtat, poſt ſanguinem plus pituitæ, quàm bilis generetur. Si igitur pituita præternaturalis bili flavæ ſe aſſociaverit, eamquè degenerare, & unà ſecum putreſcere fecerit, nonnè febres tertianæ notæ naſcentur?

Flava fit præternaturalis.

Tertianæ nothæ.

Ubi verò bilis flava per ſe degenerat, id propter vehementiorem caloris alterantis actionem evenit; qui tenuiorem ejus portionem conſumit, &, quemadmodum, poſt omnem tenuioris aquoſitatis conſumptionem, quilibet humor neceſſariò craſſeſcit; ità etiam bilis flava, quæ, calore in ſe potentiùs agente, majorem denſitatem & flavedinem induit; quâ indutâ, in bilem vitellinam tranſit, taliter nuncupatam,

Flavam degenerare facit calor.

quòd, à calore potentiùs aſſata, conſiſtentiam & colorem vitello ovi crudi ſimilem obtinuerit.

Quanta aſſatæ hujus bilis ſint incommoda, cuilibet facili negotio palam fiet, ſi conſideraverit illa Galeni verba, *lib. 5. de uſu partium*, ſic inquientis: *Bilis flava non modò acrem, mordentem, atque omnia abradentem facultatem obtinet; ſed etiam inteſtinorum morſum & cardialgias parit; ſi præſertim hujus ſucci vomitus inſtet.* Quæ non tantùm experientiâ & ratione edoctus, ſed etiam Hippocratis authoritate commotus, ſcripſiſſe videtur, qui, *lib. de veter. medicin.* inquit: *ſi amaritudo quædam, quam bilem flavam appellamus, ſecernatur, quales ſtatim anxietates, & æſtus, & debilitates ſuperveniunt?* Quid? Nonne idem Galenus, *lib. de atra bile*, docet: quòd, *ſi bilis flava ventriculum occupat, tum ſitim, tum cibi faſtidium pariat: osq; fiat amarulentum?* Cujus cauſam, *lib. 2. de facult. natural.* hanc aſſignat, quòd *bilis flava, ſtomachum occupans, ſit calida & ſicca.* Et cùm vapores, ex materia quadam elevati, eandem naturam poſſideant, quam humores, ex quibus elevantur; non eſt mirum, quòd vapores, ex bile vitellina effumantes, calidi & ſicci, atque ventriculum, ejúsque os ſuperius perpetuò impetentes, non modò implacabilem aliquando ſitim excitent; ſed omnem etiam ciborum appetentiam ſopiant: ex ventriculo, aliisquè meſenterii cavitatibus, cor & cerebrum petentes, anxietates, ſyncopes, capitis dolores, & vertigines producant. Nec in hac malorum multitudine finis eſt; ſiquidem, tradente Hippocrate, & Galeno, *lib. 1. epidem. phrenitides à flava ſunt bile, cerebrum ejusq; membranas occupante.* Et quantus, amabo! ex bile flava, vitellinâ appellatâ, in venis, aliisque corporis viſceribus, putreſcente febrium non oritur numerus? quarum aliæ cum intermiſſione, aliæ ſine intermiſſione affligunt: aliæ eodem ſemper tenore, absque remiſſione & intenſione, excruciant: aliæ verò ſunt quidem in perpetuo motu, attamen

Aſſatæ bilis incommoda.

Plurimæ febres à vitellina.

men remiſſiones & exacerbationes ſuas habent: de quibus Galenus, *lib. 2. de different. febr. cap. 2.* itá loquitur: *febrium continuarum, quæ ex bile flava proveniunt, duplex habetur ſpecies: una quidem earum, quæ appellantur ſynochi: quarum univerſum tempus unica acceſſio exiſtit, à principio uſque ad finem extenſa: altera verò earum, quæ quidem cum genere nomen habent, continuaq́; dicuntur, atquè in pluribus circuitibus continentur. Earum igitur, quæ appellantur ſynochi, tres differentiæ connumerantur. Nam earum quædam à principio ad finem uſque perſeverant æquales: quædam paulatim augentur: aliæ decreſcunt & minuuntur. Unde nonnulli primas quidem homotonas, acmaſticáſque; ſecundas epacmaſticas; tertias paracmaſticas, hoc eſt, uniformes, invaleſcentes & decreſcentes nominant.* Hæ febres à bile vitellina, in majoribus venis putreſcente, oriuntur, & magno plerunque cum rigore invadunt, ingentésq; nonnunquam capitis dolores, cordis anxietates, totius corporis æſtum, & omnium membrorum debilitatem ſibi habent conjunctam. Si verò contingat, ut bilis flava exteriorem corporis regionem petat, *eryſipelata, & eas affectiones, quæ herpetes nominantur, facit;* tradente Galeno, *lib. 2. de criſibus.* Synochorũ tres differentiæ.

Haſce ob cauſas, conſideratâ nempe tantorum malorum iliade, cuilibet firmioris ſanitatis & longioris vitæ avido diligenter attendendum eſt, præſertim qui florentiorem agit ætatem (Nam hæc ætas, ob calidam & ſiccam corporis temperiem, flavâ bile abundat, ex decreto Galeni, *lib. 6. de ſanitate tuenda*) ne tantæ perniciei ſuccus generetur, aut ſi, ob commiſſos, in rebus ſex non naturalibus, errores productus fuerit; mox per conveniens diætæ regimen, aut aptorum pharmacorum exhibitionem, tollatur, atque ſanitas & vita multo annorum decurſu integrè ſervetur. Vitellinæ generatio præpedienda.

Secundam bilis præternaturalis ſpeciem, cum Authoribus, aſſignamus porraceam, ideo hoc nomine compellatam, Bilis porracea cui ſic dicta.

quòd conſiſtentiam & colorem ſucco herbæ porri, recenter expreſſi, conſimilem habeat. Hæc, ſecundùm doctrinam Galeni, *lib. 2. de temperament.* in ventriculo naſcitur; inquit enim: *quibus in ventriculo bilioſum excrementum gignitur, id porri virorem præfert: debetquè omnino cibus fuiſſe, cùm juſto calidior, tum cacochymicus.* Eandem doctrinam idem confirmat, *in commentario in prognoſtica Hippocratis, text. 39.* ubi ait: *Quemadmodum bilis crocea in corpore gignitur; ita porracea quoque: conſtatquè, quòd hæc ſæpenumero in ventriculo gignatur, propter quorundam eſculentorum cruditatem, aut olerum; qualia ſunt beta, cepa, braſſica, &c. interdum etiam nequaquam ingeſtis talibus, ratione ægrotationis in venis, naſcitur; unde aut ad ſtomachum, aut inferiorem ventrem migrans, calorem præternaturalem parit.*

In ventriculo naſcitur, & venis.

Vult nimirum Galenus, quòd bilis porracea non tantùm in ſtomacho, ex calidioribus nempè & ſiccioribus eſculentorum partibus, naſcatur; verùm & in ipſis venarum cavitatibus. Quamvis nos judicemus, ſalvo tamen aliorum, hac in arte verſatorum, arbitrio, eam nunquàm generari in ſtomacho: cujus ſententiæ noſtræ ſi quis rationem exigat, eam ſtatuimus: quòd videlicet excrementa tantillo tempore, quo ſtomachus illa ſuo calore digerit, adeò perverſam induere naturam minimè poſſint. Nam, concoctione intra aliquot horarum ſpatium peractâ, ſuccus in ſtomacho qualitercunque digeſtus ad inteſtina migrat, in quibus craſſioris concocti portio à ſubtilioris humoris parte ſeparatur; ob quam ſtomachi evacuationem novi alimenti exigentia oritur. Et eſto: aliqua bilis porraceæ quantitas in ventriculo permaneret; id tamen abſque eorum incommodorum productione fieri haud poſſet, quæ à bile præternaturali produci ſolent: ut eſt ſitis, cibi faſtidium, oris amaritudo: quoniam bilis porracea longè deterioris eſt conditionis, quàm ſit vitellina: ſiquidem illa ex hac magis aſſata producitur; aſſerente Sennerto, *lib. 2. part. 2. cap.*

Porracea nō generatur in ſtomacho.

cap.5. Inſtitutionum. Si igitur à vitellina effectûs jam memorati producuntur, faciliùs adhuc à porracea, ob majorem ejus degenerationem, orientur: cùm tamen quotidianâ experientiâ, fideliſſimâ rerum magiſtrâ, doceamur, quòd multi, poſt emeticorum pharmacorum ſumptionem, tantam bilis porraceæ copiam vomitu rejiciant, ut ejecta duorum, vel trium, aut etiam plurium, ſextariorum menſuram excedat; qui tamen nec unico ex hiſce ſymptomatibus, jam enarratis, affliguntur; quin imò, optimè valentes, ad omnia, quæ offeruntur, ſeſe belliſſimè habent. Ut, haſce ob cauſas, difficile ſit, credere, tantam bilis copiam aut in ventriculo naſci, aut hærere poſſe, absquè ſenſibili ejuſdem læſione; quia malignantis eſt naturæ, & exinde peſſimorum quoque morborum fœcunda exiſtit mater. Porracea vitellinâ pejor.

Unde ſtatuimus, hanc bilem, in hepate & venis, à calore, vehementiùs in vitellinam agente, procreari; ex quibus partibus ad ventriculum aut ſponte propriâ, aut ab alimentis, vel medicamentis irritata, defluit, malignâ ſuâ qualitate aſſumpta alimenta, quæ maximè ipſi ſunt analoga, inficiendo, vitiando, corrumpendo, atquè ſuam iis naturam imprimendo; quâ impreſſa, bilis porracea copioſior & inſolentior evadit, vehementes choleras, & quaſi intolerabiles ventriculi perturbationes excitat, eumquè ingenti cruciatu lancinat, torquet, diſtendit, atque cum ſumma animi anguſtia, cordisquè deliquio ærociens, hæc furia, aliquando per ſuperiora, aliquando verò per inferiora, impetuoſius erumpit. Quærenti verò, quid de viridi materia, poſt imperfectam ciborum digeſtionem, in ventriculo ſuperſtite, ſit ſentiendum: Reſpondeo, quòd ſit inutilis quædam, & imperfecta ciborum ſuperfluitas, eo tincta colore, quo cibi aſſumpti imbuti erant; ut braſſica, beta, lactuca: quæ ſuperfluitas, cùm ſit cruda & imperfectè cocta, non malè à veteri Medicorum Scholâ pitui- Porracea in hepate & venis naſcitur. Choleræ & graves morbi à porracea bile.

ta viridis nuncupata fuit; *eò, quòd omnem humorem crudum pituitam appellaverint Veteres;* dicente Riolano, *phyſiolog. cap. 13.*

Ex iis, quæ jam retulimus, apparet, magnam eſſe, eámque vehementem bilis porraceæ malitiam; eò, quòd, ob potentiorem caloris aſſantis, & degenerare facientis actionem, longè à ſtatu bili naturali debito recedat, atque ita uberem graviorum morborum ſementem præbeat. Quòd ſi jam etiam tertiam bilis præternaturalis ſpeciem, ejusquè indolem, diligentiùs excutiamus; eandem prioribus longè deteriorem, magisque noxiam, & (quod ajunt) *mali corvi ovum peſſimum eſſe,* deprehendemus. Illa ſiquidem ex vitellina & porracea, in hepate ac venoſo genere magis adhuc, ab earum partium calore, aſſata & exuſta procedit; teſte Petro Foreſto, *lib. 3. de febribus intermittentibus, in ſcholio Obſervationis 16.* ubi hæc habet: *ex bile vitellina, per aduſtionem, fit cholera praſſina,* id eſt, *porracea: ex qua rurſus, per majorem aduſtionem, fit æruginoſa;* eam ob cauſam hoc nomine vocata, quòd *in colore cum ærugine ſimilitudinem habeat;* ut placet Galeno, *lib. de atra bile.* Et quamvis Hieronymus Mercurialis, *in prælectionibus ſuis Piſanis, hiſtor. 17.* aſſerat, quòd *bilis æruginoſa dupliciter fiat: vel ex pituitæ & atræ bilis commixtione, vel ex flavæ bilis combuſtione:* nos tamen, licèt Viri doctiſſimi authoritatem magni faciamus, bonâ illius gratiâ, malumus Galeno, *lib. 1. in prorrhetica Hippocratis cap. 10.* & *Foreſto* jam ante citato, aſſentiri: cum quibus dicimus; quòd, *ob calidiorem hepatis intemperiem, flava bilis, vel porracea, ſupra modum aſſata in æruginoſum ſuccum migret.* Nam, ut tradit idem Galenus, *lib. 5. de loc. affect. cap. 7. calida jecoris intemperantia, cùm contentos in ipſo humores, tum eos, qui per meſenterii venas deferuntur, & aſſant & adurunt.* Calor videlicet hepatis, ſupra modum auctus & inſolentior factus, depravatas bilis ſpecies, vitellinam nimirum & porraceam, eò usque exurit & pervertit, ut, mutato colore, maſſa

Bilis æruginoſa ex porracea magis aduſta.

Depravatus hepatis calor æruginoſam gignit:

maſſa quædam biliosa, denſa, & æruginì ſimilis, naſcatur; quæ adeò mordax eſt, acris & pernicioſa, ut etiam dejectiones æruginoſæ paſſim à Medicorum ſchola damnentur: inter quos primus eſt Medicorum Princeps Hippocrates, qui, *lib. prædictor. text. 10.* ait: *Vomitûs æruginoſi, cum capitis dolore, ſurditate & inſomnio, promptam ſignificant inſaniam.* Siquidem æruginoſæ bilis vomitus magnam hujus ſucci redundantiam loquitur; à quo continui, iiquè quaſi ignei, ad cerebrum, efferuntur vapores, qui illud accenſivâ ſuâ caliditate non modò, ſed etiam membranas, ejus ſubſtantiam involventes, meninges dictas, inflammant, ſpiritûs animales igneos & quaſi furentes reddunt, atque talem partium corruptelam inferunt, ut, naturâ, ob humoris virulentiam, flacceſcente, vitæ fundamenta reſolvantur, & homines in ſummis dolorum acerbitatibus moriantur. Qualiter Hippocrates, *lib. 3. epid. ſect. 2.* Ægro quarto dicit eveniſſe, Philiſti, in Thaſo, *qui*, ut inquit, *poſt capitis dolorem, altum ſoporem, obortam febrim, vomitiones, primò quidem flavas, deinde æruginoſas, plurimas alvi dejectiones, implacidas noctes, deliria, convulſiones, quintâ infirmitatis die defunctus fuit.* Ingens denique miſeriarum, in manifeſtam vitæ ruinam & everſionem conſpirantium, agmen ex bilis æruginoſæ productione oritur; adeò, ut quivis rem non minùs ſalutarem, quàm ad validioris ſanitatis conſervationem, atque diuturnioris vitæ conſecutionem magnoperè proficuam fecerit, ſi interiora corporis ſui viſcera, à virulenta hujus ſucci æruginoſi congregatione & ortu, aptæ diætæ regimine, & pharmacorum auxilio, præſervaverit. Præſertim *cùm Zoar, Medicus antiquiſſimus*, ut habet Foreſtus, *lib. 3. obſervat. de febr. intermittent. in ſchol. Obſervat. 16.* doceat: *quòd bilis æruginoſa habeat accidentia tam vehementia & fraudulenta, ut vix æger ab ejus febribus poſſit evadere; &, ſi evadat, diu infirmus ægrotet, ac horâ paroxyſmorum accidant ægrotanti ſitis vehemens, & alienatio, atquè*

ejus malitia.

ægro-

ægrotans ſeſe immiſceat moleſtis quaſtionibus, & ſomnus impediatur; adeò, ut finis hujuſmodi febrium periculo non vacet, & pauci ſint, qui evadunt. *Quamvis*, ut inquit Foreſtus, *conſideratâ bilis æruginoſæ ideâ, ſint, qui dubitant, utrum ex bile æruginoſa febris tertiana intermittens fieri poſſit; cùm, per malignitatem, in corpore permanentem, ejusmodi bilis ægrum prius interficiat, quàm febris procuretur;* tanta nimirum ejus malitia eſt.

Dubitatur, an tertiana ab æruginoſa produci poſſit.

Sapiens iſtud doctiſſimi Foreſti dogma utinam aliquando attentè legerent, memoriquè ſæpius animo revolverent illi, non ſat emunctæ naris, Critici, qui, dum optimæ quandoque ætatis viros continuis ardentium & malignarum febrium æſtibus exuri, ac intra bidui triduiquè ſpatium virulentâ humorum noxiorum malignitate vident confici; omnes impudenti linguæ laxant habenas, plenaque convitiorum plauſtra in Medicum evomunt, quibus ejus vel in medendo inſcitiam; vel ſupinam, in curando ægro, negligentiam accuſant, imò & (quod viris ſenſatis auditu peracerbum accidit) mortis prææmaturæ reum arguere, ipſiuſquè Charontis adminiſtrum impudenter audent criminari. Sed nimirum produnt, hoc pacto, calumniatores ejusmodi, vel inſignem obtuſæ mentis ſtuporem, quo occupati, advertere nequeunt, majora ſæpe ſaluberrimis etiã pharmacis eſſe mala, ſummamquè artem morbis nimium invalenſcentibus tandem ſuccumbere: vel peſſimam animi perverſi malevolentiam, & inſanam, quidvis carpendi, libidinem indicant, quâ id, quod eorum captum longiſſimè ſuperat, tamen in examen vocare, ſarcaſmis proſcindere, gravémque, faſtuoſo ſupercilio, cenſuram ferre præſumunt. Quam meritò inſulſè dicacibus Zoilis iſtis idem inclamaveris, quod olim Apelles cuidam; *ne ſutor ultra crepidam*; aut, quod Stratonicus Muſicus Minnaco Fabro: *vide, ne ſupra malleum loquaris.* Quare verſet, pace noſtrâ, ſuum faber malleum, corium cerdo, ſartor acum, miles gladium, colum mulier,

Naſuti Cavillatores reprahenduntur.

lier, ſinguli intra ſuæ artis cancellos ſeſe contineant, &, ut Græcum habet ſenarium:

Quam quiſquè novit artem, eam canat, licet.

Medicos, quibus, vitam hominum tueri, non immortales reddere, ſupremus vitæ mortiſque Arbiter conceſſit, nemo facilè ſugillet; niſi qui, Salomone, Hippocrate, & Galeno doctior, norît,

Contra vim mortis quis ſit medicamen in hortis.

Placet dictis hactenus colophonem addere ex Horatio, *Sermon. l. 1. ſatyrâ 3.* ita modulante:

Stultus & improbus hic amor eſt, dignusquè notari:
Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis:
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Ultimam bilis præter naturalis ſpeciem Authores ideo nominarunt glaſteam: quòd colore ſuo glaſtum herbam, Tinctoribus, ad cœruleum pannis colorem inducendum, uſualem imitetur. Hæc ab æruginoſa, per hepatis ardorem magis aduſta, deſcendit, cum tantæ acredinis appendice, ut vaſorum, in quibus latitat, parietes & ſubſtantiam erodat, ac exulceret; atque proinde omnium omnino humorum, ſi atram bilem exceperis, ſit deterrima. Hinc ſyncerae ejusdem dejectiones non modò ſunt malæ, verùm & plerunque lethales: quia non facilè accidunt, niſi naturâ ex integro ſuccumbente. *Synceras autem dejectiones Hippocrates nominavit*, ut tradit Galenus, *in comment. aphoriſ. 6. ſect. 7: quæ nulli ſunt aquoſæ humiditati permixtæ, ſolo humore, qui vacuatur (ſive is ſit bilioſus, ſive melancholicus; ſive porri colorem præ ſe ferat; ſive bilis aruginoſa aut glaſtea fuerit) inteſtina pervadente. Nam ejusmodi dejectiones exuſtam eſſe, & conſumptam omnem humiditatem nativam, à febrili calore, indicant:* ut proptereà hæ dejectiones non accidant, niſi imminente jam tum proximo vitæ exitu. Similibus bi-

Bilis glaſtea cur ſic dicta, & quæ ejus origo.

Ejus extrema malitia.

lioſorum excrementorum dejectionibus Silenus, cujus Hippocrates, *1. epidem. Ægro tertio*, meminit, vitâ defunctus fuit; qui, poſtquam *primo die*, ut aſſerit divinus Senex, *biliosa, ſyncera, ſpumantia, & affatim colorata multa prodière, & quinto per alvum ſeceſſère ſyncera, biliosa, levia, & pinguia*; *undecimo die obiit.* Ex quibus colligere licet, non facilè pernicioſiſſimam hanc bilis ſpeciem corpus humanum occupare, niſi præſente manifeſtiſſimo vitæ periculo: ſiquidem ferociens hæc bilis ſpecies non tantùm pretioſiſſimum calidum innatum virulentiâ ſuâ aggreditur, verùm etiam nobiliſſimam ejus, & ad vitæ ſanitatisque conſervationem ſummè neceſſariam ſubſtantiam velociſſimè atterit & depopulatur: quâ depopulatâ vita perit; quia unica vitæ baſis & fundamentum eſt humidum radicale, & in eo ſituatus calor nativus.

Bilis præternaturalis differentiarum correſpondentia.

Cùm igitur ex jam allatis fiat palam, quòd omnes bilis præternaturalis ſpecies talem inter ſe relationem habeant, ut una ex altera, adminiculante corporis humani calore, generetur; atquè earum ſingulæ hanc nactæ ſint conditionem, ut corporibus noſtris, absque infallibili ſanitatis vitæque diſpendio, ineſſe non poſſint: jure meritò in id unicè incumbimus, ut corporum noſtrorum confinia, per congruum vitæ regimen, & opportunam remediorum adhibitionem, à fatali harum bilis præternaturalis ſpecierum fermento præſervemus, & jam tum præſentis conſortio liberemus.

Methodus à bile præſervans, & eam curans.

Quod ut eò fructuoſiùs in actum redigatur, placuit, hîc loci, methodum quandam tum à bilis generatione præſervantem, tum etiam jam productæ copiam auferentem proponere; qua calidioris & ſiccioris naturæ hominibus, utpote ad bilioſorum ſuccorum productionem maximè proclivibus, æſtivo præſertim tempore, eſt utendum; quoniam, ut aſſerit Hippocrates, *lib. de natur. homin. bilis, in æſtate, in corpore elevatur, & usque in autumnum porrigitur.* Cùm itaque alimentum omnibus planè animan-

animantibus ſit vitæ cauſa, quòd humore ſuo, & calore, innata vitæ principia alterare, affecta reducere, fovere, tueri, & reficere poſſit; jure merito præſervationis methodum ab eodem auſpicamur.

Sit ergò, ut inquit Jacchinus, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 43. victûs ratio talis, ne bilioſa excrementa generentur: id eſt, frigida & humida. Nam in calida natura refrigeratio, aquæ potio, & quies conducunt; quia illis bilis attemperatur, &, quæ circa jecur eſt, expurgatur.* Calidæ nimirum & ſiccæ complexionis hominibus humectante & refrigerante ciborũ genere veſcendum eſt; etiamſi cruditatem quandam redoleant. Nam, jubente Galeno, *in fine lib. de euchymia & cacochymia, alimenta, in corporum refectione, penitùs vitanda ſunt, quæ vitioſi ſunt ſucci; præterquam æſtate, cùm languentium corporum ſiccitati & calori occurrendum eſt. His enim, hoc ipſo tempore, mala, pruna, ceraſa, moràque idonea ſunt; item cucumeres, pepones, melopeponèsque: ſed parciùs his uti convenit. Conducunt quoque ſpuma lactis, atque etiam cibaria ex lacte confecta.* Galenus quoque, *ibidem loci*, de ſe fatetur, quòd *vehementes calores & æſtum perpeſſus, ptiſanæ cremore ſæpius egregiè refrigeratus fuerit.* Siquidem cremor hordei inſignem refrigerandi, humectandi, abſtergendi, leniendi, ſitimquè compeſcendi virtutem habet: ut propterea non modò bilis præſervationi; verùm & ejuſdem evacuationi inſerviat. Deniquè, ut paucis rem dicam, omnes omnino cibi, refrigerandi & humectandi virtute præditi, bilis cumulationi non modò adverſantur, ſed &, exceſſivum viſcerum calorem attemperando, ſangvinisquè fervorem obtundendo, ejuſdem generationem impediunt. Hinc optimè prorſùs faciunt, qui, graciliorem corporis habitum nacti, in æſtate, præſervationis causâ, juſculis veſcuntur, quibus herbæ refrigerantes incoquuntur: ut *lactuca, acetoſa, portulaca, bugloſſa, atriplex hortenſis;* cujus herbæ, per totum æſtatis decurſum, tam celebris, apud

Victûs ratio bili contraria.

Ptiſanæ virtus.

Menapios meos amandiſſimos, Belgas, Gallos, Burgundos, reliquásque nationes externas, eſt uſus, ut vix ſit prandium, aut cœna, ſine atriplicis hortenſis, aut ſaltem alterius herbæ coctæ, appoſitione: quorum alimentorum beneficio accidit, ut provinciarum jam nominatarum incolæ non tantùm firmum corporum robur conſervent, ſed etiam inconcuſſam eorundem valetudinem, per plurimos annos, poſſideant. Quantam calidæ & ſiccæ temperiei naturæ utilitatem ex refrigerantium & humectanctium eſculentorum eſu recipiant; tantam eædem ex calidorum & ſiccorum eduliorum ſumptione offenſionem capiunt: quia illa corporum intemperatura, quæ calidæ & ſiccæ complexionis individuis ineſt, augetur; quæ, aucta, ad copioſæ bilis generationem plurimum facit; ut exinde omnes, caliditatem, mordacitatem, & acredinem habentes cibi iis ſint vitandi, ut *allium, cepæ, ſinapi*, quique aromatibus ſunt conditi; quia bilioſos humores gignunt.

Bilioſi calidis cibis offenduntur.

Inter potulenta, bilis congregationi reſiſtentia, ſunt cerevifia tenuis, aqua, ex ſabuloſis ſcaturiginibus pura profluens, vinum diureticum, decoctum hordei ſimplex, decoctum limonum, ſerum lactis caprinum, modico cinnamomo & ſaccharo correctum.

Potus qualis.

Somnus in plures horas producatur, quia reſolutum virtutis robur reparat, & excedentem caloris æſtum extinguit. Exercitia modum ne excedant, quia viſcerum calorem augent, & hinc bilem producunt. Alvus quotidiè egerenda egerat; ubi ſegnior fuerit, arte juvetur.

Somni tempus.

Affectûs animi cane pejus & angue fugiantur. Nam imprimis, tradente Galeno, *lib. de anim. mor. & corpor. mut. conſecut. iracundia ingenitum calorem accendit, & igneum reddit*: qui deinde etiam peſſimas quasque bilis ſpecies generat, ac morbos incurabiles excitat. Quod confirmatur ab eodem, *lib. 2. de temperament.* dicente: *ſolicitudo, ira, labor, dolor, exercitatio, vigilia*

Animi affectûs nocent.

gilia & inedia, plus ſucci flavæ bilis coacervant ; propterea, quòd plus in jecore gignunt, ob igneum ventriculi calorem. Cùm verò ſit difficile, quin imò impoſſibile, tam exquiſitam, in cibo & potu, aliiſquè rebus non-naturalibus, obſervare diætam & moderationem, ut non aliquæ ſaltem, ex aſſumptis eſculentis & potulentis, impuritates in ventriculi, aliorumquè, eidem vicinorum, viſcerum cavitatibus remaneant ; idcircò cuilibet, calidioris & ſiccioris temperamenti homini, diligenter eſt curandum, ut ſæpius, per annum, cholagogis, id eſt, pharmacis, bilis evacuationi deſtinatis, utatur ; ut ſucci, in bilem præternaturalem tranſire apti, tollantur ; aut bilis naturalis flava, copioſior facta, expurgetur, adeóque corporis robur in ſuo ſervetur vigore : quod jam emeticorum, jam verò catharticorum exhibitione perficitur. Si igitur *graciles ſint, & ad vomendum faciles, per ſuperna purgentur ;* mandante Hippocrate, *aphoriſ. 6. ſect. 4. Magna enim ex parte,* ut inquit Galenus, *in commento hujus aphoriſmi, qui graciles ſunt, bilioſi ſunt : quibus ſi ad vomendum facilitas acceſſerit, supernè ſunt purgandi : aut, ſi bilis ipſa,* ut idem Galenus, *lib. 6. de ſanitat. tuend.* tradit, *ventrem ſuperiorem petat ; per vomitum expellenda eſt :* quod, præcipiente Hippocrate, *lib. de rat. victûs,* quovis menſe bis fieri debet. Inquit enim : *vomitionibus bis in menſe ſicciores utantur.* Joannes Crato, *libro Conſiliorum, conſil. 109.* ait : *in ventriculi debilitate ſingulis menſibus ſemel vomitus repetendus eſt ; ut valetudinarius à podagra, colica, & renali dolore, ſtomachique languore præſervetur.*

Exquiſitè purus cibus non datur.

Graciles facilè vomunt

Verùm enim verò nos, ſalvâ tantorum Virorum doctrinâ, ſufficere arbitramur, quovis anni quadrante, ſemel egregiè, præſervationis cauſâ, vomere, ſtomachúmque, ac vicina eidem viſcera, à bilis, aliorúmque excrementitiorum ſuccorum redundantia liberare : *vomitus enim perquam eſt utilis, qui bilem pituitâ commixtam habet,* inquiente Hippocrate, *lib. præ-*

Si bilioſi quater in anno vomant, bonũ.

not. ſiquidem tali vomitionis genere humores lentè collecti, &, ſucceſſu temporis, in malignam ac pernicioſam qualitatem degenerantes, evacuantur; adeóque firmæ corporis diſpoſitioni officere nequeunt. Ad hæc, evacuatio per vomitum eſt plerunque laborioſa; quæ ſi frequentior fuerit, etiam nocere poterit; iis præſertim, qui ſtrictioris ſunt pectoris, ut difficulter vomunt; qui vomitu nequaquam ſunt tentandi: ut Galenus, *lib. 1. de loc. affect.* ait: *cogere eum, qui vomere nequit, abſurdum eſt.* Fieri enim poteſt, ut, violentiore pectoris dilatatione, una ex venis, pulmonum ſubſtantiæ inſertis, rumpatur, atque, hoc modo, pulmonum ulcus, & phthiſis, excitetur: quod multis eveniſſe, Authorum experientiis teſtatum habemus. Tertiò valentiora emetica oculis multum officiunt; adeò, ut nonnulli, eorum uſu, aut videndi aciem amiſerint, aut omnimodam cæcitatem incurrerint: quod, inter alios, doctiſſimus, quondam, Magni Ducis Hetruriæ perſonæ Medicus, Vidus Vidius, ſibi accidiſſe, teſtatur.

Vomitus nō omnibus conducit.

Hinc pharmaca vomitum concitantia non ſunt exhibenda, niſi calidæ & ſiccæ complexionis hominibus, facilè vomentibus, & amplum pectus, firmúmque caput habentibus; qui nec pulmonum ulceri, aut eorum vomicæ; nec phthiſi, aut lipothymiæ; nec oculorum ſuffuſioni, vel debilitati; aut denique ſtrangulatibus uterinis, ſunt obnoxii. Et quis non aſſerat, ſenibus, morborúmque vehementiâ & diuturnitate enervatis, obeſſe emetica? quia virium robore, ad vomitum requiſito, carent, ac propterea in manifeſtiſſima perditionis pericula hujuſmodi enervatorum & imbecillium hominum genus incidere poteſt. Ideoquè Hippocrates, *aphoriſ. 8. ſect. 4.* aptiſſimè nos monet, *ne phthiſi obnoxios ſupra purgemus:* quia fieri poteſt, ut, ob inſtrumentorum reſpirationi ſervientium imbecillitatem, aut pulmonum putredinem, vomitûs excitatione plus nocumenti, quàm commodi adferatur: ut exinde, in

Phthiſicis &c vomitus obeſt.

emeticorum propinatione, circumſpectum Medici judicium requiratur. Nam medicamenta vomitum excitantia, pro naturarum, & ſubjectorum, varietate etiam variari exigunt: ita, ut imbecilli virtute præditis exhibeantur leviora; fortioribus verò, & inſigni robore dotatis, valentiora propinentur. Nempe ut Dianæ ſandalia loripedi Vulcano malè conveniunt; & clava Herculis quorundam dextram armat, aliorum onerat: ſic non eadem vomitum cientia pharmaca omnibus æquè congruunt ac conducunt. Sed & remotior materiæ, per ſuperiora evacuari poſtulantis, ſitus & ſubſiſtentia accuratè conſideranda eſt: quoniam facilior eſt hoſpitantium in ventriculo ſuccorum rejectio: difficilior verò & laborioſior eorum eductio, qui in lienis, jecoriſque cavis, atquè aliis diſtantibus corporis partibus hærent. Diligenter denique attendendum eſt, ne inconſideratâ valentiorum emeticorum oblatione digeſtivum ventriculi robur frangamus, labefactemus, & diſſolvamus.

Vomitiva, pro naturæ varietate variant.

Deſideranti autem, quænam ſint emetica, bilioſos ſuccos per ſuperiora evacuantia? Reſpondeo: illa ipſa eſſe, quorum fuſiorem, capite præcedenti, mentionem fecimus. Emetica enim, quamcunquè peccantium humorum ſpeciem evacuant, vel quòd ventriculum quaſi innatando gravent, vel quòd ſuperius ventriculi orificium laxent, vel demum, quòd peculiarem quandam & occultam proprietatem habeant, ſibi à natura inditam; vi cujus materiam attrahunt, & ventriculum ad vitioſorum ſuccorum per ſuperiora rejectionem ſtimulant & inclinant. Unde accidit, innuente Hippocrate, *in fine libri de natura hominis*, ut, *ſi eidem homini pharmacum quater in anno dederis, vomat tibi hyeme pituitoſiſſima; vere autem humidiſſima; autumno denique nigerrima.* Cujus ratio ab ipſomet Medicorum Patre, *libro jam allegato*, datur, ita aſſerente: *quòd hyems pituitâ corpus repleat, tum propter pluviarum copiam, tum propter*

Emetica qualiter vomitum concitent.

Emetica indifferenter humores evacuant.

propter noctium longitudinem. Quòd bilis in corpore elevetur, & usque in autumnum porrigatur, ideo accidit, *quòd calidiſſima & ſicciſſima æſtatis ſit temperies:* ut ait Galenus, *lib. 2. de criſibus. Quòd atra bilis autumno & plurima & fortiſſima eſt*, id, tradente Hippocrate, *libro jam paulò ante citato*, exinde contingit, *quòd ſiccus ſit autumnus, & hominem jam refrigerare incipiat. Nam, pro temporis ratione, ſingula aliquando augentur, aliquando imminuuntur; ſecundùm temporum partes, & ſecundùm naturas.* Ut, hac ratione, admirari non debeamus, quòd idem emeticum, diverſis anni temporibus datum, nunc pituitam, nunc bilem, nunc verò melancholiam evacuet; cùm videamus, quòd temporum mutationes humorum, corpus humanum inhabitantium, variationes ſequantur, & emetica virtutem ſuam exſerant in quemcunque humorem obvium, ventriculum vellicando, nauſeam excitando, & ad peccantium ſuccorum evomitionem, occultâ qualitate, inclinando.

Qualiter autem homines bilioſi, & ad vomitum difficiles, ab adverſis morborum bilioſorum inſultibus ſint præſervandi, ut firmam plurium dierum valetudinem, protractámque in plurimos annos vitam conſequantur, id ab Hippocrate, & Galeno, perbellè docetur, dum ille, *aphoriſ. 7. ſect. 4.* inquit: *ægrè vomentes, & modicè carnoſos, quos euſarcos appellant Græci, internè purgato.* Galenus verò, *lib. quos & qualibus medicamentis purgare oporteat*, ait: *qui anguſtum habent pectus, eoquè etiam compreſſum, ineptiſſimi ad purgationes exiſtunt, quæ per vomitoria medicamenta fiunt.* Volunt nimirum Hippocrates & Galenus, atque, cum iis, tota facilè Medicorum ſchola, quòd difficulter vomentes, atque affectibus vomitum prohibentibus detenti, per inferiora ſint purgandi; eò, quòd afflictis afflictio non ſit addenda. Nam peccantium ſuccorum evacuatio per alvum ita inſtitui ac perfici poteſt, ut debiles ſuapte naturâ homines, aut gravata morbis viſce-

Ægrè vomentes ſunt purgandi.

viſcera, refocillari, & absque omni incommodo conſervari poſſint.

Medicamenta infernè bilem purgantia diverſæ ſunt ſortis: vel enim ſunt ſimplicia; vel compoſita: vel levia; vel fortia: aut Galenica; aut Chymica. Ea hîc ex parte attingemus, quæ, aut ſolâ alteratione, bilis productionem impediunt, aut purgando generatæ portionem imminuunt. *Et cùm calida diſpoſitio,* ut ait Galenus, *lib. 1. de loc. affect. ubicunque fuerit, ſemper ſit refrigeranda; atquè in materia bilioſa generatione & præſervatione plus faciat alterare, quàm evacuare,* ut vult Jacchinus, *in comment. in lib. 9. Rhaſ.* optimè nos facere arbitramur, ſi purganti medicamentorum ſeriei alterantium ſpecies præpoſuerimus: quia hæc per alterationem, moderatè nimirum refrigerando, bilioſorum generationem impediunt. Talia autem ſunt Radices *cichorii, aſparagi, acetoſa, bruſci, graminis, taraxaci.* Folia *cichorii utriusque, endiviæ, lactucæ, oxalidis, portulacæ, ſpinachiæ.* Semina *quatuor frigida majora, oxalidis, portulacæ.* Flores *borraginis, bugloſſæ, cichorii ſativi & ſylveſtris.* Ex compoſitis bilem mirificè alterantibus ſunt aquæ *acetoſæ, cichorii, endiviæ, lactuca, graminis:* Syrupi, *acetoſus ſimplex, de cichorio ſimplex, capillorum Veneris.* Ex foro Chymico medicamenta bilis generationi reſiſtentia, ejuſdemque alterationi ſervientia ſunt ſpiritus *ſulphuris acidus, vitrioli, ſalis, fecula acetoſellæ, ſpiritus ſalis coagulatus &c.* Ipſa enim experientia, nobiliſſima rerum Domina, unà mecum, Doctiſſimum, & in re Medica longè verſatiſſimum Virum, D. D. Joannem Liborium Hehoff, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Comitis Slawata, ejuſdemque Aulæ Medicum, jam tum ſæpiſſimè docuit, quantum fecula acetoſellæ, & ſpiritus ſalis coagulatus, valeant, quantumquè poſſint, non modò ad alterandam, ſed etiam refrenandam & edomandam bilis ferociam, ſi omni manè, cum ptiſana, ſeu cremore hordei, ritè parato exhibeantur, per ſex

Medicamenta cholagoga ſimplicia, alterantia.

Chymica.

vel octo ſeptimanarum ſpatium continuando. Ut hac ratione gracilioris temperaturæ homines rem longè ſaluberrimam faciant, ſi, æſtivo præſertim tempore, facili hoc medicamentorum apparatu bilis attemperationi obviam procedant.

Alterationi ſuccedit purgatio.

Cholagoga purgantia ſimplicia.

Ubi pharmaca alterando tantùm operantia non ſufficiunt, ibi bilem expurgantibus agendum eſt: quæ, pro individuorum, nunc faciliùs, nunc verò difficiliùs mobilium exigentia, mutari debent, ità, ut jam levioribus, jam fortioribus utamur. Leviora cholagoga ſunt *Caſſia*, quæ, præter moderatam caliditatem & frigiditatem ſuam, inſignem quoque humiditatem ſibi adjunctam habere creditur: ut propterea humidioribus ventriculis, atque corporibus flatu, maloquè hypochondriaco obnoxiis, offerri inhibeatur, niſi ſemine *aniſi*, *maſtice*, *cinnamomo*, aut aliis, ejus flatulentiam emendantibus, correcta fuerit; ubi tandem alvum facili cum negotio movet, & bilem blandiſſimè purgat. *Myrobalani citrina* flavæ bilis eductioni optimè ſerviunt. Nec minores præſtat fructus *ſemen pſyllii*; eò quod non ſolùm flavam bilem evacuet; ſed etiam excedentem ejuſdem acrimoniam, mucilagine ſuà, obtundat; ut proinde dyſenteriæ, aliisquè inteſtinorum corroſionibus, ſpecialiter medeatur; aſſerente Joanne Schrödero, *in Pharmacop. Med. Chym. claſſe 3.* Hîc tamen, ex Matthioli *commento, in lib. 4. Dioſcoridis*, obſervari velim, quod id de ſemine pſyllii integro, & non contuſo, ſit accipiendum: quia, ut apud Matthiolum extat, *contuſi medulla calida eſt, & ſicca, gradu quarto, admodùm acris, exulcerans, ſeptica & deleteria facultatis; adeoquè integrum pſyllii ſemen in aqua fontana frigida infunditur, agitatúrque rudiculà tam diu, donec aqua lentorem contrahat; percolaturquè deinde à ſeminibus, & admiſcetur oleo, aut ſyrupo, violaceo. Hoc enim modo pſyllium potum alvum mirificè emollit & dejicit.* *Tamarindi* bilioſis complexionibus, ob inſignem

gnem ſuam refrigerandi, bilémque educendi potentiam ſingulariter ſunt familiares: quoniam eandem evacuant, acrimoniam ejus auferunt,& ſopiunt: quorum decocto, per notabile temporis ſpatium continuato, viros bile repletiſſimos ita reductos fuiſſe, obſervavimus, ut nunc bene colorati, inſignitérque corpulenti vivant, quos alii ad incurabilium hoſpitale jam ablegaverant. *Manna Calabrina*, in expurganda bile, virtus haud ulli facilè ignota eſt: ſiquidem hujus exhibitione tam juvenum, quàm ſenum, tam virorum, quàm fœminarum, corpora à nimio bilis infarctu liberantur. Nec minor eſt *aloes ſuccotrinæ* in expurganda bile poteſtas, ſi *maſtice*, aut *ſchænantho* emendata fuerit. Idem, præ reliquis ferè, præſtat *Rhabarbarum*, jecoris cor & vita nuncupatum; quoniam ex jecoris cavis, totóque corporis habitu bilem elicit, hepatis robur ſingulari virtute inſtaurando; maximè ſi ejuſdem flatulentia *cinnamomo, ſpica nardi, aut ſantalo citrino*, aliisque competentibus carminativis, caſtigata fuerit.

Ampliſſimus compoſitorum, bilem elicientium medicamentorum, campus eſt: inter quæ maximè ſunt uſitata ſyrupus *roſarum ſolutivus, de cichorio cum Rhabarbaro, de Rhabarbaro ſolutivus, florum Perſicorum.* Electuarium *diacatholicon, diacarthamum lenitivum Florenzolæ, lenitivum de manna Nicolai, diaprunum ſimplex & compoſitum, de pſyllio, de ſucco roſarum, tamarindorum cum foliis ſennæ.* Extractum pilularum *aurearum, aloës ſuccotrinæ, catholicum, cochiarum, cholagogum, de Rhabarbaro, ſine quibus &c.* Chymia quoque fortiora nonnulla medicamenta, bilem everrentia, ſubminiſtrat: qualia ſunt extractum *ſcammonii*, quo non niſi cautè utendum eſt: *Mercurius dulcis, Mercurius vitæ, crocus metallorum*, & alia quamplurima pharmaca, ex antimonio parata; quæ circumſpectè ſunt exhibenda. Cholagoga compoſita.

Præter jam recenſitos bilis evacuandæ modos, plures alios gnaris, gnavisque Medicis, qui penitiora artis adyta perſpicaciore penetrarunt ingenio, ſuppetere, prorſus non eſt ambigendum. Ut enim periti ſagittarii plures ſemper in pharetra reconditas habent ſagittas, ut, ſi fortè earum una vano jactu in irritum ceciderit, alias confeſtim in hoſtes poſſint evibrare: ita melioris notæ Medici plura ſemper in promptu pharmaca habere aſſolènt, ut, ſi fortè unum aliquod, invaleſcente vi morbi, ſuperetur, mox adſint efficaciora, quibus pertinax morbus vinci poſſit & edomari. His illi, opportuno tempore, tum præſervationis, tum curationis cauſâ utuntur, ut hominum, curæ ſuæ commiſſorum, vitam, contra infeſtos morborum inſultus, ſoſpitem tueantur. Quare, quisquis Medicum & artis peritum, & ſuæ inſuper complexionis ægritudinísque probè gnarum nactus eſt, illi ego auctor ſum, ut non facilè, relicto vetere, novum adſciſcat; niſi priùs (quod, in amicorum delectu, ſvadent Ethici) modium ſalis cum illo abſumpſerit; ut interea temporis non minùs ipſe Medici artem fidemquè exploret, quàm Medicus illius complexionem, & corporis ægri affectiones, noſſe diſcat & inveſtigare. Sed iſte nimirum (quod ſanè haud leviter dolendum) eſt corrupti hujus ſæculi, præſertim in Alemannia, genius, ut, quemadmodum novos ſemper, exterarum gentium, in veſtiendo corpore, cultûs formasquè affectat: ita etiam, ut primùm fama ignotum, neſcio quem, ex Paphlagonia adventaſſe agyrtam, aut circumforaneum Jatralyptam nunciat, illicò veteris, diu multúmque probati Medici pertæſus, hunc deſerat; novum verò, velut cælo lapſum Æſculapium, obviis ulnis amplectatur. Quæ inſtabilis animi levitas tantò quidem magis eſt noxia; quantò plus, in curando, quàm in veſtiendo corpore, momenti eſt repoſitum. Jam verò, cùm etiam conſtet, quòd tantò pauciores venerandum Medici nomen cum di-

Cuivis Medico ſua arcana.

Qualis Medicus eligendus.

Agyrtæ, anus, &c. è Medicorum cœtu ejiciendi.

gnitate tueantur, quantò plures illud ſibi, turpis lucelli cauſâ, perperam arrogant (nam, ut vulgatum habet diſtichon,

Fingit ſe Medicum quivis Idiota profanus,
Judæus, Monachus, Hiſtorio, Tonſor, Anus)

quis non videt, quantis valetudinem ſuam exponant periculis illi, qui probatis longo uſu Medicis nuncium temerè remittunt, iisque ſe, corpusquè ſuum, deſultoriâ prorſus levitate, concredunt, quos non modò non ex arte, ſed ne quidem è nomine rectè adhuc cognoverunt? Sapiens viri ſapientis votum eſt: *à Medico indocto* (addo ego, *à novo & ignoto*) *à cibo bis cocto, & à mala muliere, libera nos Domine.*

Medicum igitur veterem, qui te, & clima, in quo degis, bellè perſpectum habet (quisquis ſapis) non deſerito. Ut enim vinum vetus magis ſanitati ſervit; licèt minùs fortè palatum, quàm recens, & hornum mulceat: ſic tibi omnino perſvadeas velim, tuæ valetudini tuendæ conſervandæque plus opis allaturum Machaonem, qui ut te, tuámque complexionem intimè novit; ita tibi viciſſim ipſe diu cognitus eſt: quàm eum, qui, ſolius famæ, plerunquè mendacis, rumore innotuit, & idcircò placet, quod novus ſit, tuisque forſan, præ altero, cupiditatibus magis velificetur. Non guſtum pharmacis mulcere, & orexim movere; ſed ſuccumbenti morbis naturæ opitulari, ad Medicum ſpectat. Sed nec à fortuito felicis curæ eventu, verùm ab arte & peritia, Medici nomen eſt metiendum. Rectè pronunciavit Dydimus: *hunc perfectum, reliquisq́ præferendum Medicum, non quidem qui omnia omnino curaret;* (cùm morborum aliquem in mortalibus ultimum eſſe, cui medicina nequeat opitulari, neceſſum ſit) *ſed qui nihil eorum, quæ, ad utilitatem & curam ægri, ars & experientia ſubminiſtrare poteſt, intermittit.* Hæc ad eorum cautelam, qui novorum & peregrinorum Medi-

Antiquus Medicus nõ eſt reformandus.

Aliquis morbus ultimus eſſe debet.

corum pruritu laborant, dicta ſunto. Nunc ad orbitam revertamur, & ſequens caput à tetro Melancholiæ ſucco ordiamur.

Caput IX.

De Melancholia.

De gravibus quidem & atrocibus humanæ valetudinis vitæque hoſtibus, *capite jam abſoluto*, egimus, recenſentes particulares bilis naturalis utilitates, quas humanæ valetudinis conſervationi præſtat, & enumerantes grandia ejuſdem detrimenta, quæ ab eadem limites, ſibi naturaliter competentes, tranſgrediente in corpora humana redundare ſolent. Verùm enim verò vix non majores, ſuperatúque longè difficiliores humanæ valetudinis vitæque hoſtes ex melancholia degenerante prodeunt. Tanta ſiquidem ejus, à ſtatu ſuo naturali longiùs recedentis, & in rationis domicilium altiùs irrepentis, eſt ſævities, ut hoc malo correpti homines nonnunquam, ob ſymptomatum vehementiam, & crudelitatem, à Cacodæmone obſeſſi putentur. Quin feralem ſucci melancholici, notabiliter depravati, naturam malo genio tantoperè aſſymbolam quidam ſtatuunt, ut non tantùm è trivio vulgus, ſed etiam in Lycæis, Athenæiſque probè verſati ſint, qui autument, quòd, evacuatâ peſſimâ hujus melancholiæ ſpecie, non modò recedat, verùm etiam, truculentâ ejus veritate & acrimoniâ delinitâ, Cacodæmon compeſci poſſit; ut in Saule, Rege Iſraël, accidiſſe, teſtantur Sacræ paginæ, *lib.1.Reg.cap.17.verſ.23.* qui cùm graviſſimâ, à Diabolo excitatâ melancholiâ, mentisquè angore, torqueri notabatur, illius levandi ergò *David tollebat cytharam, & percutiebat manu ſuâ, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat.* Quarè non minùs operæ pretium, quàm ſummæ etiam neceſſitatis eſſe duximus, non

Melancholia degenerata malus hoſpes.

Melancholici quaſi à Dæmone obſeſſi putantur.

Saul melancholicus.

non modò melancholiæ fructûs, quos confert, ponderare, ſed etiam præternaturalis perverſitatem & nocumenta accuratiùs in examen vocare, ut hominum, melancholicâ complexione præditorum, corpora, ab atrocium depravatæ melancholiæ morborum impetu præſerventur, iique firmâ valetudine, vitâquè in longiſſimos annos protractâ, incolumes fruantur.

Avicennæ de Melancholia opinio.

Avicenna, *lib. 1. fen. 1. doctrin. 4. cap. 1.* ſequentis, de Melancholia, eſt mentis: *cholera nigra alia eſt naturalis; alia non-naturalis ſuperfluitas. Naturalis eſt boni ſanguinis fex, cujus ſapor inter dulcedinem & ponticitatem exiſtit. Quæ, cùm in hepate generatur, in duas ſeparatur partes: quarum una in ſanguinem penetrat; & alia ad ſplenem transmittitur: pars autem, quæ cum ſanguine penetrat, vadit cum eo, neceſſitatis & utilitatis causâ. Neceſſitas autem eſt, ut ſanguini admiſceatur eo modo, quo debet in nutrimento cujusque membrorum, in quorum complexionibus magnam melancholia partem eſſe oportet; ut ſunt oſſa. Utilitas verò eſt, ut ſanguinem reſtringat, confortet, & inſpiſſet. Portionis verò ad lienem transmiſſæ utilitas eſt, ut lienem nutriat, & in os ſtomachi, quaſi mulgendo, profluens, illud ſtringat, con[for]tet, & inſpiſſet, acredine ſuâ famem ciborumquè appetitum excitando.* Ut proinde, mente Avicennæ penitiùs conſideratâ, bene concludere videar, quòd melancholia naturalis alimentaria ſit frigidior, ſiccior & nigrior maſſæ ſanguineæ pars, ex acidiore, craſſiore & terreſtriore chyli portione, à naturali hepatis calore facta, ut cognatarum ſibi partium nutritioni, humorúmque tenuium ac ſpirituum (ne nimium ſint fugaces) fixationi, nec non appetitivis ac digeſtivis ſtomachi actionibus ſerviat. Hæc deſcriptio convenit menti Avicennæ, *loco paulò ante citato*, dicentis, quod ſanguis melancholicus non tantùm ſit genuina frigidi & ſicci progenies; ſed etiam cum reliqua ſanguinis maſſa, à calore hepatis ſanguificante, pro partium, ſuæ tempe-

Melancholiæ naturalis temperies.

raturæ

Melancholia oſſa nutrit.

taturæ affinium, nutritione elaboretur. Qualia ſunt oſſa; *quorum ſubſtantia terrea eſt & dura:* decernente ſic Hippocrate, *lib. de fractur oſſium:* ut propterea analogo ſibi alimento nutriri & augeri poſtulent. *Singula enim ab alimento ſibi proportionato irrigata augmentum capiunt, & calidum & frigidum, & glutinoſum & pingue, & dulce & amarum, tum oſſa, tum quævis alia, quæ homini inſunt;* innuente eodem Hippocrate, *lib. de principiis.*

Alimentum duplex: proximum & remotum.

Nec obſtat, quod Hippocrates, *lib. 1. de alimento*, dicit, quòd *medulla oſſis ſit alimentum*, & Galenus, *lib. 2. de uſu partium*, atquè *in fine lib. 3. de facult. natural.* aſſerit, *quòd intra oſſium cavitates medulla ſit repoſita, familiare oſſibus alimentum; & qualis carnibus ſanguis, talis oſſibus medulla ſit nutrimentum.* Reſpondeo enim, alimenti materiam eſſe duplicem: aliam remotam; aliam verò proximam. Materia remota eſt ſanguinis pars frigidior, craſſior & terreſtrior, per venas in oſſa influens; in quorum cavitatibus, tanquam ventriculis, in medullam excoquitur; quæ ab oſſibus deinde rapitur, illisque, vi caloris innati, apponitur, adglutinatur, & aſſimilatur. Os enim materiam oſſeam efficit: ut reliquæ partes omnes materiam ſibi ſimilem; ex qua materia partes illæ nutrimentum ſuum, augmentúmque capiunt. Ex quibus manifeſtum evadit, medullam in oſſium cavernis, ex ſanguine melancholico elaboratam, eſſe proximam oſſei alimenti materiam: ſanguinem verò remotam.

Quomodo melancholia frigida &c. dicatur.

Hîc tamen obſervandum eſt, quòd, quando ſanguis melancholicus frigidus, ſiccus, craſſus & terreſtris, ab Autoribus, nuncupatur, non quævis, indiſcriminatim, ſanguinis frigiditas, ſiccitas, atque inutilis & denſa craſſities & terreſtreitas, ſubintelligatur; ſiquidem talem habet frigiditatem, ut nimium, ſub maſſa ſanguinea contentorum ſuccorum, fervorem amicè attemperet, conſervet & non deſtruat: talem ſic-

citatem

citatem poſſidet, ut æquo majorem aliorum, ſecum in hepate perfectorum, humiditatem in juſto conſervet ſtatu: hanc nactus eſt craſſitiem, ut tamen per anguſtiſſima quarumcunque venarum ſpatia, cum cœteris cruoris humoribus, defluat ad memborum, ſuæ complexioni ſimilium, refectionem, inſtaurationem & conſervationem; impediendo ſimul & averruncando facilem illam reliquorum ſuccorum, atque ſpirituum diſſipationem. Ideoquè melancholicæ complexionis Viri magnæ plerunquè ſunt ſpeculationis & prudentiæ, atque, ad gerenda graviſſima rerum publicarum negotia, aptiſſimi. Hanc denique humorum, in maſſa ſanguinea contentorum, commixtionem ſapientiſſimus rerum omnium Architectus, DEUS, tantâ condidit elegantiâ & providentiâ, ut unius humoris virtus ab amico alterius conſortio foveatur, mutuatáque earum fomentatione ad longævæ valetudinis, vitæque conſecutionem faciant.

Melancholici prudentes.

Quemadmodum verò in ipſa ſanguinis officina, hepate nimirum, certa, ex pituitoſo ac bilioſo ſanguine, redundant excrementa, quæ, ob inhabitudinem ſuam, in ſanguinem converti nequeunt, & tamen multum ad valetudinis tutelam conferre apta ſunt; ita etiam, teſtante Avicenna, *loco ſuperiùs allegato*, certæ chyli melancholici particulæ inveniuntur, quæ in ſanguinem transmutari non poſſunt. Unde ex hepate, per ramum ſplenicum, ad lienem, utpote melancholiæ naturalis receptaculum, hæ particulæ, cum purioris ſanguinis parte, migrant: teſte Andrea Laurentio, *lib. 6. controverſ. anatomic. cap. 21.* ubi ait: *Venæ adſunt inſignes, in lineam veluti rectam inſertæ, & in totam lienis ſubſtantiam ſparſæ: oriuntur omnes à ramo ſplenico: his ductibus craſſum & lutulentum allicit lien; non purum & impermixtum, ſed multo benigno ſucco perfuſum.* Hic ſuccus melancholicus, ex hepate in lienem ſecretus, melancholia naturalis excrementitia utilis appellari ſolet;

Lien melancholiæ receptaculum.

eò, quòd benignior ejus portio, fecis vinaceæ æmula, aut ab arteriarum copia ſubigatur, & lieni in nutrimentum cedat; aut in ventriculi fundum, per vas breve profluens, eundem contrahat, ac conſtringat, & ponticitate ſuâ, acoréque, ſtomachi actiones promoveat. Quod idem à Galeno, *lib. 5. de uſu part.* his verbis docetur: *melancholicum excrementum in ventriculum excrevit natura, ceu nullam noxam illi allaturum. Acerba ſiquidem, acidáque quum ſit atra bilis, contrahere ipſum, conſtringereque nata eſt. Quarè non modò non lædit; ſed actionem ipſius juvat. Nam ventriculum intendit, contrahitq; in ſe ipſum, ut cibos ad unguem circumplectatur, retineatquè, quousque fuerint percocti.* Nec hîc utilitatis, à ſucco melancholico collectæ, finis eſt: quoniam finitâ digerentis caloris actione, ſtomachoquè à præparati chyli liquore liberato, novum melancholia naturalis excrementitia utilis machinatur opus, dum ad novam ventriculi corrugationem, acredine ſuâ, inſurgit; quâ is denuò ad cibi appetentiam ſtimulatur. Quidquid autem ad ſtomachi fundum, neceſſitatis, & utilitatis cauſâ, à natura, rerum gerendarum optimè gnarâ, non ablegatur, *id nunc, per venarum hæmorrhoidalium propagines, in ſedem amandatur: nunc verò, per arteriarum emulgentium ductûs, in renes exoneratur & extruditur:* innuente Andrea Laurentio, *loco ante citato.*

Melancholiæ naturalis utilitas.

Ut hac ratione cuilibet doctioris notæ viro conſtet, quòd eximiæ ſanguinis melancholici ſint vires, non tantùm ad partium ſibi conſimilium nutritionem; verùm etiam ad ſapientiam & prudentiam; quia ſubtilior ejus portio in ſpiritum firmum, conſtantem, & non adeo facilè diſſipabilem exaltatur; à cujus bonitate, motu & quiete, omnes animi functiones dependent. Quod Divinus Medicorum Parens, Hippocrates, intimare voluiſſe videtur, dum *lib. de flatibus circa finem*, dixit: *inter omnia ea, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quàm ſanguinem.* Nam qualis eſt ſanguis, talis eſt ſpiri-

Melancholiæ naturalis ſingularis præſtantia.

tus: qualis eſt ſpiritus, talis eſt animus: ita, ut ex optimo ſanguine generetur optimus ſpiritus: *& cùm ſpiritûs robur & præſtantia ſit primum optimúmque animæ inſtrumentum, quo illa utitur ad actiones ſuas obeundas*, edicente ſic Galeno, *lib. 4 de loc. affect. cap. 2.* neceſſariò ſequitur, quòd melancholici, bonum corporis habitum poſſidentes, ſint præſtantis prudentiæ viri; cùm humiditas intellectui officiat, & animus prudens in ſicco conſiſtat ſpiritu; qualis melancholicæ complexionis hominibus ritè valentibus contigit.

Quemadmodum verò vinum, etiam generoſiſſimum, ſuis non caret fæcibus; & ager, optimi feraciſſimus tritici, infelix quoque lolium, & ſteriles lappas, crebrò progerminat: ita ſanguinem melancholicum, eximiâ cæteroquin virtute prædi- tum, ſua tamen excrementa ſecum vehere, adeò perſpicuum certúmque eſt, ut, pluribus id probare, prorſus videatur ſupervacaneum. Fateor proin lubens volensquè, non mediocria quidem, ab humore melancholico, in corpus humanum, redundare commoda: ventriculum ſiquidem (deſtinatam, ad cibos concoquendos, à natura, officinam) non modò acredine ſuâ cibi facit appetentem; verùm etiam opportunas, eidem concoquendo, adfert ſuppetias, quamdiu nullo vel qualitatis depravatæ vitio, vel notabili quantitatis peccat exceſſu. At verò ubi vel nimia redundantiâ, ob viarum (per quas eidem ad lienem tranſeundum, aut ab eodem ad renes, aliasquè vias evacuationis capaces, redeundum eſt) obſtructionem, augetur; vel, vitioſas noxiasquè qualitates aſſumendo, nativæ bonitatis indolem corrumpit & deperdit, tam graves, támque varios progignere morbos conſvevit, ut feraciſſimum ægritudinum maximè periculoſarum ſeminarium, reliquis excrementis longè nocentius, auſim jure compellare. Nam ſi melancholia naturalis excrementitia, præter modum aucta, in venarum ductibus redundaverit, icterus niger, cutis defæda-

Ut optimo vino inſunt fæces; ſic etiã optimo ſanguini.

Corrupta Melancholia gravium morborum mater.

tiones, aliæque graviſſimorum morborum ſpecies produci ſolent; ut pulchrè annotavit Galenus, *lib. 2. de art. curandi ad Glauconem*, dicens: *ſi ſuccus melancholicus multiplicetur in venis, & viæ, per quas expelli debet, ſint obſtructæ; nonnunquam ad varices decumbit; aliquando ad cutim univerſam expellitur: ubi elephantiaſim gignit.* Cumulatur autem in venarum capacitatibus, dictante eodem Galeno, *lib. 2. de facult. natural. vel ubi lien minùs, quàm juſtum ſit, ſuccum melancholicum ad ſeſe trahit, quando ille eſt malè affectus, neque valenter trahit; ubi atra bilis, in venis ſtagnans, per totum derivatur corpus; quod tunc magis redditur decolor. Tum Regii morbi, qui à liene ægrotante ortum habent, nigriores fiunt. Quo tempore evidenter apparent, quæ in loco affecto ſunt, venæ, craſſo & nigro ſanguine infarctæ; qui quidem quantò craſſior fuerit & nigrior, tantò deterior eſt paſſio:* dicente Galeno, *lib. 2. de art. curand. ad Glaucon. cap. 10.* Diligentem igitur operam melancholici impendant, oportet, ne melancholia naturalis excrementitia, aut obvenarum, per quas eidem tranſeundum eſt, obſtructionem; aut mali affecti lienis conſtitutionem, cumulatior facta, ſuæ valetudini, vitæque productioni officiat.

Melancholia ſanguinis fæx: & cur. Illud hîc notandum occurrit, quòd ſuccus melancholicus, ſanguinis fex & limus à nullis dictus, nimiâ quantitate peccans, impropriè aliquando atra bilis appelletur; dico impropriè: quia atra bilis, propriè dicta, non ſolùm, præter modum acida & acris, omnia corrodit; verùm &, in terram effuſa, aceti acerrimi inſtar, eandem fermentat; &, ob peculiarem ſuam, quam habet, malignitatem à muſcis & muribus non guſtatur: quod de ſucco melancholico, ſolâ quantitate excedente, affirmari non poteſt. Quin imò etiam effectu manifeſtiſſimè inter ſe diſtinguuntur ſuccus melancholicus, & atra bis propriè dicta; ſiquidem lienis ſcirrhi, à ſucco melancholico enati, & non inveterati, curantur: cancri verò, ab

atra bile propriè dicta oriundi, pro incurabilibus habentur. *Omnes ſiquidem exulcerationes ab atra bile ſunt inſanabiles*: aſſerente Galeno, *lib. de atra bil.* Si igitur contingat, melancholiam naturalem ab inſita ſibi vi & virtute, deſciſcere, &, noxiis depravatam qualitatibus, in præternaturalem abire, in proclivi eſt, ut, ſicut omnis corruptio optimi, Philoſophis teſtibus, peſſima eſt; ita etiam illa peſſima evadat, & fœcundiſſima morborum, curatu difficilium, diuturnorum parens exiſtat. Id quod à Galeno, *lib. 2. de facult. natural.* diſertè docetur, ita inquiente: *Alius eſt ſuccus frigidus ſimul & ſiccus; qui & in autumno, & in ætate illa, quæ ſuccedit vigori, creſcit; quam atram vocamus bilem, flavâ multò acriorem & maligniorem. Ubi ſcilicet* (ut idem Galenus, *lib. 3. de facult. natural.* aſſerit) *aſcititia putredo nigro illi ſucco, naturaliter ſe habenti, acceſſerit. Fæx enim quaſi uſta eſt, quæ admodum calida exiſtit, ut carnem urat, liquet, & corrumpat.* Hinc, ut ait Hippocrates, *aphoriſ. 14. ſect. 4. dyſenteria, quæ ab atra bile incipit, lethalis eſt*: *quia, ſi*, ex doctrina Galeni, *in hujus aphoriſmi commento*, extante, *cancer, in corporis ſuperficie conſiſtens, vix, aut planè non, curatur; cùm tamen apta auxilia eidem adhiberi & imponi poſſint; quod in cancro, inteſtina occupante, fieri non poteſt: minùs adhuc curabitur cancer inteſtinorum, quòd medicamentum continenter adhæreſcens haberi non poſſit, & à continuo transeuntium excrementum contactu irritetur.* Ut propterea rationi ſit conſentaneum, cancrum inteſtinorum, ab atra bile productum, prorſus eſſe inſanabilem.

Cancri ab atra bile incurabiles.

Corruptio optimi peſſima.

Dyſenteria ab atra bile incurabilis.

Verùm, quemadmodum diverſas pituitæ, bilisque præternaturalis, ſpecies aſſignavimus: ita etiam varias melancholiæ præternaturalis differentias Galenus & Avicenna docent; dum ille, *lib. 3. de loc. affect.* tres atræ bilis ſpecies recenſet, dicens: *atra bilis, ob ſubſtantiæ varietatem, non obſcuras differentias ſortitur. Nam alia eſt veluti fæx ſanguinis: quæ admodum ſpiſſa exiſtit, facibus vini haud abſimilis: alia eſſentiæ eſt multò*

Melancholiæ præternaturalis differentiæ quatuor.

multò tenuioris, atque vomentibus eam, & olfacientibus, acida videtur; quæ etiam terram rodit, attollit, & fermentat, atque bullas, quales ferventibus juſculis ſupernatare videmus, excitat. Tertium melancholiæ genus ortum à ventriculo habet; ubi à cibo concoctu difficili ſtatim ructus acidus concitatur; cum eoq; flatus, & æſtus. Avicenna verò, *loco ſuperiùs allegato*, vult, quatuor eſſe melancholiæ præternaturalis ſpecies: *alia enim*, ut inquit, *eſt cinis choleræ, quæ, ob tenuioris & clementioris ſubſtantiæ conſumptionem, magnæ eſt malitiæ, & potentis corruptionis: veruntamen eſt ſuſceptibilior curationis, quàm reliquæ ſpecies; ſi in ejus principio auxilium præſtò fuerit. Alia datur, quæ eſt cinis phlegmatis, orta à phlegmatis & ſucci melancholici commixtione, atque utriusque humidioris, ſubtilioriſq; ſubſtantiæ depaſtu. Hæc quidem tardioris eſt malitiæ & impedimenti, &, in terram effuſa, non ebullit, & minùs in membra penetrat, tardiùs perimit; attamen ad reſolvendum, & ad maturandum, & medicationem recipiendum magis eſt effrenis. Alia eſt ſanguinis, quæ à ſanguine nimium aduſto originem trahit: hæc quidem modicum ſalſa eſt, ſed tamen aliqualem dulcedinem ſecum trahens:* ideóque ab Authoribus omnium mitiſſima dici aſſolet. *Alia eſt cinis melancholiæ naturalis, à calore præternaturali ita aſſata, ut id, quod de eâ aduſtum eſt, ſit valde acre; ſicut acetum; quod, cùm ſuper terræ faciem cadit, ebullit.*

Ita reverà eſt, quatuor plerunque melancholiæ ſpecies à potiori Medicorum cœtu enumerantur: quoniam & ipſe ſanguis, ab exceſſiva caloris vehementia torrefactus, in atram bilem tranſire aptus eſt; ut traditur à Galeno, *lib. de tumoribus præter naturam*, inquiente: *ſanguis in ipſo fervore ſuperaſſatus, melancholicus fieri videtur; à quo, tanquam fervente, & præter modum inflammato, cutis exuritur, cruſtæ bullæquè ulcus præcedentes, quemadmodum in ambuſtis, naſcuntur, gangrænæ & carbunculi excitantur; quin & acutiſſimæ febres inferuntur; quæ in diſcrimen vitam trahunt. Febres enim, & carbunculi, aliiq; hujusmodi*

Sanguis in præternaturalē tranſit.

naturæ

naturæ morbi ſiunt ex ſanguine , ad atræ bilis naturam , propter aduſtionem , converſo : innuente eodem Galeno , *lib. 1. de different. febr. cap. 3.*

An verò pituita præternaturalis , à calore vehementiùs exuſta, eò malitiæ pervenire poſſit, ut pravitate ſuâ atram bilem æmuletur ; valde ambigo : ſiquidem reliqui corporis ſucci , inflammationis & aduſtionis magis capaces , à calore, potentiùs in pituitam agente , priùs exurerentur , cum omnimoda humidi radicalis devaſtatione, quàm humor, ex natura ſua humidus & frigidus , requiſitas ad atram bilem conditiones aſſequeretur. Quando igitur Avicenna, &, cum eo, reliqui magnæ doctrinæ viri , aſſerunt, pituitam à præternaturali partium calore ita aſſari & aduri , ut illa in atram bilem degeneret ; id ego de pituita , melancholico ſucco inſpiſſata , intelligendum eſſe, judico. Dum enim melancholia præternaturalis, pituitæ excrementitiæ incorporata , à calore altiùs exurente aſſatur , nigriorem induendo larvam , ſimul etiam tenuiores pituitæ portiones ab illa caloris activitate conſumuntur , & ipſa pituita ab aſſati ſucci melancholici nigredine tingitur. Verùm tantæ malignitatis, tamque indomitæ crudelitatis hæc atræ bilis ſpecies eſſe non poteſt , quantæ ſunt illæ , quæ ex vehementiſſima bilis & melancholiæ præternaturalis aduſtione oriuntur. Quoniam inſignis illa, calorem præternaturalem ſuſcipiendi, melancholiæ capacitas, à valida pituitæ humiditate & frigiditate impeditur ac refrenatur, quò minùs tam ferales , penitusquè inſanabiles corporis affectiones producat, quales ab atra bile, ex præternaturalibus choleræ ſpeciebus, ſuccoquè melancholico excrementitio, fortiùs aduſto , redundare ſolent. Hanc tamen ob cauſam inferri nolim : ergo affectiones, ab hac atræ bilis differentia illatæ , exigui ſunt momenti. Reſpondeo enim ; quòd huic atræ bilis ſpeciei , verè degeneri , maxima officiendi poteſtas inſit ; Pituita vix in præternaturalem mutatur.

adeo-

Præternaturalis cum pituita mixtæ malitia & effectus.

adeoque graviſſimas ægritudines pariat. Quando nimirum in prima corporis regione, meſenterio, eique inſertis venis, putreſcens, calorem præternaturalem concepit, à quo tenuiores pituitæ, melancholiæ ſucco commixtæ, portiones conſumuntur: hinc pituita præternaturalis, ſuo deſtituta liquido, magis magisque craſſeſcit, & incaleſcit; tales generando morbos, qui aut curatu ſunt difficiles; aut non, niſi longiſſimo temporis decurſu, ſanabiles; aut etiam, inter graviſſima ſymptomatum tormenta, penitùs jugulant. Nam hic ſuccus atra-bilioſus denſus eſt, qui, calorem ſemel concipiens, eundem non facilè demittit; ferri, denſiſſimam ſubſtantiam habentis, naturam imitatus, quod ut, bene ignitum, fortiùs urit; ita quoque hæc atræ bilis ſpecies, præter modum incaleſcens, non tantùm graviſſimos continuarum febrium æſtûs, lienis inflammationes; ſed etiam ingentes ſtomachi ardores, præcordiorum æſtûs, anxietates cordis, atque graviſſimas animi ſyncopes gignit. Quando enim in ventriculi cavitate, meſenterio, eíque inſertarum venarum ſpatiis æſtuat, continui, iique atroces exſurgunt vapores & fumi; qui, malignâ ſuâ caliditate & acrimoniâ ventriculi tunicas vellicantes, & cor, utpote nobiſſimum vitalis facultatis domicilium, impetentes, hæc mala excitant. Hoc confirmatur autoritate Aëtii, inſignis quondam, in Syria, Medici, qui, *Tom. 3. Sermon. 1. cap. 2.* dicit: *quibus ſtomachus ab atra bile, in febribus, vexatur, ſimiles acceſſiones cardiacis patiuntur. Accedunt autem ad hæc fortis ſtomachi morſus, cum ejus exolutione, & capitis vertigine, ac frigido ſudore; parvusq; & obſcurus adeſt pulſus; progreſſu verò temporis augetur morſus, atq; hinc in dolorem, qui difficulter leniri poteſt, tranſit. Cæterum manifeſtè apparens flavæ bilis vomitus has acceſſiones leviores reddit; atræ autem bilis ſolvit. Vomunt autem ferè in totum, hoc modo affecti, pituitam acidam, in ventre coacervatam, ex aſſidua cruditate, propter ventris ipſius debilitatem; qui*

qui verò, citra febrim, ab atra bile ſtomacho infeſtantur, his accedit tempore, quo ipſe humor producitur, triſtitia, & ſomnus, cum acceſſione alienarum imaginationum; dejectum habent appetitum; ructus & excreationes fœtidas & piſces olentes. Coacervatâ verò bile, cum multa deſperatione intolerabiliter igneſcunt, ut omnia eis membra ardere videantur; imprimis autem ſtomachus, velut à palis igne candefactis pungatur, afficitur. Sudores, animi deliquium inducentes, per omne corpus deſtillant, & ferè ſemper ſputi influentis rejectione vexantur; quum morſum ſentiunt multamq; habent vomendi cupiditatem. Ut, tali modo ruminatâ accuratiùs nonnihil hujus atræ bilis differentiâ, ipſiusque naturæ malitiâ, non malè faciant illi, qui, ob naturalem corporum ſuorum diſpoſitionem, huic ſunt obnoxii, ſi tempeſtivis aptorum antidotorum auxiliis, præternaturali ejus accumulationi obvient, ut, ab hac malorum iliade ſecuri, diutiſſimè vivant ac valeant.

Quàm horrenda, quamquè immanis ſit tertia atræ bilis ſpecies, ex bilis præternaturalis differentiis, extremè à calore urente depravatis, oriunda, cuilibet præſtantioris prudentiæ viro facili conjecturâ aſſequi licebit; ſi attento ſecum animo ea revolverit, quæ de præternaturalis bilis ſpecierum nocumentis & perverſitatibus retulimus. Siquidem *hac atra bilis*, ſcribente ita Galeno, *in comment. 1. in 1. prorrhetic. Hippocratis, text. 4. generatur ex bile ſupra modum exuſta, & aſſata: ſupra modum autem aſſatur, propter vehementem calorem &*, ut, *text. 10. ejusdem commentarii*, habetur, *propter febris magnitudinem; quia atra bilis in corpore benè affecto neutiquam reperitur;* dicente doctiſſimo Jacchino, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 15.* ſed in corpore graviſſimis morborum æſtibus excruciato, & variis modis ab igneo calore affecto. Si enim bilis in tantum à calore fortiùs agente incraſſetur, ut ichoroſa, ſeu aquoſa ejus ſubſtantia in auram abeat & depaſcatur, fit bilis vitellina; ex vitellina, à

Tertiæ atræ bilis ferocia & morbi.

calore potentiùs deſæviente, gignitur porracea: ab hac, denuo magis aſſata, procedit æruginoſa: ex æruginoſa tandem glaſtea naſcitur, quam tantæ malignitatis eſſe, jam antè demonſtravimus, ut ſint, qui, cum Gvainerio, *2. de different. febr. tractat. 4. cap. 2.* putent, quòd inter torrefacientes hoſce caloris præternaturalis ardores, à quibus jam enarratæ bilis ſpecies producuntur, pretioſiſſimum vitæ ſulphur, humidum nimirum radicale priùs exareſcat, conſumatur, & omnino pereat, quàm pernicioſiſſima glaſteæ bilis aſſatio & malignitas ſubſequatur. An verò atræ bilis, ex glaſtea magis magisque aſſatâ, generatio ſit poſſibilis, ut ſuum cuique ſentire liberum permitto; ita viciſſim mihi licitum eſſe reor, meum, hac ſuper quæſtione, ſenſum aperire. Ut igitur, quod ſentio, liberè edicam, cenſeo: ejusmodi atræ bilis, ex glaſtea magis magisque aſſatæ generationem vix poſſe dari. Ad hoc ſentiendum, non omnino futili ratione moveor. Nam ſi, unanimi Philoſophorum ſuffragio, & rectæ rationis magiſterio, naturaliter implicat, tranſire ab uno extremo ad alterum, quin tranſeatur per medium; manifeſtè convincitur, fieri quoque non poſſe, ut atra bilis ejuſmodi (quæ omnium extrema eſt) generetur priùs, quàm omnes ſupra nominatæ bilis præternaturalis ſpecies præceſſerint, mutuoque ſeſe ordine fuerint ſubſecutæ. Quo admiſſo, quis non videt, corpus humanum, tot præviis bilis præternaturalis ſpeciebus, velut potentiſſimis, validiſſimisque hoſtibus oppugnatum, citiùs expugnandum, quàm ut glaſtea tantopere aduri, atque ex iis, velut ex ſemine prævio, neceſſariò requiſito, poſſit generari.

Atra bilis verè dicta non datur.

Quòd ſi tamen hac, quam addixi, ratione non ſpectatâ, dari poſſe generationem ejusmodi atræ bilis, ex glaſtea, cum Galeno, *lib. de atra bile*, ſupponamus; admiſſo hoc, licet non ſatis probato ſuppoſito, lubens accedam Galeni ſententiæ, & cum eodem, ſuppoſitâ poſſibilitate, rectè de ea ſic ratiocinabor:

Si tamen detur, qui ejus effectus.

bor: *quòd omnium humorum, qui in corporibus humanis inveniri poſſunt, ſit peſſima; eò, quòd tantò reliquis humoribus, etiam degeneratiſſimis, ſit pernicioſior, quantò bilis flava eorum ſedimento erat efficacior; quódque omnes exulcerationes ab hac atra bile ſint inſanabiles;* quia exceſſivâ ſua caliditate, acrimoniâ & malignitate, pura & impermixta, tam eſt acris, & corroſiva, ut vitæ humanæ baſes & fundamenta, calorem ſcilicet nativum, cum humido radicali, non tantùm depaſcat, ſed & penitus penitusque conficiat. Hinc ejus excretiones, in morborum principiis apparentes, ſemper lethales pronunciavit Hippocrates, qui, *aphoriſ. 21. ſect. 4.* ait: *excrementa alvi nigra, ſanguini atro ſimilia, ſponte euntia, cum febri, peſſima: quæ ſi morbis quibusvis incipientibus ſuprà infravè exierint, lethale eſt;* innuente eodem, *aphoriſ. 22. ejusdem ſectionis,* quoniam, ut Galenus, *in commento jam dicti aphoriſmi,* loquitur, *hujusmodi evacuatio, in morbi principio fieri ſolita, non fit beneficio naturæ operantis; ſed eorum, quæ in corpore præter naturam ſunt, malorum exiſtunt ſymptomata.* Vult nimirum Galenus, cum divino Medicorum Anteſignano, Hippocrate, quod in ipſo morborum principio, cruditatibus pleniſſimo, nihil cum infirmorum commodo evacuari poſſit: quoniam in morborum principiis bona ſunt commixta malis, & mala bonis: quæ humorum commixtio à natura, cauſæ morbificæ ſuperiore fieri debet, ſecernendo malum à bono, & bonum à malo: quæ ſecretio à Galeno, *lib. 3. de criſibus,* concoctio dicitur. Inquit enim: *ubi natura ſuperior evaſerit, reſtiteritq; ægritudinis conatui, &, quæ infeſtaverint, oppreſſerit (hæc enim ipſa eſt coctio) fieri non poteſt, ut ſuccumbat.* Cùm verò hæc ſecretio humorum, ſibi invicem commixtorum, in morbi principio fieri non poſſit; ſed certâ dierum periodo opus habeat; ideo omnis hujus atræ bilis excretio, in morborum principio facta, lethalis eſſe cenſetur. Quin vix non auſim ego dicere, quòd omnis atræ bilis, ex depravatis choleræ

ſpeciebus natæ, vacuatio, quocunque morbi tempore eveniens, ſit lethalis: ſiquidem ſyncera, id eſt, aliis ſuccis impermixtæ hujus humoris dejectiones accidere nequeunt, niſi ob omnimodam nativæ caliditatis exuſtionem, à calore febrili factam. *Nam hac atra bilis ſpecies adeo eſt calida, ut carnem urat, liquet & corrumpat;* volente ſic Galeno, *lib. 2. de facultat. natural.* uti videre eſt in gangræna, *qua*, tradente eodem, *lib. de atra bile*, & *lib. 2. de arte curand. ad Glauconem, cap. 9. maximis ſuccedens inflammationibus, eſt ipſa ſolidarum partium mortificatio: partium autem mortificatio nihil aliud eſt, quàm nativi caloris in iis extinctio*: ut patet ex ejuſdem Galeni *libr. 2. de temperamen.* Ergo nunquam hæc atræ bilis differentia, in corporibus humanis, gignitur & invenitur, niſi cum infallibili humanæ vitæ diſpendio. Ut exinde non minùs bene, quàm aptè, ad hanc rem dixerit Galenus, *lib. de atra bile*, *quòd tam exitialis ſit hujus atra bilis generatio, ut, qui puram exactámq; bilem atram in peſtilentia iſta*, cujus, *loco jam citato*, meminit, *dejecerunt, omnes perierint.* Quod frequentiore etiam rerum eventu edoctus fuiſſe videtur Hippocrates, qui, *aphoriſ. 23. ſect. 4.* docet, quòd, *quibus, per morbos acutos extenuatis, atra bilis deſubter exierit, poſtridiè moriantur*: primò, quòd tantus ſit hujus ſucci à naturali ſtatu receſſus, ut nullis artis remediis natura, corporis humani rectrix, ad ejus correctionem & evictionem faciendam, adjuvari poſſit: ſecundò, adeò nativam corporis virtutem, ſpiritusquè, omnium actionum, laudabiliter fieri ſolitarum, gubernatores depravavit, ut rectis mentis operationibus ultrò ſervire non valeant. *Nam bilis atra, ex flava ſpeciebus exuſta & retorrida, omnium eſt deterrima; ex qua furioſa admodum & immanes fiunt delirationes*: quemadmodum docet Galenus, *in comment. aphoriſ. 53. ſect. 6.* quæ adeo curatu ſunt difficiles, imò impoſſibiles, ut Foreſtus, *in Scholio obſervationis tertia, libri decimi*, apertè aſſerat, *quòd exuſta hac atra bilis ſpecies, in cerebri venis contenta, à natura expelli*

pelli haudquaquam ampliùs poſſit. Denique hujus atræ bilis differentia tantæ eſt malitiæ & crudelitatis, ut nativum corporis calorem mox in igneum convertat; qui pretioſiſſimum ſuum, & ad longioris vitæ conſervationem unicè neceſſarium, humidum ſcilicet radicale, ſine mora, furioſiſſimè abſorbet, omnes ſimul corporis ſuccos ita evertendo, ut homines, hujuſmodi ſucco impraegnati, quaſi in rabiem acti, inter inexplicabiles febrium phreneticarum æſtûs, intolerabiles linguæ ariditates, incompeſcibilem ſitim, intenſiſſimos capitis dolores, inquietiſſimas corporum jactationes, anheloſas pulmonum reſpirationes, indeſinentes cordis anguſtias, continuas floccorum lectiones, & lectorum convolutiones, atquè aliorum innumerorum ſymptomatum vehementiam, non modò è mentis, ſed etiam vitæ, poteſtate, velociſſimo paſſu, exeant: Ita, ut dubitem, an vel unicus, è millium numero, evaſerit, qui morbo, ex hoc ſuccorum perverſiſſimo originem trahente, correptus fuit. Ut propterea diligentem ii operam impendere habeant, qui, ob nativam corporum ſuorum temperiem calidam & ſiccam, bilis generationi & accumulationi fortiùs ſunt obnoxii: ne vel ob errores, in ſex rerum non-naturalium adminiſtratione commiſſos, vel potentiorem Solis æſtum, qui ſub canis exordio vehementiùs operatur & urit, in inexplicabiles hujus atræ bilis compedes incidant, &, in optimo vitæ flore, ejus decurſum intempeſtiviùs abbreviare cogantur.

Quartam atræ bilis ſpeciem eam eſſe diximus, quæ ex ſucco melancholico naturali, à calore aſſante magis aduſto, originem ſuam trahit: quæ quantò longiùs, ob continuam urentis caloris operationem, à ſtatu naturali abit, tantò graviores morborum differentias inducere apta eſt; quæ, pro locorum, ab hujus humoris mephiti infectorum, varietate variant. Si enim melancholia naturalis in hepatis, lienisque vaſis, aut ſituatis, in eorum vicinia, meſaraicarum venarum cavi- *Quartæ atræ bilis origo.*

cavitatibus, copioſior evadat: facili negotio accidit, ut cruditate ſuâ, copiâ, & craſſitie, venarum ductûs, ab hepate ad lienem tendentes, aut, à liene, ad evacuationis vias terminantes, obſtruat: ob quam obſtructionem hepar inter, & lienem, in meſenterii venis deliteſcens, non modò cumulatur, & incraſſatur; verùm etiam, diutiùs hærens, ignem quendam, propter pleniorem viſcerum infartum, concipit: ut placet Galeno, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4.* dicenti: *quòd immoderatus calor venarum meſaraicarum, obſtructioq́ earundem, à craſſo ſanguine oriatur;* quem calorem & obſtructionem putredo ſequitur: humores enim ventilatione carentes putredinis occaſionem præbent; ut docet Galenus, *lib. 11. meth. med.* ubi ait: *putredinis occaſio eſt tranſpirationis prohibitio.* Ut propterea non malè aſſerat Capivaccius, *in epiſtola prima, ad Eraſtum data*, quòd *putredo nihil ſit aliud, quàm commixtorum corruptio; fiatquè proprii & nativi caloris corruptione & everſione:* ut addit Sennertus, *lib. 2. Inſtitut. part. 2. cap. 10.* Hanc humoris putredinem primò levis quædam, circa hepar, ventriculum, & lienem, iiſque adjacentes vias, ardor ſequitur; ſumpto præſertim cibo: tandem maligni vapores, denſæque fuligines elevantur, quæ hypochondriorum æſtum & diſtenſionem, murmura, flatuumquè copiam pariunt; ut vult Galenus, *loco paulò antè citato*, dum inquit: *aſſumpto cibo concoctu difficili, ſtatim ructus acidus concitatur, fluctuatio in præcordiis, vehementes nonnunquam ventriculi dolores, qui nonnullis ad dorſum uſque extenduntur.*

[Margin: Putredo humorū corruptio.]

[Margin: Ructus & ſtomachi dolores.]

Quando verò ſphæram hanc, ſuæquè generationis locum, egrediuntur, & in pectus reſpirationisquè organa irruunt, reſpirii difficultatem inferunt; cor, nobiliſſimam ſpiritûs vitalis officinam, impetentes, ejus palpitationes producunt. *Palpitationes enim à vapore craſſo & multo oriuntur, idq́ pro captu ſpatii cordis; qui vapor cor dilatat, attollit, ac inflat, donec,*

[Margin: Vaporum hypochondriacorum mala.]

nec, violenter exploſus, in cognatum ſibi aërem exſpiret; ut ait Galenus, *lib. 2. de ſympt. cauſis.* Quando autem, ex magis radicata hypochondriorum cloaca, hi perverſæ naturæ fumi & vapores regium illud rationis domicilium, cerebrum videlicet, invadunt, nonne graves capitis turbationes generant? Quod ideo contingit, ut Galenus, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4.* aſſerit, *quòd atra bilis, & ex ea elevata fuligines, cerebri temperamentum mutando, ei, veluti parti ſimilari, noceant, atquè ad mentem repant.* Nonne rotantes capitis vertigines excitant? Quod exinde accidit, innuente eodem Galeno, *lib. jam citato, cap. 6.* quòd *vapido validoq́ ſpiritu, per magnas illas arterias, qua plexum retiformem conſtituunt, cerebrum ipſum repleatur.* Quod faciendo, taliter quandoque mentem turbant, ut homines, hujus humoris, in hypochondriorum venis, & viſceribus, cumulationem ac putredinem patientes, de mirabilibus rerum nugis diſcurrant, noctuquè ſomnient; quod idem docetur ab eodem Galeno, aſſerente: *complures homines non ſolùm inſomnia & ſomni tumultuoſi moleſtant: ſed amentia quoque, propter melancholicum humorem, collectum in ore ventriculi. Quin imò, in ore ventriculi redundans, non ſolùm ſyncopes, ſed etiam convulſiones, ſopores, morbumq́ comitialem inferre ſolet, quia ventriculo cerebrum, cerebroquè ventriculus, ſuas affectiones transmittit, idq́ propter nervorum, à cerebro ad os ventriculi deſcendentium, magnitudinem; per quos etiam ſenſus ſtomacho, quàm ulli reliquarum partium, acutior eſt.* Si igitur contingat, ut vapores, ex hypochondriis, ad ſtomachi orificium, aut cerebri membranas, nervorumquè principium, elevati ſint acres; acredine ſuâ & malignitate non rarò in tantum rodunt & affligunt nervos, eorumque principium, ut epilepticas convulſiones concitent. Ut propterea Galenus, cum divino Hippocrate, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4.* bene ſtatuerit, *quod melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiantur: &, è contra, morbo comitiali laborantes, melancholici evadant.*

Vertigo.

Mentis perturbatio.

Epilepſia.

evadant. Atque horum utrumlibet magis accidit, prout vel in hanc, vel in illam, partem infirmitas repit. Si enim in corpus, epileptici: ſi verò in mentem, melancholici evadunt. Cujus quidem aſſerti Galenici ſi ratio petatur, hæc, meo judicio, non inepta videtur: quòd videlicet ex ſucco melancholico vapores emergant, qui ſpecialem frigiditatem & obſcuritatem ſibi annexam habent: ob quas qualitates non tantùm ſpiritibus animalibus, luciditatem & moderatam caliditatem amantibus, ſunt contrarii; ſed ipſi etiam nervoſo generi adeò inimici, ut hîc convulſiones excitent; ibi verò, obſcuritate ſuâ, mentem perturbent: ſi verò accidat, ut ſuccus melancholicus aſſatus in venoſo genere redundet, copioſiores quoque ad caput efferantur fuligines & vapores; qui vapores tetri, cerebri ventriculos replentes & occupantes, ſpiritum animalem tam miſerabiliter, tenebroſitate ſuâ, exagitant, nobilesque animæ potentias obnubilant, ut diverſimoda ſpectrorum & phantasmatum genera, à ſpiſſa, continuò ad cerebrum commeantium vaporum denſitate & obſcuritate, repræſententur. *Spiritus enim animalis ex vitali, tanquam propria materia, generatus*, ut inquit Galenus, *lib. 9. de uſu partium, plurimus in cerebro contineri*, atquè ab omni recrementorum fece adeò debet eſſe immunis, ſibiquè undiquè ſimilis, ut rei alienæ, id eſt, vaporis & fuliginis craſſæ commercio careat. *Quemadmodum enim*, ut inquit Joannes Montanus, *in Explanationibus ſuis in art. parv. Galeni, cap. 12. artifex bonus, licet habeat artem ſuam, non poteſt eam exercere, ſine recta proprii inſtrumenti aptitudine: ſic etiam dicurſus, memoria, & imaginatio, ut virtutes cerebri internæ, absq; debita inſtrumenti diſpoſitione operari non poſſunt.* Atqui, ex decreto Galeni, *lib. de cauſ. reſpirat.* & *lib. 4. de loc. affect. cap. 2.* ſpiritus animalis primum animæ inſtrumentum exiſtit: ergo, illo benè ritequè habente, ritè operatur: malè verò affecto, malorum affectuum myriades producuntur.

Melancholicorũ phantasmata.

Quid

Quid ergò mirum eſt, quòd ex depravato, in hypochondriis, ſucco melancholico, per venas, arterias, & nervos aſcendentes ad cerebrum, vapores nigri tam mirabiles mentis everſiones inferant; cùm ſpirituum claritas à vaporum tenebroſitate obſcuretur, debita eorundem raritas incraſſetur, blanda ſpirituum homogeneitas, vaporum heterogeneorum interventione, depravetur? Quid mirum eſt, nobiliores animæ potentias, imaginationem nimirum, in tantum turbari, ut objecta aliter, quàm ſint, in cerebri fabrica repræſententur: cùm vapores, craſſæque fuligines, ad cerebrum delatæ, taliter ſpiritibus animalibus permiſceantur, ut omnia apprehenſionis organa & inſtrumenta turbentur? *Quemadmodum*, ut inquit Ariſtoteles, *primo de inſomn. cap. 3. in aqua commota aut nulla effigies redditur, quæ appareat; aut redditur quidem, ſed obſcura & tortuoſa: quieſcente autem & ſtagnante aquâ, nativa rei imago apparet: ita etiam dormientibus, & delirantibus contingit.* Quemadmodum enim vapores in cerebro errabundâ motione circumaguntur; imagines aut planè obrutæ non apparent, aut non niſi turbulenta quædam & prodigioſa videntur ſpectra: ob mirabilem horum vaporum operationem mirabiliter quoque animus humanus inficitur; ſiquidem pars hominum à nemine laceſſita vehementiſſimè efferatur, in iram præceps, vociferatur, in obvios irruit, quinimò ſibi ipſis violentas manûs inferunt: qualiter Empedoclem Agrigentinum, furore percitum, in flammas Ætnæ montis ſeſe præcipitaſſe, aſſerunt Hiſtorici: Cleomenem, ad inſaniam melancholicam redactum, propriâ ſibi clavâ vitam ademiſſe, referunt Authores. Adeo nimirum atra hæc bilis, & ex ea oriundi vapores, in excellentiſſimas humani corporis potentias ferocit, ut alios in triſtitiam & deſperationem; alios in mœrorem redigat; cujus rationem reddens Galenus, *lib. 3. de ſympt. cauſ.* inquit: *quòd atra bilis, rationalem animæ artem occupans,*

Melancholicorum deliria unde.

Delirantiũ ſpecies.

cupans,

cupans, timorem, mæſtitiam, mortiquè exſpectationem inducat, nihil admirandum eſt; cùm videamus, in rebus externis nihil nos magis, quàm tenebras ipſas, perterrefacere. Si igitur quippiam tenebris ſimile rationali animæ parti circumfunditur, hominem ſemper timere, eſt neceſſe; ut qui timoris cauſam ſemper ſecum fert. Hanc ſolido nixam fundamento Galeni rationem conatur quidem Averroës, ſubtilior Philoſophus, quàm Medicus, multis coacervatis rationibus infringere: verùm an eæ adeò ſint efficaces, ut eapropter à Galeni ſententia ſit diſcendendum, diſpiciamus.

Deliriorum cauſa à Galeno datur.

Primus, quem expugnando Galeno admovet, aries eſt: color eſt objectum viſûs; ergo non poteſt agere in potentiam rationalem: quia, ſi hujus potentiæ operationes læderet, morbus eſſet: cùm autem color minimè ſit morbus, ſequitur, nigredinem humoris melancholici haudquaquam poſſe imaginationem pervertere, nec aliquem cauſare timorem. Reſpondeo primò: colorem quidem immediatè non poſſe agere in potentiam rationalem; poſſe tamen mediatè, mediantibus videlicet ſpeciebus, quas turbandæ phantaſiæ multum deſervire, quis negaverit? Reſpondeo ſecundò: mentem Galeni ab Averroë non videri bene intellectam; cùm id oppugnet, quod Galenus non aſſeruit. Nam Averroës oſtendit, colorem & nigredinem, *in abſtracto ſumptam*, & ſolam, non poſſe imaginationem pervertere; quod Galenus nuſpiam aſſeruit: licet docuerit, atram bilem, ſi rationalis animæ partem occupet, eamquè atrâ quadam fuligine circumfundat, poſſe imaginationem turbare, & metum creare. Quæ duo quàm diverſa ſint, patet ex terminis; cum Averroës de nigredine *in abſtracto*, Galenus verò *de nigredine in concreto*, ſive de ſucco atrabilario, nigrâ fuligine circumfuſo, loquatur. Non multò plus roboris habere videtur altera ratio, quam his propemodum verbis adducit: nigredo & obſcuritas eſt pura pri-

Galenus ab Averroë impugnatur.

Averroï reſpondetur primò,

privatio; quemadmodum etiam tenebræ nihil aliud ſunt, niſi privatio lucis: ſed privatio nihil operatur; itaque obſcuritas & nigredo humoris melancholici nihil operari poteſt. Et hoc argumentum malo laborat ſuppoſito: ſupponit enim idem, quod priùs, videlicet, Galenum tribuere totam operandi vim *nigredini & obſcuritati*: cùm tamen Galenus non ſoli nigredini, ſed humori atrabilario, fuligine, aut atro vapore circumfuſo vim illam tribuat. Quo ſolo ſuppoſito negato, tota moles ruit argumenti. Verùm, admiſſo adhuc hoc ſuppoſito, nondum tamen cauſam evincit contra Galenum Averroes. Reſponderi ſiquidem allato argumento poteſt, negando, *quòd privatio nihil operetur.* Nam ſi tenebræ, quæ ſunt lucis privatio, hominibus terrorem & horrorem quendam incutere, & ad ciendam triſtitiam aliquid conferre valent (ut quotidianâ docemur experientiâ) cur non atra humoris melancholici fuligo, cerebro circumfuſa (etiamſi, privationem eſſe, gratis concedamus) idem poterit operari, timoremque iis incutere, qui hujusmodi ſucco fuliginoſo caput habent repletum? Hoc reſponſo reliquæ etiam Averrois rationes, quæ cum hac ferè coincidunt, nec multum probabilitatis habent, diluuntur.

Averrois objectio ſecunda.

Reſponſio ſecunda.

Poſtrema ratio, quæ contra Galenum affertur, hæc eſt: ſi humor melancholicus, propter atram fuliginem & nigredinem, cauſat timorem; ſequeretur ſemper, & in omnibus, in quorum cerebro ejusmodi ater humor reperitur, timorem cauſari: ſed ſequelam eſſe falſam, patet ex maniacis: qui cùm cerebrum atro ejusmodi humore circumfuſum habeant, hoc tamen non obſtante, tantũ abeſt, ut timeant, ut etiam audaciſſimi efficiantur, &, nimiâ audaciâ concitati, quaſi efferentur: ergo veriſimile eſt, timorem ab atra ſucci melancholici fuligine neutiquam progigni poſſe. Fateor, hic validiſſimus eſt, qui Galeni ſententiæ opponi poſſit, Achilles. Verùm & hunc ener-

Objectio tertia.

Reſponſio. enervari poſſe, reſponſo duplici oſtendo. Reſpondeo itaquè primò, admittendo majoris ſequelam, ſi de atræ bilis & humoris fuliginoſi exceſſu, non verò de quavis, etiam exigua illius quantitate, intelligatur. Quâ ſequelâ, majoris ſano ſenſu intellectâ, reſpondeo ſecundò, & dico: Maniacos, etiamſi atrâ bile, & fuliginoſis ex ea aſcendentibus vaporibus abundent, per ſe timidos effici: licet ex accidenti aliquo ſubinde etiam efferentur, & audaces evadant. Quod verum eſſe, hinc apertè convincitur, cùm ſolis virgarum minis, aut ſolâ earum oſtenſione, metu Panico percellantur, omnemquè mox audaciam ponant, ut primùm puerilibus ejusmodi terriculamentis fuerint conſternati. Manet ergo inconcuſſa adhuc Galeni ſententia, neque allatis Averrois rationibus vel latum ungvem cedit.

Sententiæ Averroïs examen. Stabilitâ, hunc in modum, Galeni ſententiâ, nunc ipſius Averroïs opinionem in examen vocemus, &, num veriſimilior, quàm Galeni, appareat, disquiramus. Timoris, quo melancholici concutiuntur, cauſam refundit Averroes in ipſam ſucci melancholici proprietatem. Verè quidem! ſed non ad propoſitum. Quid enim, amabo, hoc dicere, eſt aliud, quàm principium petere? De hac enim humoris melancholici proprietate, timoris cauſativa, quærimus, in quo conſiſtat: quam certam conſtituere, cum longè difficilius ſit, quàm ab aliis conſtitutam impugnare: hinc Averroes Galeni quidem ſententiam laceſſere, nullam tamen genuinam in particulari aſſignare auſus, ad commune quorundam Philoſophorum aſylum confugit, qui, dum genuinas certorum effectuum cauſas aſſignare ægrè poſſunt, in proprietates rerum refundunt. Quo facto, Averroës difficultatem à Galeno motam ſcitè quidem declinavit, minimè tamen enodavit.

Ideo ergo atris melancholiæ ſuccis abundantes timent & triſtantur, lugent, & ſine manifeſta cauſa lacrymantur, quòd vapo-

vapores melancholici, nigredinem habentes, cerebriquè ſubſtantiæ circumfuſi, hanc animæ rationali perturbationem inferant. *Quemadmodum enim externæ tenebræ pavorem inducunt; ſic atræ bilis color, mentis ſedem tenebris ſimilem reddens, timorem efficit;* dicente Galeno, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4.* Ut hac ratione melancholici perpetui timoris & mœſtitiæ cauſam in intrinſeca corporis perâ ſecum portent. Hæc accidentia, velut è veſtigio, alia ſymptomatum congeries ſequitur: ut fallax ſuſpicio, qua melancholici, timore & mœſtitiâ pleni, communiter vexantur; putantes, omnium hominum actiones in ſuam verſuras perniciem: proinde omnia hominum colloquia, utpote ſibi obfutura, ſuſpecta habent; ob quam eorum ſuſpicionem talis, tum corporis, tam animi, inquietudo & anxietas in iis oritur, ut ſæpiùs, altiusquè reſpirent, ſomnusque ab oculis arceatur. Diverſitas enim objectorum hanc hominum inquietudinem parit: anima, objectorum & phantasmatum diverſitate, in tantum aliquando anguſtatur, ut reſpirationis obliviſcatur: unde natura, neglectæ reſpirationis damnum reſarcire volens, tantum aëris unâ vice attrahere conatur, quantum duabus vel tribus vicibus neglectis attraxiſſet: proinde altiùs reſpirant, ut fuliginum, ex immunda hypochondriorum cloaca ad cor exſurgentium, diverſitatem copioſioris aëris attractione diſſipare valeant.

Melancholici timent, & cur.

Melancholici ſuſpicioſi.

Inquieti ſunt.

Vigiliarum quoque contumacia ex benignorum vaporum, ſomnum inducentium, defectu generatur: quia notum eſt, quòd ſomnus à placidis, ſpiritusquè animales ſvaviter ſopientibus inducatur; qui cùm melancholicis deſint; quin imò talibus abundent, qui continuam ſpirituum animalium turbationem & commotionem excitant: mirum non eſt, quòd multorum melancholicorum vires, ob ſomni defectum, maliquè hujus pertinaciam, graviùs proſternuntur.

Melancholicorum Vigiliæ.

Hi ſunt vapores illi, qui laudabiles mentis operationes

tam diverſis phantasmatum ſpeciebus evertunt, ut vix duo, vel tres, è multorum millium numero, eodem delirii & phantasmatis genere hallucinentur. Quemadmodum enim vinum ſeſe naturæ eorum accommodat, quibus in potum cedit, atque, pro diverſa illorum diſpoſitione, diverſos edit effectûs, adeò, ut, ſpiritibus à vini vaporibus turbatis, varia, in vino repletis, oriantur ſymptomata, juxta diverſam ſingulorum potatorum temperiem; *in his omnem mœrorem & anxietatem diſcutiendo, atque animum mitiorem juxta & audaciorem efficiendo;* ut inquit Galenus, *lib. de anim. mor. & corpor. temp. mut. conſeq.* aliis indecorum cauſando cachinnum; aliis moleſtas rixarum motiones; alios ad lætitiam; ad triſtitiam commovendo alios; aliis pedum levitatem, ſeu agilitatem; aliis verò profundam rerum ſpeculationem inducendo: pari prorſus ratione melancholicæ fuligines & vapores diverſimodè imaginationis operationem percellunt, tales repræſentando mentis turbationes & deliria, quales proſperè valentium temperiei correſpondent. Taliter v. g. raræ texturæ, id eſt, ſiccæ conſtitutionis homines, ob ſuccorum melancholicorum perverſitatem delirantes, circa rerum ſiccarum phantaſiam hallucinari ſolere, obſervarunt Authores: qui referunt, quendam fuiſſe, qui ſe ovorum teſtam; alium, qui ſe ex vitro conflatum putabat, ideoquè ſingulis ſibi obviantibus cedebat, ne fortuitâ alliſione frangeretur. Alter flatibus ex natura ſubjectus, & melancholiâ correptus, in aërem ſe elevari, & volare poſſe, arbitrabatur. Alius ſanguine, & proinde ſemine, plenus, furioſo prorſus & inſano libidinis æſtu percitus, indeſinenti amatæ perſonæ potiundæ deſiderio contabeſcebat: qualiter Antiocho, Seleuci Regis filio eveniſſe, præter alios, teſtatur Valerius, *lib. 5. cap. 7.* qui in tantum veſanis cupidinis ignibus erga novercam ſuam, Stratonicem, ardebat, ut, diſſimulato ſemper, ob rei indignitatem & verecundiam, amore, tandem, in uni-

Diverſæ Melancholicorum ſpecies.

Veſanu amor.

in univerſalem corporis marcorem & contabeſcentiam inciderit: quam & mors ipſa fuiſſet ſubſecuta, niſi ſpecialis Eraſiſtrati Medici, amoris myſterium cognoſcentis, ſolertia, artisquè præſtantia eandem avertiſſet. Alium fuiſſe, legimus, qui, copioſiore ſero abundans, mictum, fortiùs etiam urgentem, retinuit pertinaciùs, ne, ut maleſanus putabat, ex ſuo mictu diluvium oriretur, ſuâquè cauſâ totus periret mundus. Dantur & alia ſucco melancholico gravidorum deliria, quorum cauſa & origo delirantium nativæ diſpoſitioni non eſt imputanda, ſed vitæ ſtudiorumquè actorum generi & diverſitati; ut, pro illorum diverſitate, in hanc, vel illam impreſſionem inciderint, &, pro conſvetis contemplationibus, magis affinia, illisque magis ſimilia producantur phantasmata: ſiquidem vehementem corporis animique labores vim obtinent, ad rerum actarum impreſſionem: ita, ut difficulter à conſvetis vitæ ſtudiis recedant delirantes; qualiter videre eſt in iis, qui, ſani, inſatiabili divitiarum corrſioni dediti, & in ſtultitiam melancholicam acti, non loquuntur, niſi de nummorum millionibus, de equorum, boum ac vaccarum oviumquè multitudine, de damnis, ſibi ab infideli famulorum cohorte illatis. Eodem modo dantur, qui, ſani, continuo de ampliſſimis honorum titulis, eorúmque conſecutione cogitantes, delirique facti, inflantur, eò, quòd humor, & vapores, ex eo peccante evaporantes, habitas vitæ conſvetudines ita dirigant, ut ab iis phantaſiæ conſvetudini affines imprimantur: hinc quidam ſe Pontifices, Cæſares, Reges, & Principes credunt: omne avarorum delirium circa auri argentiquè copiam verſatur: Religioſi circa cultum divinum, & preces à ſe non ritè peractas aberrant: hic à Deo ſe derelictum; ille preces ſuas à Deo rejectas credit: alius de æternæ felicitatis conſecutione deſperat: quin imò dantur, qui ſe inferni cruciatûs jam tum ſentire putant, atquè à malis geniis, ſine intermiſſione, vexari, malè arbitrantur.

Ulti-

Portentoſa deliria.

Ultimum melancholicorum genus adeò portentoſis imaginationis phantaſmatibus affligitur, ut nec nativæ corporum diſpoſitioni, nec transactæ vitæ conditioni reſpondeant: quorum cauſa, nobis planè incognita, & veluti myſterio quodam involuta, divinum quid habere videtur; quia, ultra communem naturæ ordinem, jam in hanc, jam in illam paſſionem dejicit; ut, ſi ex inſcio rudiquè ſtipite, aut trunco, fiat Mercurius; ex fatuo eximius Vates; adeò, ut veriſſimum illud eſſe videatur, quod ſenſit Plato, in Timæo, dicens, *divinationem à Deo datam eſſe hominibus, errore mentis duntaxat affectu.* Nam à præſtantis prudentiæ viris teſtatum habemus, quòd fuerint mentis errore correpti, qui non tantùm diverſarum Provinciarum lingvas locuti, quas ante corruptionem ſuam ne quidem audiverant, taceo, ſciverant; ſed etiam de rerum futurarum eventu vaticinati fuerunt, quorum reverà vaticinia ab eventu fuerunt confirmata.

Cur delirantes uni rei inhæreant.

Cur autem ex melancholia delirantes uni phantaſiæ tam pertinaciter inhæreant, non ſatis liquet; etiamſi potior pars Authorum putet, quòd ob ſpirituum frigiditatem, ſiccitatem, craſſitiem & denſitatem contingat, quibus ſemel impreſſæ rerum ideæ, corruptâ facultate imaginativâ, firmiſſimè inhæreant. Secundò haud ulli ignotum eſſe puto, quòd non ſubitò, ſed poſt ſat longum quandoque temporis intervallum, homines hac miſeriâ corrumpi ſoleant: poſtquam videlicet unius rei, quâ affliguntur, coctioni multum deſudarunt, absque tamen ejusdem ſuperatione; quâ ſpeculatione in tantum ſe ſuúmque enervant cerebrum, ut tandem intenſiore phantasmatis, quo illaqueantur, conſideratione res conſiderata tam altè intellectui, ejusque organis imprimatur, ut nullâ arte ampliùs patientes ab ea amoveri poſſint; licet ſvaviſſimis amicorum colloquiis, Medicorumquè dexteritatibus, ad aliarum magis utilium, magisque jucundarum rerum conſiderationem avo-

avocentur: ſemper enim ad impreſſum firmiùs errorem eos relabi videmus: eò, quòd, temporis diuturnitate, moleſtantis rei ſpeculationi, cum indignatione, non raròin tantum aſſveverint, ut hæc ſpeculatio quaſi in naturam abjerit. Atque hac ratione credam fieri, quòd tanta cum pertinacia phantasmati ſemel concepto tam tenaciter melancholici inhærent. Quæ tamen doctiorum virorum judicio & doctrinæ meliùs elucidanda committo.

Cùm igitur ſperem, ex hiſce, jam ſatis fuſè allegatis, quemlibet excellentioris judicii virum facilè percepturum, quanta, cum depravatis hiſce atræ bilis ſpeciebus, nocumenta in mortalium viſcera ſerpant; quamquè graves ſint ſanitatis, humanæque vitæ hoſtes: reſtat nunc, ut ad ea medicamentorum genera deſcendamus, quibus corpora noſtra ab harum atræ bilis ſpecierum malitia, immaniquè feritate tueamur, caventes, ne aut generentur, aut jam natarum gliſcentes ſcintillas in primo, ut dicitur, limine ſuffocemus & auferamus, ſanitatem vitámque, per longiſſimum annorum decurſum, integram conſervantes, Quod ut eò fructuoſiùs effectum reddatur, ſciendum eſt, quòd primarum trium ſpecierum methodum præſervativam capitibus prioribus, de ſanguine, pituita & bile tractantibus, tradiderimus; ut proinde, eandem hîc recoquere crambem, ſupervacaneum foret. Adeoquè hîc loci de ea atræ bilis methodo præſervativa agemus, quæ ex humore melancholico naturali magis aſſato oritur, quò minùs in mala à peſſimo hoc humore produci ſolita incidamus; aut, ſi jam cum morbis, ab hoc ſucco natis, colluctemur, eis mox congruis auxiliorum antidotis, quoad fieri poteſt, obviemus: cùm, unanimi Medicorum conſenſu, hæ affectiones in principio curatelam admittant; inveteratæ verò, & neglectæ, admodum curatu fiant difficiles; ut citiùs Æthiopem dealbaveris, quàm affectu, ab atra bile oriundo, decumbentem reſtitue- Melancholia inveterata curatu difficilis.

ſtitueris : ut propterea non malè aſſerat doctiſſimus D. D. Hertodt, Collega meus obſervandiſſimus, *in Opere ſuo mirifico ſextæ diei*, quòd, *qui ſemel in barathrum hypochondriacæ paſſionis inciderit, nullâ quaſi potentiâ eum eripueris* : quoniam ſucci melancholici, in corpore humano diutiùs retenti, non ſolùm copiâ creſcunt, ſed etiam majores in venarum, aliarumquè partium meatibus obſtructiones pariunt : *in quibus ſupra modum vel combuſti, vel putrefacti, malignam acquirunt acrimoniam* : ut ait Galenus, *in comment. aphoriſ. 56. ſect. 6.* jam viſcerum phlogoſes concitando, jam *apoplexiam*, *vel convulſionem*, *vel cæcitatem producendo*, juxta *aphoriſmum Hippocratis jamjam citatum* : aliquando verò per totam corporis humani regionem ſeſe effundunt, atque partibus, alio nutrimento deſtitutis, in alimentum cedunt, nativam earundem craſim taliter immutando, ut illæ eandem, cum humoribus, ſibi in nutrimentum quale quale cedentibus, conſequantur (*ſiquidem humores alimentarii carnem maximè permutare ad ſuam ipſorum naturam poſſunt* : dicente Galeno, *lib. 3. de ſympt. cauſ.*) vi cujus depravatæ nutritionis, à vitiato potentiùs alimento factæ, contingit, ut, docente Rondeletio, *in meth. curand. morb. cap. 13. melancholia, quæ eſt hæreditaria, aut quæ fit totius corporis vitio, difficillimè curetur* ; ut videre eſt in iis, qui, ob deſpectum, aut injuriam quandam acceptam, etiam poſt notabilem annorum revolutionem, quos in vehementi cordis dolore, continuo odii, iræq; ſqualore, ac ulciſcendi propoſito conſumunt, in diriſſimas melancholiæ & maniæ affectiones incidentes, aut non, niſi poſt longiſſima temporis intervalla, curantur, aut planè non reducuntur : maximè ſi eò dementiæ pervenerint, ut omnem cibi potúsque ſumptionem reſpuant, & indomabili ſomni privatione affligantur. *Hos enim*, ut inquit Jacchinus, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 15. tunc deploratos æſtimate, cùm cibum & potum prorſus renuunt, & nullo auxilio ſomnium capiunt.*

Cùm

Cùm igitur *inveterati, & veluti in naturam converſi affe-ctûs, ex ſucco melancholico depravato oriundi, incurabiles propemo-dum evadant*, inquiente Doctiſſimo Foreſto, *lib. 10. in ſchol. ob-ſervat. 13. & circa initia facilis ſit eorum curatio*: jure merito ab iis auſpicamur remediis, quæ, legitimè adhibita, non tantùm à perverſi hujus ſucci generatione nos tuentur; ſed etiam eundem, jam productum, & in meſenterio, aliiſque corporis humani ſpatiis, hujus ſucci aſſervationis capacibus, parumper ſtagnantem poſſunt exturbare. Inter quæ, à Galeno, *lib. 3 de loc. affect. cap. 4.* primum meretur locum exquiſita victûs ratio: hæc enim tenuem, purum, ſubtilem, omnibusque numeris ab-ſolutum generat ſanguinem; qui ea adamuſſim facienda & aſſumenda ſuggerit, quæ cuivis naturæ & complexioni accom-modata proſunt: proinde, *loco jam citato*, inquit Galenus: *mor-bum hypochondriacum, minimè inveteratum, frequentibus balneis, victuque humido, & boni ſucci, nullo alio præſidio adhibito, ipſe aliàs curavi. Nam ubi diuturnus ipſe morbus eſt factus, fortiora reme-dia poſtulat*; quia ex communi cùm Medicorum doctrina con-ſtat, tum quotidiano rerum uſu experimur, quòd naturaliter ſit impoſſibile, hominem, absque perfecta ſex rerum non na-turalium obſervatione, vel à morbis præſervari, vel abſolutè curari poſſe. Eſto enim, quòd in cibo & potu, v. g. diu, absque notabili aut ſenſibili nocumento, excedatur; ſucceſſu tamen temporis incommoda, per errores, in hiſce rebus commiſſos, collecta, cum tali immanitate prorumpunt, ut aut tardam, & in annos quandoque protractam, aut penitùs nullam curatio-nem admittant, aut aliquando ſubitò jugulent. Quare omnes, velim, exceſsûs etiam minimos, in cibo & potu, aliisque rebus non naturalibus committi ſolitos, emendari; quia etiam mi-nimi, ſæpiùs tamen commiſſi, ſucceſſu temporis fiunt magni, magnorum morborum ſyndromen producentes: cùm ſobria diæta, exactè obſervata, ſit ſumma Medicina: cujus tanta vir-

Curatio à quo auſpi-canda.

tus eſt, ut non tantùm graviſſimorum morborum inſultûs præpediantur; ſed etiam jam graſſantium immanitas ſopiatur.

Aër melancholicis.

Qua de cauſa melancholicæ complexionis homines aëri, moderatam calidatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem habenti, omniquè contagioſo miasmate carenti, ſtudeant; qui ſi, ob continuas anni temporum mutationes, locorum ſituationes, pluviarum, ventorum, nebularumquè frequentiam, putridarum exhalationum copiam, æſtûs vehementiam, frigoris aſperitatem, conſervandæ valetudini non reſpondeat; circumſpecti Medici officium exigit, ut incommodorum jam enarratorum exceſſibus, pro virili, obviet, vitia eorum corrigendo & emendando. Eapropter, ſi calidior cujuſdam corporis temperies, æſtuante potentiùs cœlo, frigidiore aëris afflatu egeat; inferior domûs pars, ſeptentrionem aut occidentem reſpiciens, habitationi deſignetur: quia hæc pars ſemper frigidior eſſe ſolet, eò, quòd ab æſtuantibus Solis radiis non impetatur, terræque vicinior, refrigerantibus perpetuò exhalationibus attemperetur: aut, ſi talis ædibus deſit occaſio, moleſtus inhabitati cubiculi calor frequenti pavimentorum conſperſione frigidâ corrigatur, aut ſimplicium quarundã herbarum, florum, ac arborum impoſitione tollatur: qualia ſunt folia *ſalicis, graminis;* flores *roſarum, nymphææ, betulæ recentes*, & aliæ hujus generis arbores; quarum tanta copia ab Authoribus paſſim deſcribitur, ut nimis longum foret, hûc omnia referre. Eâdem prorſùs ratione nimia aëris frigiditas, humiditas & ſiccitas, per contrariorum adhibitionem tollitur.

Melancholicorum Cibus.

Secunda res non-naturalis, quæ ſuccorum melancholicorum generationi obnoxiis ſtudioſiſſimè obſervanda venit, eſt Cibus, qui melancholiæ, ex decreto Galeni, *lib. 8. de placitis Hippocratis & Platonis*, frigidæ & ſiccæ naturæ oppoſitus, exigit eſſe moderatè calidus & humidus, boni ſucci, facilis digeſtionis, paucorum excrementorum, quiquè, bene digeſtus, hepa-

hepatis, aliorúmque ſanguificationis viſcerum operationi promptè obedit, facilique negotio requiſitam partium nutritionem perficit; hoſtilem earundem antipraxiam evertendo, & laudabilem reducendo, aut bonam conſervando. Talem nobis cibum præbent juſcula carnium, *borragine*, *bugloſſâ*, *endiviâ*, *pimpinellâ*, *cichorio*, radicibus *Scorzoneræ*, aliisque hujusmodi generis herbis & ſimplicibus attemperata; quorum juſculorum uſus ad refrenandam ſuccorum melancholicorum ſiccitatem ſummè neceſſarius eſt: carnes *gallinarum*, *pullorum*, *caponum*, *vitulorum*, *perticum*, *phaſianorum*, *turdorum*, aliarúmque avium montanarum, vehementer ab Authoribus commendantur, eò quòd, absque labore, à digeſtivo ſtomachi Vulcano ſuperentur, pauca excrementa habeant, omniúmque optimum nutrimentum præſtent; ut teſtatur Galenus, *lib. 3. de aliment. facultat. cap. 18.* dum inquit: *earum avium, quæ volatu vivunt, caro, ob facilem concoctionem, præcipuam laudem meretur, maximè perdicis, attagenis, columbæ, galli gallinacei, gallinæ, turdorum, phaſianorum:* generat enim ſanguinem clarum, mundum, ſpirituoſum, mentis exercitiis & intellectui aptum.

E contra omni ſtudio enitendum eſt, ne cibi, ob craſſitiem ſuam, viſcoſitatem, obſtructiones, flatuúmque copiam generantes, ob aut ſpecialem ſuam diſpoſitionē, melancholicos ſuccos producentes, aut etiam genitos exacerbantes, aſſumantur: quales, præter cæteros, à Galeno, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4.* & *lib. 5. de ſanitate tuenda*, aſſignantur, carnes *ſuillæ*, *cervinæ*, *caprinæ*, *hædinæ*, *bubulæ*, *cochlearum*, *oſtrearum*, *angvillarum* &c. ait enim: *cibi, qui ſanguinem melancholicum gignunt, hi ferè ſunt: caprina bubuláque caro, magisq́, hircinæ & taurinæ; maximè camelorum & aſinorum. Magnum, ad hujusmodi ſanguinis generationem, momentum adfert etiam leporis eſus; ſed multò magis aprorum. Limaces quoque ſanguinem melancholicum pariunt; ſi frequens ſit eorum uſus.* Cibus melancholicis ſummè noxius.

Præterea omnium animalium terreſtrium carnes, ſale conditæ: nec non aqualitium carnes, ut thunni, balenæ, vituli marini, canis, atque cetaceorum omnium. Leguminum verò omnium maximè lentes inter melancholicos cibos annumerantur. Caſeus vetus, ſi ſuper calfactus fuerit in ipſo corpore, facilè hujusmodi humorem generat. Ut proindè ſenes, *ob nativi caloris debilitatem, & penuriam, ætatum ſiccissimam & frigidiſſimam ſortiti*, ut ait Galenus, *lib. 2. de temperam.* &, cum his, *macri, nigri & hirſuti, & quibus latæ ſunt venæ*, habeant, quod ſibi ab hiſce, iisque ſimilibus, alimentorum generibus caveant: aptiſſimi enim ſunt, ut hujusmodi in ipſis humor accumuletur: dicente eodem, *lib. 3. de loc. aff. ct. cap. 4.* propter corporum diſpoſitionem, cum hujus humoris natura ſymbolizantem.

An melancholicis vinum competat.

Circa Potûs præſcriptionem, in diverſas Medici divaricantur opiniones, dum alii vini potum prohibendum aſſerunt, putantes, quòd illud, nimiâ ſuâ caliditate, viſcerum, ad ſiccitatem inclinantium, phlogoſes facilè promoveat, atque, hac ratione, non tantùm ad ſucci melancholici generationem, verùm & ipſius deſtructionem concurrat: alii verò, ejusdem potionem concedendam eſſe, dicunt; quorum ego ſubſcribens ſententiæ, ſtatuo, quòd corpora, ad ſucci melancholici productionem inclinantia, moderatâ vini oligophori potatione, præſertim aſſvetâ, in prandio, & cœna, ſint reficienda: quia, tradente Galeno, *lib. de euchym. & cacochym. vina oligophora dicta ſunt tenuia, candida & aquoſa, ciendæ urinæ maximè idonea, capiti nullam noxam inferentia*: atqui *melancholicæ conſtitutionis homines per urinas expurgari, nos, medicinam factitantes, quotidiè experimur*; ut ait Andreas Laurentius, *lib. 6. de organ. natural. in imo ventre content. quæſt. 27.* & Hippocrates, *lib. de intern. & extern. affect.* ſcribit: *medicamenta, quæ lienoſis præſcribuntur, per veſicam debere purgare: atque bilioſis, qui magnum lienem habent, & ideo pauci ac fœdi coloris ſunt, malignáque*

Reſpondeo affirmativè.

contra-

contrahunt ulcera, vult, urinas ſubduci: ideóque Galenus Quartanarios diureticis curat, ut, 2. ad Glauconem eſt videre. Cavenda tamen ſunt, ut monet Galenus, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4. vina craſſa, nigraquè; quia aptiſſima ſunt, ut ex ipſis humor melancholicus fiat:* quemadmodum omnis etiam in vino oligophoro exceſſus fugiendus eſt. Ut proindè procul abeſſe jubeantur famoſi illi potatores, qui, ſæpius bibendo & rebibendo, ſtrenuè laborant, ut ſitim, etiam poſt tempus futuram, præveniant: qui, dum de indecora ſummequè nociva potatione relinquenda monentur, facetè reſpondere ſolent: Quæ vina noceant. Potatorum facetiæ.

Scisne, dic ſodes, Veterum ſophisma?
Praſtat, in vino celerare mortem,
Quàm manu feſſâ reſecare vaſtis
gramina campis.
Non enim falcem toties novare
Eſt opus: tanto neque quis labore
Membra delaſſat, calidus nec ipſa
ſudor hebeſcit.

Verùm protervum hoc hominum genus tales fructûs metit, qualem ſementem jacit; inſignem nimirum, ut inquit Seneca, *in epiſt. 95.* pallorem, & nervorum vino madentium tremorem, & ſine ſenſu jacentium torporem, miſerabiliorem ex cruditatibus, quàm ex fame, maciem, vehementem luridæ bilis, per omnia corporis viſcera, ſuffuſſionem, pulmonum putredinem, atquè totius corporis contabeſcentiam: præter alia quàm plurima febrium genera, quæ ſunt condigna, perpetuò commeſſantium & potantium luxuriæ, ſupplicia; quorum tolerantiâ non eſſet opus, ſi luxurianti præter modum gutturi puræ, tenuis & levioris aquæ potu nonnunquam obviaretur, loco copioſioris vini. Novimus enim, quòd huic aquæ tales inſint virtutes, ut absque morâ, in hypochondriis factâ, per urinam tranſeat; aut, ſi hæc delicatiori palato non Potatorum pœnæ.

arri-

arrideat, vices ejus ſuppleat cereviſia triticea, benè defecata; fugiendo cereviſiam amaram, utpote nimis lupulatam, & cerebro inimicam, nec non ſanguinis melancholici effectricem.

Exercitia. Denique, ut rem breviùs perſtringam, corporis exercitia ſint talia, ut vires inſtaurent, nativumquè corporis calorem conſervent. Quies, motui contraria, moderata inſtituatur, ita, ut *aphoriſmo Hippocrat. 48.* reſpondens, corpus, nimio motu fatigatum, à laſſitudine levet, attritas vires reficiat, & cruditates quaſcunque demat. Somnus. Somnus arte conciliandus eſt, ſi non reſpondeat: quoniam corpora, ad melancholicorum ſuccorum productionem apta, ejus bonitate multùm reficiuntur & humectantur: cùm, ècontrà, per vigiliam, modum excedentem, mirificè hujus atræ bilis generatio, & depravatio promoveatur. Animi motûs. Animi motûs tantæ ſunt potentiæ, ut multi ſæpè, repentinæ lætitiæ beneficio, ex graviſſimis morborum periculis evaſerint, quos aliàs ferali Libitinæ falci ſe ſubdere oportuiſſet: quemadmodum alii, propter nimias ejusdem perturbationes, mente fuêre privati. Ex quibus innoteſcit, nullam ferè corporis ægritudinem eſſe animi morbis graviorem: proinde tantò magis ſunt reſpiciendi, quantò anima corpore eſt præſtantior: adeóque triſtitiam frequens pellat lætitia, utpote ſingularis mentis lautitia: timorem prudentes & generoſi auſûs; iram tollat ſvavis animi clementia, & frequens cum optimis amicis converſatio: quidquid demum ad demulcendas animi paſſiones facere poteſt, inſtituatur. Quæ de diæta, & victûs ratione, ſufficiant.

Verùm enim verò, cum naturaliter implicet tam exquiſitus ciborum delectus, támque exacta eorum quantitas, ut, propter ciborum heterogeneitatem, non reſultent quædam particulæ, in ſuccum melancholicum tranſire habiles, præſertim in corporibus, ex nativa ſua diſpoſitione melancholicis; neceſſe

neceſſe eſt, ut, aptorum medicamentorum beneficio, redundantes hæ particulæ ſæpius evacuentur, ne in prima & ſecunda corporis regione, ut inteſtinorum flexuoſitatibus, meſeraicarum, majorúmque venarum & arteriarum ſpatiis cumulentur, obſtructiones pariant, degenerent, atque, hoc modo, melancholicis affectionibus occaſionem præbeant, integræ ſanitatis conſervationi, dierúmque multitudini officiendo. Talia, à genuinis Hippocratis & Galeni ſectatoribus, è triplici deſumuntur genere: vel ex vegetabilium familia; vel animalium proſapia; vel denique ex mineralium regno. Ex familia vegetabilium, ſunt *myrobalani Indæ*, ſingulariter atræ bili evacuandæ dicatæ: ut propterea quartanâ divexatis, non absſpeciali fructu, offerantur. Quamvis, monente Rondeletio, *lib. 1. meth. curandi morbos, cap. 42.* myrobalanis cautè ſit utendum. Inquit enim: *in aliis melancholiæ ſpeciebus laudantur Myrobalani, tanquam leviter purgantes: ſed in hypochondriaca, cùm fiat ab obſtructione, parùm laudo, ſicut cùm fit à ſuppreſſis menſibus, vel hæmorrhoidibus. Nam omnes illæ adſtringunt, & adſtringendo ſic laxant, quod tenuius eſt; quod craſſius eſt, remanet, unde obſtructio augetur.* *Epithymum* ex Creta, Macedonia, Pamphylia, aliisque locis ad nos allatum, præ reliquis facilè vegetabilium ſpeciebus, in humorum melancholicorum eliminatione, ab Authoribus paſſim commendatur: eò, quòd, dicente Matthiolo, *lib. 4. cap. 172. valentiùs cæteris medicamentis atram bilem excernat, idq; facilè, & citra ullam moleſtiam præſtet.* Hinc Jacchinus, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 15.* melancholicis ægritudinibus affectos, quotidiè, epithymi & aloës ſcrupulis duobus leviter purgandos, tradit. Quantum *cuſcuta*, & *fumaria*, melancholiæ generationi officiant, ejuſdemque jam tum natæ eductioni proſint, id, præter quotidianas doctiſſimorum Virorum Obſervationes, ex luculentiſſimis Matthioli, ſagaciſſimi medicamentorum indagatoris, rationibus patet: qui, *loco*

Medicamẽta è triplici fonte ſumuntur.

Familia vegetabilium.

Melanagoga ſimplicia.

jam paulò antè citato, dicit, quòd *cuſcuta jecoris obſtructiones aperiat, infarti lienis vitia expediat, & urinam pellat*: quia qualitatem incidendi, attenuandi, pellendique potentiâ præditam habet. De *Fumaria* Schröderus, *Pharmacop. Med. Chym. lib. 4. claſſ. 1.* ita loquitur: *Fumaria ſplenetica eſt, ac hepatica: attenuat, ſerosos, biliosos, ac aduſtos humores ſenſim expurgat, viſcera reſerat, reſerata roborat*; quoniam *acris, amara & acerbæ qualitatis eſt particeps*; dicente Galeno, *lib. 7. de ſimpl. medicam. facult.* *Polypodium quercinum*, inter famoſiſſimas medicinas, ſuccum melancholicum ex corpore humano exturbantes, reputatur, ſi cum ſero lactis caprini, aut jure gallorum, aut decocto paſſularum, vel aliis medicamentis, atrum ſuccum ducentibus, debito modo præparatum fuerit. Nam, ut inquit Galenus, *lib. 8. de ſimpl. med. facult. polypodium dulcem, ſimul & auſteram, vincentem obtinet qualitatem, ut facultatis ſit, citra morſum, admodùm exſiccantis.* Quamvis illud, *citra morſum*, Weckero, *in Antidotario ſuo ſpeciali*, ſuſpectum eſſe videatur; dum ſua polypodio corrigentia aſſignat, dicendo: *polypodium corrigatur aniſo, fœniculo, Zinzibere, vel ſimili odorato aliquo.* Quantæ utilitates, quantique fructus ex *Helleboro nigro*, humano generi, melancholicorum ſuccorum aggregationi obnoxio, veniant, id facilè innotuerit, ſi prodigioſos planè ejus effectûs conſiderare contigerit, quos non tantùm hac noſtrâ ætate edit, ſed & plurimis, ante nos, ſæculis fecit. Nam apud Veteres, nullum fermè à melancholico delirio liberatum fuiſſe, conſtat, niſi ejusdem cauſa à ſpeciali hellebori nigri potentiâ emuncta, expurgatáq; fuiſſet; ut proinde, dum homines melancholicis phantasmatibus torqueri viderent, mox eos in Anticyram Inſulam, præſtantiſſimâ hac herbâ, præ aliis locis, dotatam, elleborum emptum, navigare juberent: volentes intimare, quòd, niſi efficaci hujus herbæ virtute ſanarentur, res deſperata eſſet. Ita reverà eſt, habet hæc herba virtutem quandam ſpecificam, vi cujus humores melancholicos

cos inſigniter evacuat; ideóq; non ſolùm præſervationis cauſâ tutè adhibetur; ſed etiam in omnibus affectibus, ab atra bile deſcendentibus, cum commodo uſurpatur; maximè ſi cum *maſtice, cinnamomo, ſemine aniſi, fœniculi,* aliisquè hujuſmodi ſpeciebus, correcta fuerit. Quid *folia Sennæ,* utpote medicamentum cunctos humores æqualiter facilè expurgans, poſſint, omnibus ſat notum eſt. Ex liene enim, aliisque hypochondriorum viſceribus, & menſenterii vaſis, non tantùm ſimplicem melancholiam tollit; ſed etiam eandem jam tum tenaciùs inhærentem, aut fortiùs exuſtam, evehit. Propterea hîc locî monendum reſtat: ut in omni corpore, ſive præſervationis, ſive curationis cauſâ purgando attendantur humores, unà cum melancholico ſucco peccantes, ut, pro eorum natura, talia melanagogis miſceantur, qualia eorum purgationi ſerviunt. Sic, ſi cum melancholico ſucco bilis peccaverit, addatur *rhabarbarum:* ſi pituita redundaverit, *agaricus:* ſi verò ſeroſitates exceſſerint, *Jalappâ* tollantur.

Ingentem illum compoſitorum medicamentorum, melancholiam è corporis noſtri penetralibus arcentium, aut ejus præſentiam dementium, campum quis facilè emenſus fuerit? Nam tot decoctionum, ſyruporum, potionum purgantium, juſculorum, infuſorum, tincturarum, pilularum, & electuariorum, apud Authores, paſſim inveniuntur deſcriptiones, ut, omnes hûc referre, tædioſum foret. Quot enim excellentioris doctrinæ Medicos orbis numerat, tot cuilibet privatæ medicamentorum compoſitiones ſunt ſecretæ, quibus tetri hujus ſucci machinationibus dexterrimè obviam procedunt. Tales decoctiones apud Auguſtanos ſunt: *aperitiva lenitiva minor, epithymi, fumariæ: ſyrupus diaſereos, ſpleneticus Verbezii, de tribus ſolutivus, de cichorio cum rhabarbaro:* Quercetanus quoque habet *ſyrupum helleboratum minorem,* quo is utitur ad evacuandam melancholiam: Joannis Cratonis *de pomis ſolutivus,* Melanagoga compoſita.

Conſilio 186. & *de polypodio, conſilio 229.* ſummæ eſt efficaciæ. Sic Doctiſſimus Auguſtiſſimæ Imperatricis Eleonoræ Viduæ Archiater, D. Paulus de Sorbait, Profeſſor meus quondam honorandiſſimus, præter alia medicamentorum genera, nobiliſſimum habet *decoctum purgans*, quo is melancholicam ſaburram everrit. Apud Timæum longiſſimum proſtat *infuſum*, quo ille plurimis annis, ſumma cum felicitate populorum, litus maris Balthici, ejusquè viciniam incolentium malis hypochondriaco-ſcorbuticis medebatur. Ex numero *electuariorum*, ad fermenti melancholici eliminationem plurimum conferentium, ſunt: *electuarium diacatholicon, ſennatum Renodæi, dia ſenna Nicolai, lenitivum Florenzolæ, lenitivum de manna Nicolai, de tamarindis, cum foliis ſennæ.* Et quamvis, ob ſpecialem, quæ viſceribus ineſſe ſolet, caliditatem & ſiccitatem, à valdè calefacientibus & ſiccantibus cavendum, atque medicamentis humectandi potentiâ pollentibus ſit utendum; ideoquè *pilulæ*, & *pulveres*, utpote nimium ſicci, non facilè ſint uſurpandi; nihilo tamen minùs, ſi contingat, ut homines, medicinis tentandi, à potionibus, & electuariorum bolis abhorreant; pilulis & pulveribus tractari expurgarique debent: ut *pilulis ex extracto melampodii, extracto foliorum ſennæ Mynſichti, hypochondriac. Zwelferi, tartar. Quercetani, extract. pil. de ammoniaco ejusdem, tartar. Schröderi*, & aliis ejusmodi quàm plurimis, de quibus ſi quis ulteriorem cupiat informationem, adeat admiranda doctiſſimorum virorum monumenta: utpote Zwelferi Pharmacopœjam Regiam, D.D. de Sorbait eruditiſſimam Praxim, Quercetani, Mynſichti, Hartmanni, & aliorum doctiſſimorum Virorum, opera, ad quæ lectorem benevolum remitto, ut etiam, præter *pulverem ſennæ præparat. Montagnanæ, melanagogum Quercetani, magiſterium lapidis Lazuli*, alios pulveres invenire continget. Ego ad medicamentorum examen transgredior, quæ melancholiæ per-

perverſæque ejusdem indoli expugnandæ, ex animalium proſapia, ab Authoribus aſſignantur.

Inter medicamenta, ex animalium proſapia deſcendentia, & laxatas melancholiæ habenas cohibentia, à Meſue primum meretur locum *Jus galli decrepiti*; dum, *lib. 1. de ſimpl. medicam. cap. de jure Galli*, dicit, quòd *jus galli antiqui ſit calidum, propter nitroſitatem & ſalſuginem, & ſit lavativum, abſterſivum, aperitivum, ventoſitatum extenuativum, & provocativum & ſolutivum natura*. De hoc gallinaceo jure teſtatur Dioſcorides, *lib. 2. cap. 41.* quòd, *adjectâ mercuriali herbâ, aut polypodio, trahat corporis excrementa craſſa, cruda, glutinoſa & nigra*, qualia ſunt excrementa melancholica. Proinde jus gallorum, in ſenectute, ad purgandam alvum datur; quia, teſtante quoque Galeno, *lib 3. de ſimplic. med. facult. jus gallorum ſubducit ventrem*, ſenumquè melancholiam ſubtrahit, atque alta eorum ſuſpiria levat. Hinc Crato, *lib. conſil. medicinal. conſil 96.* & *conſilio 165.* talibus galli decoctionibus, in pectoris anguſtia, uſus fuit. Si igitur opportunis anni temporibus, primâ corporis regione, à nimio excrementorum infartu liberatâ, hoc juſculo veſci contingat, oportet, ex præcepto Meſues, ut gallus ruffus, quatuor aut quinque annorum ætatis, eligatur, qui ad motum, pugnam, coitumquè alacer, & in dimicando ſit validus, benè carnoſus, non adeò pinguis, furfure nutritus, ante mactationem, aut pellendo, aut dimicando, fortiter laſſatus, ac probè deplumatus atquè eviſceratus, condiatur ſale communi, aut ſale gemmæ, coquatur in ſufficienti quantitate aquæ, ad conſumptionem duarum aquæ partium, incoquendo *mercurialem, epithymum, polypodium, borraginem, buglaſſam*, vel alias res, ad intentionem cujuslibet Medici facientes. Hoc juſculum, ritè præparatum, de die bis exhibetur; manè ad uncias octo, vel decem; veſperi, abſolutâ ſtomachi digeſtione, ad uncias ſex. Hæc procedendi ratio per quatuor aut ſex ſeptimanarum

Medicamēta è proſapia animalium.

Decocti galli veteris virtus.

tempus continuari poteſt; ita tamen, ut octavâ quaque die levi quodam pharmaco laxante alvus nonnihil evacuetur.

Serum lactis caprini & aſinini.

Non minores corporibus humanis, ad melancholiæ generationem proclivibus, utilitates confert *ſerum lactis aſinini & caprini*, recenter ab ubere mulſi: quia, ut inquit Hippocrates, *lib. 2 cap. 3. de diæta, magis, quàm reliqua lactis genera, per alvum ſecedunt*, propter ſubſtantiæ tenuitatem, quam, dicente Galeno, *lib. 3. de aliment. cap. 14. multam habent. Serum, ſive aſininum, ſive caprinum* illud fuerit, nitroſâ ſuâ, quam poſſidet, facultate humores attenuat, viſcerum obſtructiones reſerat, atræ bilis terreſtreitatem abluit, abſtergit, viſcerum ventilationi, humectando, & moderatè refrigerando prodeſt; quoniam exceſſivum tum vaſorum productivorum, tum ipſiusmet humoris, in iis contenti, cavma moderatè corrigit & emendat, hoſpitantémque in meſenterio, ejúsque venis, ſuccum melancholicum digerit, digeſtum vi ſuâ catharticâ ſubducit; ut docetur à Dioſcoride, *lib. 2. cap. 63.* ubi dicit: *habet omne lac conjunctum ſibi ſerum, quod, à lacte ſeparatum, efficacius in purgando eſt. Datur his, quos ſine acrimonia purgare voluerimus; quales erunt atrâ bile laborantes.* Quin & ipſam bilem flavam, atrámque retorridam, ex aduſtis humoribus reſultantem, blandiſſimè purgat; ut hac ratione ingentia melancholicis & maniacis commoda præſtet. Et, quia à nimio bilioſorum humorum infartu liberat, magno cum fructu in bilioſarum febrium æſtu, altiore vaſorum obſtructione exhibetur, ab unciis octo, decem, usque ad libram unam & dimidiam, aut duas non tranſcendendo: non attento, quòd ſint, qui ſcribūnt, ſerum lactis ab antiqua Medicorum ſchola ad quinquaginta & octoginta unciarum menſuram fuiſſe propinatum: quamvis ego, ſalvis tum Veterum, tum Recentiorum Medicorum ſententiis, ſatius eſſe arbitrer, duarum librarum menſuram non excedere; maximè ſi lien, ob nativum ſuum calorem aut opreſ-

preſſum, aut ſuffocatum, à nimia humorum copiâ repletum, intumuerit. Nam, ut inquit Crato, *conſilio 156. in hoc caſu lien eſt refrigeratum; ideoquè periculum eſſet, nè potiùs obeſſet, quàm prodeſſet;* quia facilè repletur ſeroſis humoribus; quo facto, hypochondria inflantur, &, retento diutiùs in corpore ſero, facilè hydrops ſubintrare poteſt. Quarè diligenter attendendum eſt, cui detur ſerum, quâ ratione dari debeat; quia deſtillari poteſt, aut *chalybe*, aut florum recentium, ut *bugloſſæ, borraginis, roſarum rubrarum, violarum, cichorii ſativi*, aut *ſylveſtris* incoctione: vel *tinctura* præparari, ut non tantùm ſegniori alvo movendæ eò promptiùs ſuccurrat; ſed etiam peccantem in viſceribus mineram commodiùs vacuet, moleſtoque partium cavmati medeatur faciliùs: quoniam, ut dictum eſt, ſerum refrigerat & humectat, attenuat & abſtergit, peccantium humorum acrimoniam obtundit, & lubricam aduſtorum humorum copiam expurgat.

Medicamenta, quæ, ex mineralium regno, ſuccis atrabilariis, in genere præſervationis & curationis, ferviunt, ſunt *aquæ acidulæ, thermales*, &, quidquid *ſpirituum, tincturarum, magiſteriorum, ſalium & extractorum*, ex nervoſa mineralium ſubſtantia, beneficio Vulcani, artificiosè elicitur. Inter hæc remedia primum ferè locum obtinent *aquæ acidulæ naturales*, quarum tantam eſſe virtutem, non rarò ſumus experti, ut etiam contumaciſſimas, atque longiſſimo temporis intervallo continuatas affectiones ſuſtulerint; quæ ab aliis etiam efficaciſſimis medicamentorum ſpeciebus curari non potuêre. Nam aquæ diverſos, in terræ viſceribus, circuitûs faciunt, & jam aluminoſam, jam ſulphuream tangunt mineram: jam ferrum; jam verò nitrum lambunt: nunc vitrioli acorem imbibunt; nunc ſal gemmæ ſapiunt: prout denique diverſas mundi ſubterranei venas tranſeunt, ita diverſas mineralium virtutes induunt. Ut proinde in thermarum aut acidularum

Medicamēta ex mineralibus.

Aquæ acidulæ.

adhibi-

adhibitione prudentis Medici judicium requiratur, partim ut acidularum naturam noſcat, eámque cum ejus ſtatu & natura conferat, cui eas propinare intendit: partim ut naturam affectûs benè perſpiciat, cujus pellendi cauſâ adhibentur, & ut viſcera corporis omni putredinis nævo careant. Non enim hæ aquæ iis competunt, qui pulmonum ulcere contabeſcunt, lienem & renes ſauciatos habent, ob frigidam viſcerum dyscraſiam, ad hydropem inclinant, dyſenteriâ laborant, aut quorum corpora, ob ſenii incommoditates, langueſcunt. Saluberrimos acidularum fontes Allemannia noſtra habet: uti, in Svevia, *Rippliſavienſes*, *Deinachienſes*, in Ducatu Wirtenbergenſi ſituatos: quos celeberrimus Schaffhuſanorum Archiater, Jacobus Wepferus, miris evehit laudibus: *Ægranum*, qui nobis, Marcomanniæ Incolis, ob loci viciniam, præ omnibus uſualis eſt; *cujus aquæ croco Martis, nitro, vitriolo, ſulphure volatili, & ſale gemmæ, ſunt imprægnatæ;* proptereà melancholicum ſuccum, etiam ob terreſtreitatem ſuam tenaciſſimum, incidunt, attenuant, digerunt & abſtergunt, atque per alvum & urinam pellunt; non attento, quòd multi quidem naſuti, parùm tamen periti Medici, cum inſenſatis quibusdam vetulis clamant, ventriculum à tanta aquarum copia gravari, totumquè corpus offendi. Inſenſato enim huic hominum generi reſpondetur, quòd hominis, viſcera à putredine immunia, calorémque vegetum habentis ventriculo non noceat, quemadmodum purgantia obſunt: quia mox omnia viſcera permeat, &, quidquid vitioſi miasmatis invenit, diluit, &, veluti quoddam balneum, abluendo ſecum rapit, & per urinam ac alvum potenter erumpit. Nec tam anguſtos mihi aſſignaveris penè meatûs & ductûs, in quos ſe tenuiſſima hujus aquæ ſubſtantia non inſinuet: quod mihi de nulla penitùs medicina purgante promittere poſſum. Si igitur, in acidularum uſu, alvus non reſpondeat, quartâ quavis die, una circi-

Acidularum differentiæ.

Fontis Ægrani mineræ.

Aqua ſtomachum calidum nõ gravat.

circiter, ante acidularum aſſumptionem, horâ *Syr. roſ. ſolut.* ℥x *vel* ℥iß capi poterit; & fluet egregiè alvus: aut moveri poterit *clyſtere ſimplici, ex lactis recenter mulſi, aut juſculi carnis librâ unâ, additis vitellis ovorum duobus, vel tribus, mellis cochlearibus duobus, olei olivarum* ℥ij. Miſce pro enemate: aut, ſi clyſteres faſtidiantur, ſegnior alvus irritanda erit *ſuppoſitoriis mellitis, aut globulis ſacchari moſchatis*, cavendo diagrydiata & gialappata. Si contingat, ut urina difficiliùs fluat, fluxum ejusdem promptiorem faciemus, ſi ſequentis, aut eidem ſimilis, pulveris ℈j. in primo acidularum cyatho, dederimus: Acidularum promotio per pharmaca.

℞. *Ocul. 69. præp.* ʒß.
tartar. vitriolat. ʒj.
ſal juniper. ℈ij.
geniſt.
abſynth. an. ℈j.

Miſce: fiat pulvis: de quo bonus cultri mucro, ad urinæ provocationem, ſufficit.

Plurimæ Thermarum dantur differentiæ; quarum aliæ ex natura ſua ſunt calidæ: aliæ verò, ob mineralium calefacientium penuriam & defectum, calefiunt arte; de quibus Authores videri poterunt. Noſtris hiſce in partibus maximè celebratæ, maximequè uſitatæ ſunt *Badenſes in Auſtria*, copioſo imprægnatæ *ſulphure*: ut propterea frigidis & humidis corporum humanorum malis, ut thoracis phlegmati, frigidæ ſtomachi, inteſtinorum, uteri, reliquarúmque partium intemperiei medeantur. Proinde retentorum menſium fluorem movent, album emendant, ſterilitatem, à cauſa frigida illatam, tollunt, hydropicorum aquas pellere creduntur, frigidas articulorum nervorúmque reſolutorum affectiones auferunt, amiſſum reſtituendo robur. Thermarum differentiæ.

Teplicenſes Thermæ, in Bohemia, Saxoniam verſus, ſituatæ, copioſo inficiuntur ſulphure, nitro, bitumine, alumine, & lapide calcario: ut ait Caſparus Schvvenckfeldt, *in ſuo, de iis, tractatu*: adeóque Teplicenſes.

que inveterato capitis dolori ſuccurrunt, vertigini medentur, nervorum contuſioni & paralyſi auferendæ ſerviunt, partium ſtuporem & tremorem tollunt, ſtranguriam & gonorrhœam curant, retentos menſes evocant, eorundem albedinem corrigunt, nimiam uteri lubricitatem demunt, & omnis generis ſcabiem, cutisque vitia ſanant.

Carolinæ, & earum virtutes.

Verùm enim verò hiſce longè celebriores, longeque efficaciores ſunt *Thermæ Carolinæ*, ad Elenbogen, in Bohemiæ Regno, ſcaturientes; quæ, copioſum *ſpiritum ſulphuris volatilem, lapidemque calcarium, ac nitri, aluminis, vitrioli, Martisquè mineram* habentes, non tantùm ad præcavendam ſuccorum melancholicorum generationem faciunt; verùm etiam omnimodæ jam tum natorum, viſceribúsque tenaciùs inhærentium evacuationi inſerviunt: qualiter ego, cum præclaro quodam ſtatûs Eccleſiaſtici Viro, Bohemiam inhabitante, paucis ab hinc annis, contigiſſe obſervavi; qui plùs quàm quatuor annorum ſpatio, tam horrendis melancholiæ & maniæ deliriis correptus fuit, ut catenarum compedúmque nervo eum coërcere opus fuerit: qui tandem, neſcio cujus altioris prudentiæ viri ſvaſu, ad Carolinas avectus, ſcaturientes ibidem thermas hauſit, tanto cum ſucceſſu, ut omnem, per alvum & urinam, peccantis materiæ immunditiem egeſſerit, & competentem viſceribus temperiem reſtituerit: quod faciendo, non ſolùm ad ſereniorem mentis auram rediit, ſed totaliter etiam amiſſo valetudinis ſtatui reſtitutus fuit. Ex quo divina *thermarum Carolinarum*, in opprimenda atræ bilis ferocia, & evacuanda ejusdem copiâ, virtus eluceſcit.

Thermæ Carolinæ non accendunt potæ.

Nec obſtat, quòd aliqui Medicorum dicant, *à thermarum Carolinarum* uſu, maximè verò potu, viſcerum oriri accenſionem, ideoquè calidioris complexionis hominibus eas obeſſe. Reſpondeo enim, primò: quod in hiſce ſeptentrionem reſpicientibus Provinciis raró ſit tanta viſcerum caliditas, ut *Carolinarum thermarum* uſum prohibeat: quin imò frequentiori docemur experientiâ,

tiâ, quòd viri, guttâ roſaceâ correpti, & proinde *fervidiore hepatis temperie dotati*, ut inquit Timæus, *caſu 20. lib. 6.* Jonſtonus, *cap. 5. lib. 6.* ex doctiſſimorum Medicorum conſiliis, *Carolinis* utantur *thermis*, tanto cum fructu, ut non modò à miſeriis, præter guttam roſaceam affligentibus, liberentur, ſed & temperatiorem hepatis conſtitutionem obtineant; quod ſanè non eveniret, ſi calidioris temperaturæ hominibus hæ thermæ nocerent. Reſpondeo, ſecundò: quòd à *Thermarum Carolinarum* potu, etiamſi ob minerarum ingredientium copiam ſint ſatis ferventes, viſcerum phlogoſes non inducantur, quoniam calida earum portio volatilis eſt, ideóque minimos etiam totius corporis poros citiùs tranſit, quàm ut viſcera accendat: quod ex eo vel maximè innoteſcit, quòd ſat calidæ conſtitutionis homines, hunc fontem bibentes, ſub ipſo potu, & uſu, aut ſolitò minùs, aut nihil omnino, ſitiant. Cujus pulcherrimam dat rationem expertiſſimus, & in *thermis Carolinis* verſatiſſimus Doctor Hillinger, *in ſuo, de thermis Carolinis, tractatu*, dicens, quòd *thermæ Carolinæ, præter vim ſuam calefacientem, etiam refrigerantem & humectantem habeant, à refrigerantium & humectantium minerarum commixtione oriundam. Hinc quotidianâ,* ut inquit, *experientiâ ſemper didici, quòd calidius habentes jecur, per plurimos dies, copioſè hunc fontem noſtrum hauſerint, absque tamen minima aucti caloris hepatici nota: quin potiùs omnis ab obſtructione cauſatus, in jecore, calor, ceſſante curâ, ſublatus fuit: quia thermæ Carolinæ debilitatum corporis calorem nativum adjuvant, non evertunt; membra, ſuâ humiditate, gratioſè humectant, non verò perverſo humore inficiunt. Quare multi Medici peregrini, quibus aut nulla, aut penitùs exigua eſt noſtrarum thermarum cognitio, peſſimè faciunt, dum hominibus thermas Carolinas diſſvadent, obvertentes, quòd calidioris naturæ hominum renibus & jecori noceant*: cùm tamen, præter Doctiſſimi Hillingeri obſervationes, etiam teſtetur Nævius, ut eſt apud Crato-

 nem,

nem, *Conſilio 161.* quòd *ipſæ renum ac veſicæ exulcerationes, per internum thermarum uſum, curentur.* Quantam igitur, in reſerandis venarum meſaraicarum obſtructionibus, & proinde in evacuanda ſuccorum melancholicorum ſaburra, potentiam habeant *Carolinæ thermæ*, quivis tum ex iis, hîc jam à nobis obiter allatis, facilè cognoſcet; tum ex iis aſſequetur, quæ in tractatu, à Doctiſſimo Doctore Hillinger, de *Carolinis* conſcripto, extant: quò, dum ad balnei aquæ dulcis examen tranſeo, benevolum Lectorem remitto.

Encomia balneorum aquæ dulcis.

Inſignem illam *balneorum aquæ dulcis* energiam, ſpecialémque virtutem, in averruncanda ſucci melancholici aggregatione, aut inſtituenda aggregati diſſipatione, quivis facilè cognoſcet, ſi Galenum, *lib. 3. de loc. affect. cap. 4.* adierit, dicentem, quòd *melancholiam, minimè inveteratam, frequentibus balneis ipſe aliàs curaverit;* ſiquidem, ut inquit divinus Medicorum Parens, Hippocrates, *lib. 2. de vict rat. ſect. 4. balnea aquæ potabilis humectant & refrigerant:* ideo ſuccis atrabilariis, ſpecialem ſiccitatem & caliditatem habentibus, reſiſtunt. Cùm autem balnea aquæ dulcis nunquàm facilè adhibeantur, niſi tepida fuerint; ideo moderato ſuo calore cutis ſpiracula aperiunt, degentes inter cutim, & exilioribus capillarium venarum ductibus immorantes humores attenuant, in vaporem reſolvunt, diſſipant, atque, hac ratione, totius corporis meatûs ampliant, hoſpitantes in meſenterio, aliiſque vicinorum viſcerum, & venarum cavitatibus; ſuccos tartareos aggrediuntur, eorúmque acredinem & caliditatem, ſalſedinem & ſiccitatem, benignâ ſua dulcedine, humiditate & frigiditate, eo attemperant modo, ut non ſolùm perverſæ, ex impura ſuccorum melancholicorum cloaca evaporantes, ſtomachum, hypochondriorum latera, cor, cerebrum, aliáſque corporis partes infeſtantes fuligines in auram evocentur: ſed & ipſimet vitioſi humores, per diuturniorem horum balneorum

uſum

uſum attemperati, educantur, atquè millena alia corporibus humanis beneficia præſtentur. Quod convenit doctrinæ Hippocratis, *lib. de rat. vict. in morb. acut.* tradentis: quòd *lateris, pectoris, & dorſi, dolorem balneum aquæ potabilis mitiget, ſputum maturet, educat, & facilem ſpirationem reddat, & laſſitudinem tollat; cùm articulos & extimam cutim emolliat, urinas provocet, capitis gravitatem ſolvat, & nares humectet. Atquè hujuſmodi bona balneo adſunt; quibus omnibus opus eſt.* Quapropter frequentior balnei aquæ dulcis uſus tam iis convenit, qui ad ſuccorum melancholicorum generationem inclinant; quàm iis, qui, præter melancholicos, etiam aliis calidis & ſiccis partium affectibus torquentur: ut patet ex Hippocrate, *libro jam citato*, dicente: *ſi in morbis calidis apparatûs convenientes fuerint, ægerquè non gravatè balneum ferre poſſe videatur; quotidiè lavare expedit. Lavandi autem cupidos ſi bis de die laveris, non peccabis.* Quamvis ego, ſalvâ tamen Divini Medicorum Principis doctrinâ, judicem, ſufficere, ſi quovis die ſemel, jejuno manè ſtomacho, corpus lavetur, per quatuor ſeptimanarum tempus continuando. Ubi tamen advertendum eſt, primò: ut corpus lavandum, per congrua purgantium medicamentorum genera, à nimia cacochymicorum ſuccorum illuvie priùs ſit benè liberatum, quàm ad balnei uſum deſcendatur. Secundò: ne corpus catarrhis repletum, aut vehementer obnoxium, balneo utatur: quia, dicente Hippocrate, *balneum nares humectat*, unde catarrhi augeri poſſunt, atquè aucti repentinæ ſuffocationis metum inducere. Tertiò: ne corpus lavetur, antequàm cibus, in menſâ aſſumptus, ſit digeſtus; quoniam calor, circa digeſtionem impeditus, ab opere ſuo avocatur, cibos relinquendo indigeſtos; ex quorum indigeſtione cruditas ſubſequitur. Quartò monet Hippocrates, *lib. de rat. victûs in morb. acut.* quòd, *quibus alvus eſt, in morbis, plus æquo humida, iis balneum minimè ſit opportunum: neque iis, quibus*

Quibus ſerviant.

plùs juſto ſiſtitur, neque priùs ſoluta eſt. Sed neque eos, qui viribus ſunt exolutis, lavare oportet, neque ſtomachi faſtidio laborantes, neque vomiturientes, neque bilioſum eructantes, neque quibus ſanguis ex naribus profluit; niſi parciùs, quàm occaſio poſtulat, effluat.

Denique tam eximias, tamquè excellentes balnei aquæ dulcis, ritè adhibiti, virtutes ego ſemper inveni, ut auſim dicere, quòd omnis ſtatûs ac altioris conditionis, atquè provectioris ætatis, perſonas à gravioribus hypochondriorum obſtructionibus, vehementioribusquè eorum inflationibus liberaverim, quæ adhuc vitæ, bonæq; valetudini ſuperſtites vivunt; quas, ob deliquiorum frequentiam, flatuum latera diſtendentium & lacerantium copiam, cordis palpitationum vehementiam, & vigiliarum contumaciam, nullus omninò ſupervicturas putabat. Ut propterea melancholicæ diſpoſitioni ſubjectis balnei aquæ dulcis uſum tum præſervationis, tum curationis causâ unicè recommendatum eſſe, velim; id ſingulos obteſtando, ut, ubi, curationis gratiâ, balneum adhibetur, corpus, ante ejus inchoationem, à nimia perverſorum ſuccorum illuvie ſit liberatum: dum verò actu ejus uſus continuatur, quâvis octavâ die, medicinâ minorante corpus repurgetur, ut materia, ab aquæ energia, in viſceribus diſpoſita, educatur. Si verò præſervationis ratione uſurpetur, ejus uſum ſingulis ſeptimanis bis, vel ter, factum approbamus; maximè ſi quovis menſe ſemel corpus à copioſiore ſaburra, per pharmacum conveniens, fuerit evacuatum.

Propria experientia.

Præter jam enarrata remediorum genera, è regno microcoſmico, ſeu minerali, deſumpta, & ſuccorum melancholicorum imperium potentiùs expurgantia, occurrit *Chalybs, qui,* dicente Schrödero, *cap. 11. lib. 3.* nihil aliud eſt, *quàm ferrum optimè purgatum: ideoquè, loco ferri, chalybem accipere praſtat; quia diverſis dotatus eſt viribus, abſtergendi ſcilicet, & aperiendi. Vis aperitiva in volatiliori potiſſimum reſidet parte; ac proinde in ſale: vis*

Effectus chalybis, in melancholicis affectibus.

vis adſtrictoria in fixiori, adeoquè in terra latitat: quæ ultima vis, in chalybe, adverſus ſuccos melancholicos duellante, abeſſe debet. Diverſæ autem medicamentorum ſpecies ex chalybe ab Authoribus præparantur; ut *magiſterium Martis aperitivum Mynſichti;* quo is, *ob ſingularem aperiendi, diſſolvendi & ſiccandi virtutem, in hepatis, lienis, & venarum meſaraicarum oppilationibus inveteratis* utitur: atque idem, *ob ſingularem,* quam habet, *proprietatem diſſolvendi, attenuandi & præparandi atram bilem, in curatione melancholiæ, icteritiæ nigræ, & quartanæ, utpote experimentum ſpeciale, adhibet. Crocum Martis aperitivum,* per calcinationem fuſoriam, vel ex vitriolo Martis, parant alii; ut Quercetanus; cui inſignem *reſerandi, aperiendi, & attenuandi vim* tribuunt; dicente Schrödero. *Aſt cæteris omnibus palmam præripere ſal, ſeu vitriolum Martis,* vult Höferus, *in Hercule ſuo Medico, cap. 3. lib. 3. pag. 201.* quod *obſtructiones,* ut ait, *aperit, viſcera corroborat, earumquè calidam intemperiem emendat.* Alii *tincturas Martis, tam ſimplices, quàm compoſitas,* commendant: ſimplices ſunt potûs, per repetitas chalybis igniti extinctiones fieri ſoliti; qualis eſt *vinum chalybeatum Riverii;* quo ille, ad tollendas hepatis obſtructiones, pro potu ordinario, etiam per menſes continuato, utitur. Tale quoque eſt *vinum chalybeatum Quercetani;* cujus deſcriptio *in diatetico polyhiſtorico, capite ultimo, de Vinis medicamentoſis,* extat. *Tincturarum compoſitarum* infinitus propemodum numerus apud Authores eſt, quibus ego prætermiſſis, illas tantùm attingo, quæ mihi maximè ſunt uſui; quales *ex chalybe ritè præparato, & citri, aut berberum, ſucco* conficio; quibus, cum *jure galli veteris,* aut *caponis,* tantâ hactenus felicitate uſus fui, ut ad fortiorum &, ob menſtruorum acrimoniam, ſuſpectarum tincturarum uſum transgredi non fuerit opus. Natura enim, violentiæ impatiens, coacta facilè ſuccumbit; cùm, è contra, ſuaviſſimis leviorum medicinarum adminiculis ſublevata,

reſpi-

reſpiret. Taliter novi, quandam, præclaræ virtutis, magniq; ſtemmatis Matronam fuiſſe curatam, quæ diu multúmque ab hypochondriaca affectione excruciata fuit; absque ullo medicamentorum, quorum tamen plurima ſumpſit, profectu. Hæc tandem, leviori uſa medicinâ, nimirum, omni, vel alterno mane, *quinque ſpiritûs vitrioli guttulis, ex juſculo galli veteris,* cui incoctæ fuerant *radic. 5. aperient. major. an.* ℈*ij. flor. cichor. ſylveſtr. pij.* ſumptis: poſt cujus medicamenti continuationem, per anni quadrantis ſpatium durantem, ita reſtituta fuit, ut ne minimum hujus mali indicium ampliùs notaverit. Ubi advertendum eſt, quòd eadem Matrona cordis anxietatibus, ab aſcendentium fuliginum melancholicarum adverſitate oriundis, unâ alterâve *olei, ex croco deſtillati, guttulâ,* cum liquore convenienti adhibitâ mederetur; eò, quòd diceret, ſe ex doctiſſimo quodam Medico habere, quòd *oleum Croci deſtillatum* quemvis etiam triſtiſſimum refocillet lætaríque faciat. Verùm, quamvis melancholicorum cura adeò difficilis, *ut tormentum, crux, & opprobrium Medicorum,* à nonnullis, dicatur; tum propter errores, ab ægris in diæta committi ſolitos, tum mali pertinaciam, etiam difficile eſt, imò quaſi impoſſibile, talia hic ſtatuere remedia, quibus infallibilem mali ſublationem promittere poſſim: nihilominus hoc addere placuit, quo ego, inter reliqua, ſæpiùs, feliciſſimè uſus fui, in tenacioribus meſenterii obſtructionibus, à ſucco melancholico prognatis:

Spiritûs Vitrioli efficacia.

℞. *Conſerva florum borraginis,*
cochleariæ,
fumariæ, an. ℥ß.
elect. de ſucco roſarum ſolutivi ℥*ij.*
croci Martis aperitivi ʒ*vi.*
ſpecierum diaſennæ Montagnanæ,
diarrhodonis Abbatis, an ʒ*iiß.*
antimonii diaphoretici recenter calcinati ʒ*ij.*

Cum

Cum ſufficienti quantitate ſyrupi de pomis, à Cratone, conſilio 186. deſcripti, miſce: fiat electuarium de quo, omni mane, ℥j. vel ℥iß. vel ℥ij. ad ſummum, accipiantur, continuando per notabile tempus, usque dum mali melancholici radix ſufficienter evulſa eſſe putetur. Leve quidem, ſed efficax hoc eſt medicamentum, quo tutè utimur; *cùm fortes purgationes, & medicamenta immodicè calefacientia, tanquam maximè noxia, ſint fugienda. Nec ſæpè Medici ſunt mutandi: licet hoc proprium ſit melancholicorum. Dum enim, juxta horum arbitrium, non fit mutatio ſubita in melius, & in Medicos, qui polliceri quidvis audent, incidunt; relictis bonis remediis, ad alia animum applicant. Atque hoc quidem non ſolùm malum ipſis auget, verùm curationem difficilem atque periculoſam reddit:* inquiente Cratone, *lib. conſil. medicinal. conſil. 186.* Quemadmodum enim planta raro ſuccreſcit in radicem, quæ frequenter de loco in locum transfertur; ſic quoque vulnus difficulter in cicatricem denſatur, ſi ejus pharmacum ſæpiùs mutetur.

Faceſſat proinde procul hinc ad ultimam non tantùm Thulem, ſed ab Orbe penitùs univerſo, imperitum illud Medicaſtrorum vulgus, qui, licet non tantùm Philoſophiæ ſe ignaros, aut jam oblitos, jactitent, ſed & ſolidâ medendi (quod conſequens eſt) ſcientiâ ſint deſtituti; Æſculapii tamen ſibimetipſis, aliis videri volunt; dummodo quædam præſcribere pharmaca nôrint, quorum, contra certos morbos, uſum peritis, doctisquè Medicis familiarem eſſe, cognoverunt. Quos quàm crebrò, graviterque, non ſine manifeſto humanæ vitæ diſpendio, hallucinari, neceſſum ſit; dum ſimilibus morbis ſimilia ubique pharmaca adhibent; licet diſpar ægrotantium complexio, diſpares morbi cauſæ, diverſa ægritudinis incrementa & decrementa, diſſimile clima, diſſimilisque loci & temporis ratio aliud exigat: facilè quisquè perſpicit, qui amplius aliquid noctuis, aut talpis, videt. Nimirum dum hæ Medicorum ſimiæ artem, ſine arte, affectant, & morbos (quorum Empiricorũ proſcriptio.

rum nec indagant, nec noſcunt principia) pharmacis (quorum vim virtutemquè non ſuomet ingenio & experientiâ, ſed alieno duntaxat uſu, noverunt) curare aggrediuntur; ſæpiſſimè evenit, ut toxica, pro pharmacis; pro antidotis, aconita; mortem, pro vita propinent; & veſpillones potiùs, quam Medici; Hoplomachi, quàm Ophthalmici munus obeant. Ut in rudem hujusmodi farinæ Medicaſtrum, jam olim, non invenuſtè luſit Martialis, *Epigram. lib. 1. epigr. 47.*

Nuper erat Medicus; nunc eſt Veſpillo Diaulus.
Quod Veſpillo facit; fecerat & Medicus.

Et iterum, *epigram. lib. 8. epigr. 74.* ait:

Hoplomachus nunc es; fueras Ophthalmicus ante:
Feciſti Medicus, quod facis Hoplomachus.

Et ſiquidem Idiotæ iſti, atque carnati Medicaſtri, doctiores ſe ipſis ſemper nanciſcerentur ægros, qui morborum cauſas ex iis ſciſcitarentur, &, ſi ignorarent, huncin modum, cum Ariſtotele, reprehenderent: *Ne me cures ut bubulcum, vel ut foſſorem, ſed priùs cauſam ediſſere: ſic enim facili perſvaſione me morigerum reddideris:* minùs certè Reipublicæ noxii forent. At cùm imperitum vulgus imperitos plerunque aſſciſcat Medicos, ſéque iis concredat: fieri aliud omnino non poteſt, quàm quod ſolet, dum cæcus cæcum ducit: nimirùm ut uterquè, hoc eſt, potiſſima hominum pars, in profundam ſepulchri; ignari verò Medici in dedecoris & infamiæ foveam decidant, & miſerè pereant. Atque utinam hæc dedecoris infamiæq; macula ſolos Idiotas, ut medentur, notaret; neque ea peritiſſimos etiam Archiatros aſpergeret! Sed ſecus plerunque evenire videmus; dum, quòd à paucis perperam geſtum eſt, mox pluribus tribuitur, &, ob palmares, in arte Medendi, à rudibus commiſſos errores, venerandum Medici nomen paſſim graviter vapulat & traducitur. Quapropter, non modò ad conſervandam humanam Rempublicam, ſed tuendam etiam facul-

facultatis Medicæ excellentiam, quod vix ſperandum eſt, optandum tamen omnino eſſet: ut lex à Cardano, *in comment. in aphoriſ. Hippocratis 50. ſect. 5.* allata ubique gentium reciperetur, quâ cautum eſt, ut *nemo, ſub pœna capitis, ad Medicinam exercendam admittatur, niſi qui bonus Mathematicus, Dialecticus, ac naturalis Philoſophus fuerit.* Hujus vigore legis præcluderetur Agyrtis & Stentoribus ad Urbes aditus, quas jam, omnis pœnæ metu ſoluti, liberè obeunt, & ingens inſuper, pro fuco, quem rudi popello faciunt, lucrum reportant. Hujus edicto legis proſcriberentur ex Urbibus lippientes & edentulæ anûs, ac Striges, quæ & ipſæ, licet fortè, præter Theſſala Medeæ carmina, vix aliud nôrint; medendi tamen artem non tantùm in privatis, ſed Magnatum etiam ædibus impunè exercent. Hujus denique legis fræno coërceretur quorundam Medicinæ Tyronum præcox licentia; qui, tametſi primoribus Galenum labris vix delibârint, aphoriſmos tamen Medicos, plenis, etiam inter pocula, buccis eructant, &, quam diuturniore ſtudio, uſu longiore, ac frequenti probatiſſimorum Authorum lectione, comparare debuiſſent, ſcientiam, eam non, niſi per graviſſimos & irrevocabiles, in vitæ ac medelæ negotio, admiſſos errores, non ſine plurimorum cæde, ſerò nimis, condiſcunt. Quos quidem ſi quiſpiam ſicarios potiùs, quàm Medicos compellârit, næ is, ad mentem Baſſiani Landi, ſummi & Philoſophi & Medici, perquàm appoſitè dixerit. Hic enim, ut refert Laurentius Bayerling, *Biblioth. tom. 5.* Patavii cuidam Germano, Doctoralem Lauream (etſi Inſtitutionibus Medicis leviter admodùm tinctus eſſet) aſpiranti, & ignorantiæ cauſâ, à plerisque rejecto; ſenis tamen cujusdam conſilio, doctoralem Galerum idcirco collatum fuiſſe, aſſerit, *quòd ſenex judicarit, hanc optatiſſimam eſſe ſumendæ, de Germanis (qui Maximiliani Primi auſpiciis, agrum & Urbem Patavinam vaſtarunt) vindictæ occaſionem, ſi blandos ſicarios, Medicorum*

Lex Cardani, de proſcribendis Medicaſtris.

eorum larvâ tumentes, Germaniæ Patavini ſubmitterent, qui non Urbes, ſed homines; non plebejos (quorum pauci in ea gente Medicis uterentur) ſed nobiliſſimos quosque, ſuâ imperitiâ è medio tollerent, eamquè Germaniæ cladem inferrent clanculum, quam, aperto Marte, per hoſtiles copias, infligere nequiviſſent.

Quales Medici à rebus publicis eligendi.

Viderint proinde, quibus publicæ Urbium & Civium ſaluti conſulere, ex officio, incumbit; an ſuis ex æquo muniis ſatisfaciant, dum, ſine prævio artis difficillimæ experimento, quin & ſine omni delectu, Idiotas quosvis, hoc ipſo, quòd ſe Medicos profitentur (quaſi ſola profeſſio, non operatio, Medicum faceret) in ſuas urbes liberè admmittunt, iisdémque inter ſuos locum, aſſignato liberali ſtipendio, concedunt. Taxavit graviter hanc, & Medicorum rudium inſcitiam, & nimiam Magiſtratûs, in iis tolerandis, conniventiam jam olim Plinius, *lib. 29. cap. 1.* in hæc ferè verba (quæ coronidis loco attexo) ſcribens: *In hac ſola* (Medicinam intelligit) *artium evenit, ut cuicunque, Medicum ſe profitenti, ſtatim credatur: cùm ſit periculum in nullo mendacio majus: non tamen illud intuemur; adeò blanda eſt ſpirandi pro ſe cuique dulcedo! Nulla præterea lex, quæ puniat inſcitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Diſcunt Idiotæ iſti periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt; Medicaſtrisquè iſtiusmodi ſolùm hominem occidiſſe, ſumma impunitas eſt.* Atque hæc, de humoribus firmam corporis humani valetudinem evertentibus, longiorique vitæ productioni obſtantibus dixiſſe, ſufficiat. Nobis verò nunc ad illas qualitates transeundem eſt, quæ vi quâdam occultâ, nobisquè incognitâ, validæ corporis diſpoſitioni non tantùm inſidiantur, ſed, eandem etiam deſtruentes, vitam nonnunquam ex improviſo interrumpunt.

CAPUT

CAPUT X.

De malignis venenatarum qualitatum operationibus.

Cùm ſpecialibus, hucusque, capitibus, de humorum tum alimentariorum, tum excrementitiorum natura egerimus, atque monſtraverimus, quanta bona ab iisdem, ſtatum naturalem ſervantibus, firmæ valetudini vitæquè productioni addantur; atque etiam dixerimus, quanti ab iisdem, limites naturales æquò longiùs transgredientibus, nimiúmque degenerantibus, vitæ diutiùs protrahendæ obices obtrudantur: reſtat nunc, ut de iis tractemus, quæ vi ſubitâ, nobisquè incognitâ, ſecundum valetudinis ſtatum evertunt, ac vitam repentè tollunt. Nam quatuor modis fatalis humanæ vitæ epilogus contingere ſolet. Aut enim, ob conſumpta nativa vitæ principia, humidum videlicet radicale, nativúmque calorem, morimur; qui moriendi modus, uti mitiſſimus, omni dolore caret; ita rariſſimus contingit: aut ab exitialium morborum vehementia, & immanitate extinguimur; ut in fortiſſima corporis apoplexia, dyſentericis alvi fluoribus, plevriticis laterum puncturis, ſuffocativis ad pulmones deſtillationibus, igneis febrium æſtibus, aliisque graviſſimorum morborum ſævitiis videre eſt; aut violentâ morte delemur; ut evenit, quando in medio procellarum ſuffocamur, à gladii ferocia percutimur, globorum violentiâ trajicimur, ab improviſo lapidis, vel aliarum rerum impetu opprimimur, aut denique à morbis, ignoto modo ſanitatem vitamquè evertentibus, in ipſo etiam vitæ flore, abripimur: ut contingit in dyſenteriis malignis, febriúmque venenatarum ac peſtilentialium, populariter graſſantium immanitate: quæ mala in uni-

Vita quatuor modis abbreviatur.

univerſum non rarò mundum ita fuêre debacchata, ut vix tertiam hominum partem vitæ reliquerint ſuperſtitem, non attentis efficaciſſimis iis antidotorum virtutibus, quibus ferocientem in corporis viſcera malignitatem, indeſeſſo penitùs labore, oppugnarunt ſolertiſſimi Medicinæ Duces; aliquando nihil; aliquando verò ſumma cum difficultate aliquid efficiendo. Ut propterea operæ pretium eſſe duxerim, hic paucula quædam annectere, quæ ad valetudinem, â pernicioſo hoc fermento vindicandam, vitámque in longius ævum protrahendam, neceſſaria eſſe judicavi: quod ut eò fructuoſiùs perficiatur, inquirendum eſt, quid ſit venenum, aut peſtilens & maligna qualitas.

Venenum naturæ contrarium.

Galenus, *lib. 3. de temperament. illud Venenum* dicit, *quod eſt contrarium naturæ humanæ, ratione ſubſtantiæ*: &, ut aſſerit Capivaccius, *lib. 7. cap. 1. ob diſſimilem naturæ humanæ formam, interficit.* Alii dicunt: *Venenum eſſe medicamentum exitiale, quod totâ ſui mixtionis ratione, & hinc emergentibus proprietatibus, hominis naturæ toto genere plerunque eſt contrarium, eam corrumpens, vitámque devaſtans.* Diverſas autem Venenorum ſpecies ab ipſo rerum eventu quotidiè docemur. Videmus enim, quòd alia è mineralium foſſilium regno eruantur: ut *arſenicum, Mercurius*, &, juxta potiorum Medicorum ſententiam, *antimonium*: alia ex vegetabilium proſapia extrahantur; quorum vel *radices*, ut *cicutæ*; vel *folia*, ut *aconiti*, *napelli*; vel *ſemina*, ut *hyoſcyami*; vel *ſucci*, ut *opium*, in uſum veniunt: alia demum ex animalium familia deſumantur; quando aut ipſa animalia exhibentur integra, ut *aranei*, *hirudines*; ex quibus vivis deglutitis, puerum quendam demortuum fuiſſe, narrat Timæus, *Caſu 19. lib. 7.* aut animalium partes, in pulverem redactæ, offeruntur; vel, in ſaniem liquefactæ, propinantur; ut *viperæ, cantharides, bufones, aranei, ſanies viperina, canis rabidi ſpuma, carnes quadrupedum rabidorum, fulmine tactorum, aut peſte extinctorum.*

Veneni definitio.

Venenum triplicis eſt generis.

rum. Nam omnes, quicunque eſitant de animalium rabidorum carnibus, non multo pòſt tempore rabie corripiuntur, & pereunt, niſi ſibi maturè proſpiciant; innuente Fernelio, *lib. 2. de abdit. rerum cauſ. cap. 14.* Cujus ſententiæ ſuffragatur Matthiolus, *in lib. 6. Dioſcoridis*, dicens: *in animalibus ea omnia veneno inficiunt, quæ naturæ humanæ, idioſyncraſiâ ſuâ, adverſantur; ut patet in morticinis carnibus, aut à fulmine occiſis, aut à venenoſis & rabidis animalibus interemptis. Cæterùm, hac in re, licet nonnulli dicant, venenum cum vitâ animalis conſumi, eo ducti exemplo, quòd cervi, & reliquarum ferarum, venenatis ſagittis interfectarum, carnes innocuè comedantur; ſcire tamen oportet, hanc regulam deficere in his, quæ peſtis & rabies, aut fulminis ictus, aut venenoſorum morſus enecat. Quandoquidem complures vidi mortuos eſſe, qui tantùm boves peſte confectos excoriaverunt; haud aliter toto corpore tumentes, ac ſi in hydropem incurriſſent.*

Non minori virulentiâ pollent *cerebrum cati, viperæ, aliorúmque ſerpentum ſpuma, vaccarum,* à canibus, vulpibus, aut aliis animalibus rabidis *morſarum lac, taurique ſanguis.* Nam ſanguine tauri (ut aliarum hiſtoriarum enarrationi parcam) Themiſtoclem, togâ ſagóque præſtantiſſimum virum, & Xerxis, potentiſſimi Perſarum Regis, exercitûs Principem obiiſſe, teſtatur Valerius Maximus, *lib. 5. cap. 6. Ideo enim*, ut loquitur Cælius, apud Plutarchum, *ſanguis taurinus eſt peſtilens, quòd citò coëat, & obdureſcat.* Si ergo, dicente Galeno, *lib. 8. de placit. Hippocratis & Platonis, à ſanguine humano*, utpote bubulo longè tenuiore, *in ventre, per magna vulnera, in grumum coaleſcente, extrema pericula inducuntur;* quid non periculi à ſanguine bubulo inferetur, qui, volente eodem Galeno, *lib. 3. de aliment. cap. 17. craſſus eſt, atque melancholicus?*

Excrementa Beſtiarum venenata.

Hæc autem venena, ex triplici regno oriunda, diverſis plerunque modis in penitiores corporis receſſûs propagantur. Nam

Diverſimodè venena corporibus communicantur.

Nam aliquando malignæ & venenatæ qualitates, ex ſubjecto ſuæ inhæſionis evaporantes, aëri commiſcentur; qui cùm, quovis temporis momento, per os & nares attrahatur, & per tenuiſſimos cutis poros ſeſe inſinuet, neceſſariò accidit, ut venenatæ aërique commixtæ qualitates unà cum aëre attrahantur, atquè ſubitò, vel paulatim, cordis primariò, reliquorum autem viſcerum œconomiam ſecundariò evertant, ſanguinem & ſpiritûs vitales corrumpant, tandemquè emori faciant: prout major, vel minor earundem fuerit energia. Alia venena cum eſculentis & poculentis, aut per ſe, aut à nefario ſceleratiſſimorum hominum auſu, commixta aſſumuntur; aut etiam cum pharmacis hauriuntur. Alia, extrinſecùs corporis partibus admota, vel planè enecant, vel corpus graviſſimè afficiunt: ut contingit, quando ſalvâ canis rabidi maculamur, vel peſtilentis auræ afflatu offendimur, vel chirothecis veneno infectis utimur, vel à venenato animali tangimur: qualiter cuidam Societatis Jesu Religioſo eveniſſe novi; qui, veſperi, à diurnorum laborum vehementiâ valde laſſatus, domum rediit, paucoque alimento refectus, cubitum ſe recepit, apertam cubicelli ſui feneſtram relinquens: per quàm, nocturnis horis, ingreſſus ſerpens, ſeſe tam arctè dormientis corpori aliquoties circumvolvit, ut roſtrum dormientis ori appoſuerit. Quo per aliquot horarum ſpatium continuato, venenum ſuum tam altè quieſcentis partibus attactis impreſſit, ut illud nullis artis antidotis exturbari potuerit; licet per frequentiorem præſtantium diaphoreticorum repetitionem cautum fuerit, quò minùs nobiliores corporis partes virus peteret: caro tamen contacta per totam præſertim faciem ita computruit, ut, maxillis ab omni carne denudatis, & guttur ipſum putredinis nævo conſumptum fuerit, ubi tandem, inter piiſſima ad DEUM ſuſpiria, fatis concedere neceſſum fuit.

Per Aërem.

Per Cibum.

Per Admotionem.

Alia

Alia venena per Vulnerum inflictiones corporibus humanis communicantur: qualiter fieri videmus in venenatorum animalium morſibus, crabronum, veſparum & ſcorpionum ictibus, globorum telorumquè venenatorum vulnerationibus: qualia Parthorum tela fuiſſe videntur, ut colligitur ex Ovidio, *1. de Pont. el. 2.* ſic modulante: Per Vulnera.

Qui, mortis ſævo celerent ut vulnere cauſas,
Omnia vipereo ſpiculà felle linunt.

Nam, teſte Plinio, *lib. 11. cap. 52. fiebant ex ſanie viperina, & cruore humano. Sunt & alia venena*, inquiente Matthiolo, *lib. 6. in Dioſcoridem, quæ olfactu tantùm præſentaneam afferunt mortem iis, qui ea naribus admoverint. Hujus ſummæ malitiæ ſedem illud ſanè tenere debebat, quo florem, recentioribus Vetonicam vocatum, Senis quidam Circumforaneus infecerat, ex his, qui innocuè venenum devorare profitentur: quem cùm olfaciendum exhibuiſſet, ſuo concurrenti in publico Senenſi foro, is ex ſolo olfactu derepentè concidit mortuus.* Per olfactum.

Denique diverſa ſunt venenorum genera, quæ, per diverſas corporis humani vias, cor, vitæ fontem, ſubintrare ſolent; quem tum manifeſtâ, tum occultâ qualitate, nunc fortiùs, nunc verò debilius infeſtant, lædunt & expugnant: prout jam vehementiorem; jam verò debiliorem agendi virtutem nacta fuerint, & in corpus, ſibi, à manifeſtis qualitatibus, valde analogum & amicum inciderint. Ut ſi venenum, v. g. manifeſtis qualitatibus valdè calidum, hominem inſigniter calidum offenderit, citius, & in minori quantitate exhibitum, jugulabit, quàm eum, qui debilioris eſt caloris. Calida enim corporis conſtitutio ſumpti veneni qualitates ita promovet, ut velociter ad cor perducatur. Nam digeſtivus ſtomachi Vulcanus non per ſe, ſed per accidens, latentes venenorum qualitates actutum excitat; dum nimirum in alimentorum præparatione, eorúmque diſtributione occupatur, neceſſariò Fortiùs & citiùs à veneno læduntur calidi.

omnia calefacit, quæ in concoquentium organorum cavitatibus reperiuntur, & inter reliquas digerendorum alimentorum ſpecies, etiam venena calefacit: non quidem intentione naturæ, ſed actione communi, quæ calori digeſtivo eſt innata. Quantò igitur corpora veneno infecta fuerint calidiora, tantò faciliùs veneni potentia in actum prorumpit; cùm facili negotio in tenuem reſolvatur vaporem, qui, ob tenuitatem ſuam, velociter cor ingreditur, illud accendit, & taliter calefacit, ut calorem nativum, in humido radicali ſubſiſtentem, diſſolvat, vel inflammando; ut *Euphorbium*; vel corrodendo; ut *lepus marinus*: quo Titum, clariſſimum Romanorum Imperatorem, à fratre Domitiano ſublatum fuiſſe, tradunt Hiſtorici. Alia dantur venena, quibus, præter occultas qualitates, etiam vehemens frigiditas ineſt, quæ effectûs ſuos edere non poſſunt, niſi ſufficienti corporis calore vis eorum deleteria excitetur: ut placet Galeno, *lib. 3. de ſimpl. med. facult. cap. 17.* ubi ait: *frigida deleteriáque medicamenta, utpote cicuta, papaver, hyoſcyami ſemen, mandragora, & alia id genus, citiùs, magiſque in calidis naturis vim ſuam exerunt; quia innata nobis caliditas & intrò ad ſe attrahit, & comminuendo attenuat.* Cùm igitur hæc venena, jamjam nominata, atque alia, iis in frigiditate ſimilia, *ſint craſſa, & ad motum inepta, aſcititiam caliditatem requirunt, quæ craſſa in minuta extenuet, ac veluti manu ducat in ſubtiles meatûs.* Hæc itaque venenatæ materiæ, atquè à calore priùs attenuatæ, frigiditas adeò maligna & nociva eſt, ut, ubi cor, & reliqua corporis viſcera, pervadens, eadem immoderatè refrigeravit, ſtipticâ poſtmodum veneni poteſtate ſpiritûs, floridam ſanguinis maſſam oberrantes, condenſet, aut diſtrahat, aut penitùs diſſipet; &, diſtracto hunc in modum ſubtiliore ſanguinis latice, reliqua fæculentî cruoris amurca incraſſetur, & quaſi coaguletur. Unde ſanguis in venarum, arteriarum, reliquorumquè viſcerum cavitatibus,

bus, craſſior effectus, eo circulationis motu deſtituitur, quo ad ſanguinis conſervationem opus eſt; qui, ad penitiores cordis ſinûs delatus, ibidem ſtagnat, & ſuperſtitem nativum cordis calorem extinguit, tam frequentes inferendo nonunquam ſyncopes & lipothymias, ſpasmos & convulſiones, ut tandem ipſiusmet cordis motus ſiſtatur & auferatur; cujus motûs ablatio eſt ipſiusmet mortis locatio. *Quàm primùm enim adimitur actus motûs, homo ſtatim moritur; quia mors nihil eſt aliud quàm quies & immobilitas cordis*; docente Capivaccio, *lib. 7. cap. 3. & ideo nullum animal interire poteſt, niſi cor ab agendi munere ceſſet*: ut ait Galenus, *lib. 3. de ſimpl. med. facult. cap. 17.*

Cùm ergo hæc venena, ex triplici fonte promanantia, à quovis ſtudioſo diuturnioris vitæ, ac valetudinis cultore, per diligentem ſui cuſtodiam & obſervationem præcaveri poſſint, ad libellam examinando & advertendo, quid, & quale eſculentorum potulentorumquè genus quotidiè aſſumatur: à quo, & an à ſatis probatæ fidei homine ſint parata & oblata: utrum ſyncero; utrum verò ſuſpecto hominum commercio fruatur: quis ſit loci, fixæ habitationi deſignati, ſitus & puritas: exactè, inquam, cavere oportet, ne animalia, vegetabilia, & mineralia, infeſto veneni ſeminio infecta, tractemus: ſingulis manè diebus, antidoto quodam, tam internè naſcentis, quàm externè advenientis veneni inſidiis reluctante utamur: quale eſt *Theriaca* & *Mithridatium*; quo, divinæ prorſùs virtutis, antidoto Rex olim Mithridates, ut invento proprio, corpus ſuum, adverſus omnem venenorum tincturam, & violentiam, tanto ſucceſſu armavit, ut, cùm vellet ſeipſum, à Pompejo victum, ſæpius reiterato veneno tollere, non potuerit; referente Plinio, *lib. 25. cap. 2.* & Galeno, *lib. de Theriaca ad Piſonem*, ubi inquit: *Hæc antidotus ſensûs omnes confirmat, acuit mentem, adeòque, ob varietatem miſcellæ, ab injuriis corpus ſecurum facit, ut ne à deleteriis quidem evinci poſſit: ceu fertur de Mithri-*

Qualiter à veneni ſumptione nos tueamur.

Theriacæ & Mithridatii virtus contra venenũ.

thridate; qui non Theriacâ (ut quæ nondum erat) ſed aliâ antidoto, quam Mithridatium appellavit, ſuo nomine, præmunitus, non potuit veneno interire. Regis Mithridatii mors. *Cùm enim, à Pompejo victus, in extremis cogeretur, ſibi ſano, per venenum, mortem conſciſcere, medicamento copioſo epoto; ipſe quidem, ob præſumptam antidotum, vitâ defungi non potuit; Filiæ autem, quæ, ob eximium, erga Patrem, amorem, oppetere cum eo mortem volentes, idem medicamentum hauſerunt, ſubitò animam exhalarunt. Quod Mithridates ſentiens, Pyſto, ſuo familiari, injunxit, ut ipſum jugularet: qui, Pharmaci opus abſolvens, ferro eum mori violenter coëgit. Tantæ nimirum virtutis eſt Mithridatium, in fugando veneno.* Quin imò novi & ego homines, qui quotidianâ Theriacæ, aut Mithridatii ſumptione, eò felicitatis pervenerunt, ut non ſolùm morbos, frequentiùs invadentes, radicitùs curaverint; ſed etiam, poſt continuatum quotidiè earum confectionum uſum, longiſſimum annorum tempus, cum inſigni corporis animiquè vigore & valore, absque omni morborum impetu, tranſegerint. Quod non admiratione, ſed imitatione dignum eſt. Siquidem Mithridatium, & Theriaca, ex tam diverſis & præſtanti valore conſtantibus, medicamentis componuntur, ut non poſſint non naturam inſtaurare, & adverſus ferociſſimam venenorum potentiam ac perniciem præmunire.

Verùm enim verò, quemadmodùm Respublica ab exterarum gentium bellis non facilè vincitur, niſi inteſtinis animorum diſſidiis, clandeſtiníſque hominum proditionibus laceretur atque conficiatur; adeò, ut, eam ob cauſam, Reſpublica animal immortale nominari poſſit, niſi ſibi ipſi mortem conciſcat: ſic quoque raṙò accidit, ut ab alia veneni ferocia humanæ vitæ curſus abbrevietur, niſi eo, quod, ob ſpecialem humorum diſpoſitionem, in intrinſecis viſcerum latebris naſcitur, aut, ob univerſalem aëris & alimentorum infectionem, corpori communicatur. Venenum in corpore natum cur peſſimum. Quod non minùs clarè, quàm

quàm verè, ab ipſo divino Medicorum Patre, Hippocrate, docetur, dum, *lib. de flatib.* inquit: *Sunt autem duo febrium genera: unum quidem, omnibus commune, Peſtis appellatur; quando aër inquinamentis hujusmodi, quæ hominum naturæ adverſantur, plenus fuerit. Alterum ob privatam cujusquè victûs rationem contingit; cùm quis copioſiores cibos, aut liquidos, aut ſiccos corpori exhibet, quàm ipſum ferre poſſit; neque labore aliquo ciborum copiam compenſat. Deinde cùm varios & diſſimiles inter ſe cibos immittit. Diſſimilia enim ſeditionem excitant; & alia citiùs, alia tardiùs concoquuntur.* Qui celeriùs coquuntur, ſuperaſſantur & corrumpuntur, & millenas noxas, imò mortem ipſam, inferunt. Quod inſinuari videtur ab eodem Hippocrate, *lib. 4. de morb.* ubi ita ſcribit: *humores pravi, intùs corrupti, depaſcuntur proxima quæque ex bonis, atque extenduntur, donec omne vitæ alimentum putridus calor abſumat, atque ita deficiat vita.* Quando videlicet aut ex minimis venenati alimenti particulis, ab extrinſeco advenientibus; aut ex nidorulentis ſuccorum reliquiis, æquo diuturniorem, in corporis penetralibus, remoram patientibus, obſcura primò virulentiæ ſeminia naſcuntur, quæ uti in primævo inchoationis ſuæ initio ſunt valdè exigua, hebetia & inadvertibilia: ita etiam aut nullius, aut tam exiguæ omninò ſunt activitatis, ut notari haud poſſint. Non enim ſtatim verſipellis hujus virulentiæ & malignitatis ſemina ſeſe produnt, nec in immanem ſymptomatum vehementiam prorumpunt, niſi aſſociatis ſibi priùs tot, ex analogo ſucco, particulis (quod per indeſinentes fermentationis actûs, poſt ſat longa nonnunquam temporis intervalla, accidit) quot ad totius ſanguinis ſubſtantiam inficiendam & corrumpendam, ſpirituúmque tum animalium, tum vitalium robur debellandum ſufficiunt. Ubi tandem, ob hoſtiles acutioris & operoſioris malignitatis actiones, natura ad poſſibilem inſurgit renitentiam; in qua lucta tam ferocia, non raro, excitantur ſymptomata, ut

Interhum venenum ſe tardè prodit.

In corpore nati extremã malitia.

ut viſu ſit horridum. Nam ſanguis effervеſcit & ebullit, febrilis corporis ardor affligit, præcordia à nimio exuruntur æſtu, à ferventibus cordis fuliginibus pertinaciſſima linguæ ariditas inducitur, vomitûs nonnunquam æruginoſi & virulenti oriuntur: qualiter phrenetico illi accidiſſe videtur, cujus Hippocrates, *lib. 3. epid. Ægro quarto*, his verbis meminit: *Qui, ex phrenetide laborans, primâ die decubuit, æruginoſa & virulenta, multa, tenuia, vomitione refudit, febris, horroris ſenſu inſignis, prehendit, ſudor copioſus aſſiduus toto corpore dimanavit, capitis & cervicis gravitas, non ſine dolore, urinæ tenues, in quibus ſublimia quædam in medio ſuſpenſa, parva, diſperſa inerant, neque ſubſiſtebant. Ex alvo ſtercora affatim prodierunt, multum deliravit, nihil dormivit. Poſtridiè manè vox defecit, febris acuta invaſit, ſudavit, non intermiſit. Tertiâ die graviora evaſerunt, quartâ mortuus eſt.* Nec in hac adhuc malorum ſyndrome ſubſiſtit finis; ſiquidem, dimicante fortiùs cum natura nato in viſceribus veneno, ſitis implacabilis urget, contumaces enervant vigiliæ, varicoſa corporis diſcoloratio frequenter accedit, bubones, peſtilentes carbunculi, aliáque ſæpius exanthematum genera erumpunt, pretioſa humidi radicalis ſubſtantia, à venenato miaſmate, eique adjuncto ſylveſtri calore, abſorbetur, vivaciſſimum caloris nativi robur atteritur & reſolvitur, ſtomachi, ac reliquorum viſcerum, digeſtionibus præſidentium actiones tolluntur, ſubitæ, non rarò, omnium virium reſolutiones, à tacito malignitatis molimine, fiunt; ita, ut aliquando mors inopina, ſine omni penitùs ſtrepitu, irrepat; quantumvis ne vel minima infecti adſit aëris ſuſpicio, vel aſſumpti veneni indicium. Hoc autem ideo evenire ſolet, quòd humani corporis vires prognato in corpore veneno ſint longè inferiores, & ineundo, pro victoriâ, certamini non ſufficiant.

Quòd verò venenum in interioribus corporis humani receſſi-

ceſſibus ſpontè produci poſſit, id, præter alios Authores, Pelopis authoritate conſtat, & à Galeno, experientiâ edocto, confirmatur, in epileſia, uteri ſuffocatione, aliiſque hujusmodi ſortis affectibus, *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* ubi aſſerit: *Reliquum eſt, ut inveſtigemus, an in animantibus corruptio aliqua naſci poſſit tanta, ut veneni tum qualitatem, tum vires, æquet: an id jam à Medicis enodatum, diſcuſſúmque eſſe videtur, qui hanc ſolent proponere quæſtionem; utrum propria ſint notæ veneni, nec ne? Nam qui de hac quæſtione meliùs diſputaſſe videntur, ii eosdem fieri effectûs concedunt, & à lethalis veneni potione, & corruptione, quæ à corpore ortum habet: non tamen eos diſcerni non poſſe, qui venenum ſumpſerint, ab iis, qui aliunde affecti ſunt. Cùm enim homo, ſuâpte naturâ probis humoribus abundans, ac ſanorum more educatus, derepentè moritur, ut lethali veneno aſſumpto ſolet: deinde corpus aut livens, aut nigricans, aut varium eſt, aut diffluens, aut præ macore fœdum moleſtúmque reddit ardorem: hunc venenum ſumpſiſſe, ajunt. Igitur ſi ejusmodi affectibus nos infeſtari fateamur, qui, ex nobiſmet ipſis accepto ſuæ originis impetu, ſimiles ſunt his, qui pernicioſo epoto veneno eveniunt: nihil mirum, ſi vitiatum ſemen, aut menſtruum hujusmodi, cùm retinetur, aut putreſcit, corporibus, ut afficiantur, idoneis, gravia inferat accidentia.*

Venenum in corpore naſci, probatur.

Si igitur multis rationibus, & exemplis, ab ipſo Galeno, *loco jamjam citato,* adductis probetur, quòd ſemen ſanguiſque menſtruus, diutiùs retentus, venenatam qualitatem induant, *à qua* (ut ait Cardanus, *in comment. aphoriſ. 41. ſect. 2.*) *ſpiritus, & anhelatio intercipitur, cor ex utero ſtrangulatur,* atque ingens nonnunquam graviſſimorum ſymptomatum caterva naſcitur: cur non idem etiam de aliis humoribus, præter naturam corpus inhabitantibus, cum Palmario, auſim affirmare: qui, *lib. de Elephantiaſi, cap. 2.* expreſsè docet, *quòd calida & ſicca jecoris intemperies bilem flavam cumulet; quæ, diu cohibita, in atram facilè tranſit, & venenatam perniciem indipiſcitur, quam toti corpori*

Semen, & ſanguis menſtruus, fieri venenum poſſunt.

impar-

Ergo & reliquus ſanguis.

impartitur & communicat? Cur mihi non liceat idem de ſanguine, pituita, & melancholiâ, aſſerre, cum Martino Rulando, qui, *in ſuo, de lue Ungaricâ, tractatu, cap. 2.* diſertè tradit: quòd *in corporibus, ingluviei deditis, otio & ignaviâ torpentibus, & plethorâ etiam bonâ refertis, venenata tandem qualitas oboriri poſſit? Siquidem Athletarum plenior corporis habitus, ſi ad ſummum plenitudinis gradum perducatur, lubricus eſt, & in eodem ſtatu permanere aut conſiſtere non poteſt: unde ſupereſt, ut recidat in deterius;* dicente Hippocrate, *aphoriſ. 3. ſect. 1.* ſtupendam hanc corporis humani, continuis, iiſque vehementiſſimis, alterationibus obnoxii metamorphoſim conſiderans Valleſius, in hæc verba, *lib. 3 ſect. 3.* erupit: *Ob rationes jam allatas, ego facilè Galeno conceſſerim; poſſe intra corpora noſtra gigni venena; quia horrendi quidam caſûs id indicant,* qui repentè, etiam abſque omni latentis veneni ſuſpicione, eveniunt. Nam malignas veneni particulas ſenſim, ſine ſenſu, collectas, & copioſiores factas, natura, ſuæ conſervationis ſtudioſa, aliquando adoritur; quæ, à natura laceſſita, activitatis ſuæ vela pandit, malignos emittendo vapores; qui quantò nobiliores partes attingunt & occupant, tantò graviores morborum ſpecies inducunt: ut ſunt peſtilentes & malignæ febres: imò verò & peſtem ipſam à venenato hujuſmodi fermento, in corporis viſceribus, clam producto oriri poſſe, non eſt ambigendum: quæ tantâ productionis ſuæ velocitate corpus jugulare potis eſt, ut eadem dies & morbi peſtiferi, & mortis origo eſſe poſſit. Quando enim venenati miaſmatis poteſtas, clandiſtini inſtar hoſtis, ex inſidiis ſuiis, in principem vitæ fontem, cor ſcilicet, priùs cum violentia irruit, quàm in ſymptomatum ferociam erumpat; talem, ab improviſo, ſpiritibus vitalibus infert ſtragem, ut illi cor, vitalium functionum officinam, deſerant, ſuffocentur, & in auram abeant; qualiter Urbium, per hoſtile ſtratagema captarum, incolis evenire videmus; quorum pars à prima ir-

Peſtiferum in corpore gigni poteſt.

ma irruentium inimicorum ferocia cadit; pars verò, crudeles eorum manûs effugiens, domeſticos deſerit lares. Nec mirandum eſt, quòd peſtiferæ malitiæ ſeminium, & inde peſtis, in corpore humano generari poſſit: ſiquidem hæ affectiones, febres nimirum peſtilentes & malignæ, à peſte, & ſe invicem, non differunt, niſi juxta majores, vel minores contagii & malitiæ gradûs: qualiter quivis in peſte videre poterit, quæ ſummi contagii morbus eſt, & humano generi planè fatalis: cùm è contra febris peſtilens, cum minori ſeminii ſui diffuſione, & funerum frequentia, plerunque graſſetur. Febris porrò maligna ea plerunquè nuncupatur, quæ, pro ſymptomatum varietate, febris putridæ naturam refert. Habet enim utraque adjunctam ſibi ſitim continuam, gravem faucium ardorem, vehementem linguæ ſcabritiem, ſudoriferas cordis anguſtias, ſyncopes, lipothymias, contumaces vigilias, deliria, ſpontaneam omnium membrorum laſſitudinem, & aliorum ſexcentorum ſymptomatum copiam. Et quis, hâc noſtrâ ætate, non videt, quòd, propter hæc accidentia, utrique morbo communia, dentur Medici, qui omnem febrem non intermittentem, utpote malignam, curant: cùm tamen ſæpè ſæpiùs ſint veræ ardentes febres, aut ſynochi putridæ? Quin imò febris maligna, vulgò Ungarica dicta, non ſine magno judicio, ſynochus putrida, à Joanne Cratone, *libro conſiliorum, conſilio 25. & 274.* nuncupatur. Siquidem hæc febris plerumque eſt corruptio inſignis humorum, maximè verò ipſius ſanguinis in corpore, profecta à putredine, venenatâ malignitate proxima peſti, continuo, eoque ancipiti, auſu cor oppugnans, conjuncta ſemper cum calore pemphygodi; cujus Hippocrates, inter alias continuarum febrium differentias, meminiſſe videtur, *lib. 6. de morbis vulgar. ſect. 1. text. 17.* dicens: *Febres quidem aliæ ſunt mordaces manui; aliæ mites; aliæ non mordaces quidem; ſed poſt inſurgentes; aliæ verò acutæ, ſed à manu victæ:*

Febris maligna quæ.

Synochus febris maligna.

victa: aliæ ſtatim valdè ardentes: aliæ in totum debiles, aridæ: aliæ ſalſuginoſæ: aliæ pemphygodes, & aſpectu horribiles, ob ſymptomatum nimirum, in hac febri occurrentium, diverſitatem & immanitatem. Etſi enim claris non dicat verbis, *febres pemphygodes* eſſe malignas, Ungaricas: dicit tamen, eſſe *aſpectu horribiles;* ita, ut ſint, qui mecum judicent, malignarum febrium, hiſce ſæculis univerſam penè Europam devaſtantium, naturam (ſub quarum numero etiam Ungarica continetur lues) ab Hippocrate fuiſſe expreſſam. Unde concludo, quòd febres petechiales, malignæ, nunc Ungaricæ dictæ, apprimè fuerint notæ; licet, ſub aliorum nominum involucris delitefcentes, non fuerint cuivis primâ fronte cognitæ & perſpectæ. Nam Hippocratem maculas lenticulares, in febribus malignis, obſervaſſe, conſtat ex *lib. 7. de morb. vulgarib. text. 17.* ubi ita loquitur: *Fullo, qui in Syro phreneticus, poſt uſtionem,* id eſt, febrim, *tremulus,* id eſt, delirans *fuit, crurum colorem habuit, quaſi eſſet morſus à culicibus.* Ubi claris omnino verbis *maculas petechiles, in morbo Ungarico, cùm calore præternaturali pemphygode,* ut loquitur Rulandus, attigiſſe videtur. Et, amabo! quid Hippocrates, *lib. 6. de morb. vulg. ſect. 1. text. 17.* aliud intimare voluit, dum dixit, febres alias eſſe mordaces, alias mites, alias acutas, alias ardentes, alias debiles, alias ſalſuginoſas, alias pemphygodes & aſpectu horribiles; quàm quod nos aſſerimus, dum certum aliquod, inter febres malignas, diſcrimen, juxta majoris vel minoris contagii gradûs, conſtituimus. Quæ omnia ſedulò cuivis artis Hippocraticæ & Galenicæ ſectatori diligenter conſiderare incumbit, cujus videlicet febris ſit ſpeciei & moris, quâ æger torquetur. An mitis ſit; vel mordax & acuta: an debilis, vel ardens & pemphygodis: an interiora corporis viſcera ſola febrilem patiantur calorem; vel an æquali omnes partes flagrent æſtu: an corpora febrili calore æſtuantia ſint plethorica; an verò cacochymi-

Febris Pemphygodes.

Hippocrati Petechiæ notæ.

chymica. Etſi enim febres malignæ plerunque ex ſanguine craſſo putreſcente malignè naſci dicuntur; non tamen uniusmodi ubique ſunt rationis. Nam aliquando febres malignæ, cum exanthematis, ſunt pituitoſæ; ut vult Rulandus, *in ſuo, de Lue Ungarica, tractatu, cap. 2.* ubi dicit: *nos pituitoſos humores malignarum febrium fomitem primò conſtituimus*: ob rationes, quæ apud eundem, *loco jam citato*, videri poterunt: aliquando ſunt bilioſæ: aliquando verò atrabilariæ: ut proinde nativæ corporum diſpoſitiones bene ſint perpendendæ, ut pro humorum, febres malignas generantium, diverſitate etiam curationes varientur.

Cùm itaque ex hiſce jam breviter allatis, & tam ratione, quàm Hippocratis, Galeni, atque aliorum graviſſimorum Medicorum authoritate roboratis ſufficienter, ut confido, innotuerit, quàm perverſos & periculoſos effectûs venena pariant, ſive illa ab extrinſeco advenerint, ſive in intrinſeca corporis humani fabricâ generata fuerint; atque oſtenderimus, quòd venena in viſceribus noſtris gigni poſſint, & producta non modò præſentem valetudinis ſtatum è præcipiti invertere ſoleant, verùm etiam eâdem, quæ ingruunt, die vitam tollere non rarò ſint potis: reſtat nunc, ut methodum quandam ſuggeramus, cujus valore & adminiculo non tantùm omnis veneni generatio impediri, ſed etiam jam tum producti ſuffocationem in primo ſemine amoliri poſſimus, quò minùs in altam excreſcat radicem, &, potentes activitatis ſuæ vires exerens, in vehementem ſymptomatum ferociam erumpat: aut demum monſtremus, ſi, ob neglectam ſanitatis tutelam, jam in febres, malignitatem & venenum redolentes, quis inciderit, qualiter, quibúsque remediorum auxiliis, malignitas illa ſit impetienda & expugnanda. Venenum quodvis ſtatim ſuffocandum.

Primum intentionis ſcopum per eam Medicinæ partem, haud dubiè, aſſequemur, quæ, inter omnes artis divinæ partes,

 nobi-

nobiliſſima, Præſervatio nuncupatur: quoniam hæc conſiſtit in cauſarum, veneni, & maligni miaſmatis excitantium foventiúmque evacuatione ac fugâ, nec non diligentiſſima & exquiſitiſſima corporis humani cuſtodia. Ut proinde, præſervationis rationem in duabus operationibus conſiſtere, non ineptè, ſtatuatur; quarum altera per diligentem cauſarum communium, quoad fieri poteſt, declinationem & correctionem peragitur: altera verò per ſubjecti, malignarum febrium generationi obnoxii, reductionem ad meliorem firmioremque valetudinis ſtatum perficitur. Quod eâdem medicamentorum ſupellectili expediri ſolet, qua curatio abſolvi conſvevit; ut placet Hippocrati, *lib. 6. de morb. vulg. ſect. 3.* dicenti, *quod iisdem nos præſervemur, quibus curamur.*

Præſervatio à veneno duobus peragitur.

Ut ergo duas haſce, jam propoſitas, præſervationis intentiones aſſequamur, neceſſe eſt, ut talem, in rebus ſex non naturalibus, obſervemus modum atque regulam, qualis, ad optima partium corporis humani alimenta elaboranda, requiritur, cum tali moderamine, ut illa juſtam qualitatem habeant. Et cùm, ex Hippocrate, tantam aëris neſſitatem eſſe noverimus, ut ille dicat, *lib. de flatibus*, quòd *neque ipſa natantia animalia ſine ipſo vivere poſſint*; jure meritò, ob ſummam, omnibúsque viventibus communem ejus neceſſitatem, ab Aëre auſpicamur, ſingulos longioris vitæ, & conſtantis valetudinis amatores rogantes, ut talis ſemper eligatur aër, qui, præ reliquis, purus eſt, & à lacubus, cloacis, cœmeteriis, aliisque impuritatem & mephitim redolentibus locis, longè remotus: à ventis, præſertim ſeptentrionalibus, orientalibus, perflatur: meridionales, utpote cane & angue pejores, vitentur; quia calidi ſunt, & humidi, atque ad humorum putredinem facilè concitant; ideoque ab Avicenna, *lib. 1. fen. 2. doctr. 2. cap. 8.* cenſentur omnium eſſe peſſimi: aër ventis ſit pervius, & non occluſus: quoniam occluſus quaſi ſitu & ſponte ſuâ torpeſcit & cor-

Aëris qualitas ſpectanda.

& corrumpitur: adeò, ut, ab eodem ſæpe peſtem fuiſſe concitatam, obſervârint Medici. Et quamvis aër pervius iis temporibus, quibus maligni peſtilentésque graſſantur morbi, à nonnullis habeatur formidabilis, quòd contagioſa graſſantis luis ſeminia recipiat, & de loco in locum transferre poſſit: eum tamen, aëre occluſo multò meliorem eſſe, dico: ſiquidem à continuo irruentium ventorum impetu minori cum negotio repurgatur, & ad debitam ſalubritatis metam reducitur. Si verò contingat, ut aër jam maligna mali ſemina hauſerit, diligenter attendendum eſt, ne conclavia aëri externo manè priùs pateant, quàm is benè illuſtratus, belléque à Sole purgatus fuerit. Serotinus, ac nocturnus, omni ſtudio & conatu vitari debet; eò, quòd, inclinato jam Sole, copioſior terreſtrium ac putridorum halituum fiat elevatio, quibus graſſantis tabis contagium inſtaurari ſolet. Corrigi quoque aër debet igne, ex rebus ſvaviter olentibus, aërisq; malignitati ſpecialiter reſiſtentibus, parato: qualia ſunt *juniperus, roſmarinus, laurus, cupreſſus, abſynthium*, quibus remediis, ſæviente ferociùs peſte, in Coö, ad aëris correctionem, ipſum etiam Hippocratem uſum fuiſſe, teſtantur Hiſtoriographi. Hunc in finem etiam poma odorata, ex diverſis alexipharmacis odoriferis, componi poſſunt. Ea enim, manibus retenta, odoris ſvavitate aërem perfundunt, &, naribus admota, non tantùm cerebrum, ſed etiam cor ipſum, vehementer reficiunt & exhilarant; maximè ſi ex talibus elaborata fuerint, qualia apta ſunt, temporis corporúmque diſpoſitionem ſiniſtram emendare; quod accidit, ſi calidioris naturæ hominibus, è frigidis; frigidioris, è calidis præparata fuerint. Si poma non arrideant, ſpecies in tenuiſſimum pulverem teri, & ſacculo ſerico inſui, atque, hac ratione, odores naribus capi poterunt. Huic intentioni ſerviunt ſuffumigia ex *maſtiche, thure, myrrha, ſuccino, trochiſcis de camphora* concinnata; quia hæc ad infecti aëris emendationem faci-

Aër infectus quî corrigendus.

Poma odorifera.

Sacculi odoriferi, & ſuffumigia.

faciunt; quarum rerum vaſtiſſimus, apud Practicos celebriores, extat campus. In aëris denique obſervatione obſequendum judico divino Medicorum Patri, Hippocrati, qui, *lib. 6. de morb. vulgar. ſect 8. text. 18.* ita loquitur: *In aëre conſiderandum, quanta inſit caliditas, frigiditas, craſſitudo, tenuitas, ſiccitas, humiditas; an plenior, an verò minor & copioſior: in quibus quanam mutationes, & ex quibus fiant, quomodoq; ſe habeant, animadvertere oportet.* Ut nimirum, conſideratis diligenter conſiderandis, ea fiant, quæ ad cujuslibet conſervationem & valetudinem, vitamque in plurimos annos protrahendam, prudens Medicus facienda judicaverit.

Cibatio qualis requiratur.

Circa cibi exhibitionem diligenter curandum eſt, ut corpus, quod plenum, parciore; quod macilentum & extenuatum eſt, largiore quidem, ſed boni ſucci, & facilis digeſtionis cibo reficiatur; eâ tamen cautelâ, ne copiâ peccetur; &, ob id, corpus humanum gravetur, pravorumquè ſuccorum multitudine repleatur. Nec ſufficit, debitam ciborum quantitatem & qualitatem ſpectare, niſi etiam juſta ordinis & temporis, cibos aſſumendi, ratio fuerit obſervata. Nam ſi concoctu difficiles facilioribus præmittantur; vel novi priùs ingerantur, quàm priori menſâ ingeſti ſint concocti; uberrimus nonnunquam perverſorum ſuccorum, & exinde morborum proventus exoriri conſvevit; quoniam primo modo cibi concoctu faciliores, diutiúsque in ſtomacho retenti, citiùs corrumpuntur, quàm duriores à digeſtivo ventriculi calore concoquantur. Secundo verò modo crudorum ſuccorum multitudo cuditur. Omnis generis legumina, fructusque horarii, *allium, fungi, lacticinia, cepæ,* vitentur: quoniam ſanguini fervorem inducere apta ſunt. Eligantur *carnes animalium juniorum*, ac *campeſtrium, piſces ſaxatiles, ova ſorbilia*, & alia hujusmodi probioris nutrimenti alimenta; quæ acidis, frigidis ſiccisque condimentis (modò obſtructionem alvi non pariant) mali-

gnitati

lignitati reſiſtentibus ſunt condienda; ne in ſuccum facilè putreſcibilem transeant. Huic rei promptiſſimè ſerviunt *acetum, acetoſa, acredo citri, aurantiorum* & *limoniorum ſuccus, omphacium, agreſta,* & *pomorum granatorum vinum.*

Potui, ex mente Avicennæ, tantum indulgendum eſt, quantum ad ſedandã ſitim ſufficit. Cùm enim ſiti corpus incaleſcat, ſpiritúsque accendantur & diſſipentur, periculum eſt, ne labes maligna corpus noſtrum liberiùs & promptiùs arietibus ſuis concutiat. Quapropter *vinum oligophorum*, & minùs generoſum, bibatur; quò minùs ſerenam capitis diſpoſitionem feriat, ſpiritûs accendat, atque malignitatis promotionem adjuvet: nec ſit etiam perditum, ut vappa; quoniam & hoc ad humorum deſtructionem concurrit. *Cerevifia* potui uſualis ſit benè defecata; lupuloque competenter tincta: quæ ſi vel *abſynthii*, vel *roriſmarini*, vel *carduibenedicti* viribus imprægnata fuerit, multò erit melioris ac ſalubrioris notæ potus. Nam præterquàm quòd crudorum humorum aggravationem impediat, corpus etiam ab obſtructionibus tuetur. Si verò *aqua* pro potu ſit uſualis, nulla, niſi *pura*, aut *ſemine aniſi*, vel *cinnamomo* correcta fuerit, hauriatur; aut ſaltem *citri ſucco* aceſcat.

Quantum bibendum.

Vinum oligophorum.

Cereviſia.

Aqua.

Quoad corporis animiq; motûs, omnes vehementiam habentes cavendi, ne, ob nimiũ motuum exceſſum, calor quidam peregrinus contrahatur, vi cujus ſpiritûs diſſipentur. Proinde exercitia, & labores, reliquæq; animi exercitationes, ita inſtituantur, ut nativum corporis calorem reficiant, non debilitent. Quies, motui oppoſita, medium teneat: ſiquidem æquo major corpus iners reddit ac frigidum, vitioſa corporis excrementa cumulat, caloré opprimit, coctionem, & probam alimentorum diſtributionem impedit. Lætitia animiq; relaxatio plurimum emolumenti confert. Nam Thales, unus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, ut ex Pauſania, & Plutarcho, refert Heurnius, *de febr. cap.* 19. Muſicâ peſtem à corporibus fugare ſolitus eſt:

Regula animi motuũ.

cùm præceps & acerba iracundia cor, & pulmonem, in ſeſe & ad caput calorem & humorem attrahat, dicente Hippocrate, *lib. 6. de morb. vulgar. ſect. 5. text.* 8. meritò abeſſe jubetur, quoniam, ut aſſerit Galenus, *lib. de morb. cauſ. ira eſt veluti quidam caloris fervor juxta cor, qui ubi per totum corpus diſpergitur, ſolet febris ſuccendi:* cùm, è contra, *animi tranquillitas cor relaxet;* innuente Hippocrate, *loco jamjam citato.*

Somni & vigiliarum menſura.

Somni & vigiliarum eadem, quæ cibi, potûs, quietis, & motûs, eſt ratio. *Omne ſiquidem nimium*, ut inquit Hippocrates, *aphoriſ. 51. ſect. 2. naturæ inimicum.* Hinc id ſaltem obſervandum eſt, ut omnia ſibi debitâ proportione reſpondeant: quia, ſi modus non ſervatur in rebus, cruditatibus corporis viſcera onerabuntur. Nam vigiliæ, modum excedentes, nativum partium calorem diſſolvendo: ſomnus verò longior, eundem ſuffocando, hoc præſtabunt. Denique *in labore, cibo, potu, ſomno, rebus Venereis, modus adhibendus eſt;* jubente Hippocrate, *lib. 6. de morb. vulgar. text. 5.*

Verùm enim verò, cùm ex diverſa eſculentorum & potulentorum commixtura, reliquóque vitæ genere, diverſæ quoque humorum ſpecies redundent, quorum alii propter quantitatem, alii verò propter ſpeciales qualitates, apti ſunt, concurrere ad maligni miasmatis generationem; ſupereſt nunc, ut, abſoluto rerum ſex non-naturalium examine, ad internarum cauſarum inveſtigationem transeamus, dicentes, quòd duæ potiſſimum ſint cauſæ, in internâ corporis cavernâ latentes, quæ ſubjectum ad malignarum peſtilentiúmque febrium generationem diſponere aptæ ſunt: quarum altera plethora; altera cacochymia appellatur. *Plethora*, ſeu *plenitudo* illa à Galeno, *lib. 13. meth. med.* dicitur, *ubi omnes ſucci, partium nutritioni deſignati, æqualiter ſunt aucti.* Hæc, ut placet Hippocrati, *lib. 3. de diat. cap. 3.* oritur, *dum cibi ſuperant labores: & ſic ſenſim collecta repletio morbum invehit.* Ut propterea omnibus omnino

Plethora tollenda.

viribus

viribus enitendum ſit, quò plenitudo præſens tempeſtivè tollatur: quod, docente Galeno, *lib. 13. meth. med. tum ſanguinis miſſione perficitur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione; præterea digerentibus medicamentis, atque inediâ;* & repletio futura caveatur; quod, ut tradit Hippocrates, *lib. de inſomniis, peragitur cibis levibus exhibitis; deambulationibus item multis & concitatis.* Quòd ſi igitur tanta in venis & arteriis notetur ſanguinis copia, ut venæ & arteriæ diſtendantur, aut vires opprimantur; talem ſanguinis extractionem inſtituere competit, qualis prudentis Medici judicio ſufficiens viſa fuerit, ad vitii in quantitate peccantis ſublationem; cùm, ut innuit Galenus, *lib. de conſtitut. art. Medicæ: omne exuberans ſit evacuandum; & præcipua, commodiſſimáque omnium humorum pariter accretorum vacuatio fiat per inciſionem venæ.*

Altera cauſa, in intrinſecis corporis cavitatibus latens, & illud ad maligni ſementis productionem diſponens, *Cacochymia* nominatur; quæ, ex mente Galeni, *lib. 13. meth. med.* aliud nihil eſt, quàm humorum excrementitiorum in corpore redundantia. Ait enim: *Ubi vel flavâ bile, vel nigrâ, vel pituitâ, vel ſeroſis humoribus refertum corpus fuerit, eum habitum cacochymiam vocamus.* Cum hac corporis diſpoſitione diu cunctandum non eſt, eò quòd diu ſubſiſtere non valeat, quin in deterius decidat, putredinis & malignitatis fomitem concipiendo. Hinc Amatus Luſitanus, *Curat. med. Centur. 4. in ſchol. curat. 13.* monet, ut *cacochymia citò purgatione, humori ſuperanti accommodatâ, tollatur.* Quod idem, multis ante Luſitanum ſæculis, Galenus, *lib. 13. meth. med.* docuit, dicens: *Succorum vitium purgatione, quæ redundanti ſucco ſit accomodatior, corrigatur.* Ideo, *lib. de conſtitut. art. med.* aſſerit: *Si flavæ vel atræ bilis, vel pituitæ ſuccus, vel ſeroſus humor, contineatur in primis venis; purgandi ſunt tales humores iis, quæ per alvum unumquemque ex hiſce humoribus evacuare apta ſunt.* Ita reverà eſt, quòd quæ corpori,

Cacochymia malignitatem nutrit.

Citò tollenda.

Tt à ma-

Quid Medico obſervandum.

à maligni miaſmatis generatione defendendo, adhibentur, cum tali Medici diſcretione dari debeant, ut, ubi bilis peccaverit, cholagoga: ubi pituita, phlegmagoga: ubi denique melancholicus aut ſeroſus humor exorbitaverit, melanagoga & hydragoga offerantur; diligenter penes animadvertendo illud, quod præcipit Hippocrates, *aphoriſ. 22. ſect. 1.* ut *matura concoctaque medicemur ac moveamus, non cruda.* Hinc diligens danda opera, ut, dictante ſic Galeno, *lib. de conſtit. art. med.* humores, in corpore peccantes, *per contraria ita alterentur, ut, quod craſſum lentúmque eſt, tenue fiat: quod tenue, craſſius reddatur: ambo verò pariter concoquantur, obſtructiones præterea aperiantur,* ut, reſeratis ſimul venarum obſtructionibus, humores eò promptius ab adveniente catharticorum energia expurgentur. Ubi advertendum, quòd illa, quæ ſpecificâ virtute malignitati adverſantur, digerentibus ſint admiſcenda, ut, ſi quid venenati ſeminii hæreat, illud unà cum humoribus, quibus inhæret, tollatur.

Certa purgandi ratio & norma præſcribi nõ poteſt.

Quærenti autem: quibus remediis, & quoties per annum, corpus expurgari debeat? Reſpondeo: licet, ob naturarum, ſexûs, ætatis, regionúmque diverſitatem, & vitæ genus, certorum catharticorum determinatio purgandíque ratio abſoluta præſcribi hîc loci non poſſit; eò, quòd alteri amara, alteri dulcia aſſumere placeat; huic potiones & electuaria; illi pulveres & boli ſapiant: ille pilulas velit; iſte tincturas amet; hic exiguis aliquot granorum pharmacis ſtimulatus, purget; iſte verò non, niſi generoſiore purgantium virtute moveatur: eas tamen purgantium pharmacorum ſpecies unicuique exhibendas judico, quæ cujusvis naturæ accepta, & non nimis generoſa fuerint. Sedes ſiquidem cacochymiæ primam coporis regionem, utpote ventriculum, inteſtina, meſenterium, venas majores, pancreas, hepatisque cavam complectentem inhabitare ſolet, quæ, ob locorum viciniam, facili negotio

Cacochimiæ ſedes.

negotio penetrari & evacuari poteſt, abſque potentiorum catharticorum propinatione, & notabiliore virium jactura; niſi forſan, longiore temporis intervallo, altiores, in præfatis viſcerum cavitatibus, obſtructiones obortæ eſſent; quarum majori, vel minori radicationi quivis fundatus Medicus diligenter ſciet attendere, & dexterrimè ſubvenire. Id ſaltem obſerveτur, primò, ne purgatio ſit fortior. Sæpius enim accidit, ut hominibus, dato pharmaco purgante, alvus copiosè fluat, & iis, qui interſunt, videatur res apprimè bellè acta; cùm tamen, ſucceſſu temporis, aliud edoceantur, ſeſe nimirum ex vehementiore ejusmodi evacuatione plus damni, quàm commodi retuliſſe. Tales etenim dejectiones, copiâ excedentes, non rarò tabem, ſanguinis ſuo ſero deſtituti corruptiones, febres putridas, & mortem ipſam induxiſſe, novi. Ut proinde, in medicamentorum exhibitione, ſummâ opus ſit cautelâ, & præſtet, ſæpius, & parciùs evacuare, quàm ſemel, & nimis confertim. Siquidem *extremæ evacuationes periculoſæ ſunt*; juxta *aphoriſ. 3. ſect. 1.* & *51. ſect. 2.*

Fortes purgationes malæ; lenes bonæ.

Quoad tempus purgationis idoneum, illud ab Hippocrate, *aphoriſ. 47. ſect. 6.* Vernum declaratur, dum inquit: *quibus vena ſectio vel purgatio prodeſt, his vere ſecanda vena, aut purgatio imperanda eſt.* Cujus rei rationes pulcherrimas dat Cardanus, *in hujus aphoriſmi commentario*, dicens: quòd *corpus vere ſit humidius, ob hyemis nutritionem, & vires robuſtiores, & tempus magis moderatum; quod aptum eſt ad omnem evacuationem: & humores in vere magis moveantur.* Hoc purgationis tempore ritè obſervato, gloriatur Galenus, *in commentario ſuo hujus jam allegati aphoriſmi*, quòd non modò plurimos valetudinarios ab omni morboſo inſultu defenderit; ſed etiam à talium affectionum invaſione liberaverit, quibus ante hujusmodi evacuationum uſum obnoxii fuerant. Nec hoc mirum eſt: *ſiquidem purgatio purificat ſanguinem ipſum*; ut ait idem Galenus, *lib. de purgant. med. facult.*

Purgationis tempus.

Alternis menſibus purgandū.

Verùm ego, ſalvâ Hippocratis, Galeni, & aliorum doctiſſimorum Medicorum, de vernali purgatione, ſententiâ, corpus per annum ſæpius ab immunda illa excrementorum amurca liberandum cenſeo: cùm planè ſit credibile, quòd quotidiè impuræ quædam particulæ, ex aſſumpto cibo & potu, in viſceribus remaneant; quæ per unius, vel alterius menſis ſpatium in tantum augeri poſſunt, præſertim in hominibus liberaliorem, magisque ſedentariam vitam degentibus, ut non ſolùm cacochymia copiâ peccet, ſed etiam humores eandem conſtituentes corrumpantur, & malignam qualitatem inducant. Hinc corpora, liberaliorem vitam viventia, alternis ſaltem menſibus, levi quadam medicina purganda eſſe, ſtatuo; maximè, cùm Galenus, *lib. 11. meth. med.* ſcribat, quòd *totum corpus vacuari debeat, cùm mediocritatem malorum ſuccorum continet*: &, *lib. de venæ ſect.* afferat, quòd, *ubi crudi ſucci exuperant, antequàm morbus invaſerit, cautè evacuare oporteat.* Si igitur id faciendum iis, qui, ſub maximè ſanâ aëris temperie, ab omni, indiſcriminatim, morbo ſeſe tueri volunt; quid ergo, majoris ſecuritatis cauſâ non erit tentandum, dum morbi populariter graſſantur? dum aër maligno miaſmate plenus? dum malum tacitâ ſui diffuſione è ſubjecto in ſubjectum repit? An non opus, ut quotidiè aliquid laxativi ſumatur, pro materiei abſterſione; quæ apta eſt venenatum ſeminium recipere? Ita ſanè eſt, ſegnior alvus ſæpius eſt irritanda. Nam is non facilè contagioſum febrium malignarum ſeminium contrahit, cui alvus rectè fluit. Ut propterea diligenter ſit attendendum, ne alvus pigreſcat: ſegnior enim officii ſui admonenda. Apud pueros quidem, & delicatioris complexionis homines, id præſtari poterit *Syr. de cichor. cum Rhab. flor. Perſic. diaſer. diaſenn. Extract. rhabarb. hier. cum agaric. mann. aq. laxat. Viennenſi*, aut aliis hiſce ſimilibus: adultiores verò, & robuſtiores, purgari poterunt *Syr. roſar. ſolut. de cichor. cum Rhabarb. elect.*

Alvus fluida non facilè inficitur.

Medicamēta idonea.

elect. de ſucco roſar. diacatholic. diaprun. ſolut. benedict. laxat. hier. cum agaric. trypher. Perſic Decoct. aperit. majore & minore, cum & ſine rhabarb. decocto flor. & fructuum, cum manna, fol. ſenn. agaric. præcipuè verò pilulis peſtilentialibus Ruffi, vulgò de tribus dictis; quæ, ad ſubducendam perverſorum humorum mineram, in præſervatione, à febribus malignis ſummoperè ab Authoribus commendantur. Nam cùm alvum moveant, obſtructa viſcera reſerent, ſuperfluam humorum mephitimjeverrant, inſitâ quadam proprietate malignitatem oppugnent, cordi quoque & ſpiritibus robur addant: non poſſunt non, in præſervatione à febribus malignis, & omnis veneni aggregatione, probari. Ubi tamen advertendum eſt, quòd dentur Medici, qui dicunt, in harum pilularum exhibitione opus eſſe cautelâ quâdam. Etſi enim, ratione malignitatis averruncandæ, plurimùm proſint; caliditate tamen ſuâ etiam nonnihil detrimenti adferre poſſent; maximè ſi calidæ complexionis hominibus offerantur. Quamvis tamen haſce rationes allatas tanti ponderis non inveniam, ut ab illarum uſu deterreri poſſim; cùm earum caliditas aliorum medicamentorum admixtione in tantum corrigi valeat, ut cuicunque homini, earum uſu opus habenti, exhiberi, ſine damno, poſſint.

Qualiter autem cordi, tanquam præcipuo vitæ humanæ fonti, &, præ omnibus corporis partibus, à maligno hoſte vim patienti, ſit ſuccurrendum, oportet videre. Nam cor occultam planè, & inexplicabilem quandam virtutem habet, quæ eventu quidem cognoſci; ratione tamen inquiri nullâ prorſus arte poteſt. Quotidiano enim rerum uſu edocemur, quòd dentur, qui cum hoc, vel illo, malignam & peſtilentem affectionem patiente, converſantur, abſque tamen ulla contagii attractione; quàm primùm verò aliquem ſibi ſanguine junctum, & peſtilenti aut maligno morbo decumbentem conveniunt, illicò inficiuntur; migrante ſæpe malo per in- *Cordis virtus incognita.*

tegras familias; quòd ob nativum, dubio procul, & ſympatheticum cordis conſanguinei cum conſanguineo characterem accidit. Quibus ergo hunc in modum ſe habentibus, diligenter elaborandum eſt, quò non tantum probatis alexipharmacorum remediorum antidotis, intro aſſumendis, cordi provideatur; ſed etiam externâ ipſorum admotione eidem robur quoddam addatur, ut eò generoſiùs potentibus malignitatis inſultibus reſiſtere, admotóſque illius arietes retundere valeat.

Efficaciſſimorum autem antidotorum, quæ, intrò aſſumpta, cor, adverſus malignæ ſementis contagium, mirificè muniunt, maximus eſt numerus: inter quæ, à Galeno, *lib. 2. de aliment. facult. cap. 27. nucum juglandium, ſeu Regiarum nuclei, cum caricis, & ruta*, ſimul mixtis, primum facilè locum habent; ubi inquit: *proditum eſt, hominem à pharmacis lethalibus nihil magnopere læſum iri, ſi nucem Regiam, cum caricis & ruta, ante alios cibos, ſumpſerit.* Alii, in publicum prodeuntes, aut contagioſâ lue infectos viſitantes, *radices angelicæ*, vel *Zedoariæ, leviſtici*, aut alias hujus generis, maſticant: alii *cortices citri* ſub lingua detineri debere, non malè ſuadent: ut Joannes Crato, *lib. conſiliorum, conſil. 275.* ubi & duorum electuariorum mentionem facit; quorum uſu, alternis diebus repetito, non tantùm à febribus malignis, ſed & bis ab ipſa peſte, ſeſe præſervatum fuiſſe ait. Plura tum ab eodem, *conſil. 384.* tum à Platero, *de curatione febrium malignarum*, proponuntur: qualia ſunt *pomum citrinum*: cui, adverſus venena deleteria, talem ineſſe potentiam, Athenæus ſe expertum teſtatur, ut quidam ab aſpidibus quidem demorſi; eſu tamen pomorum citrinorum, à virulentarum beſtiarum noxa fuerint præſervati. Non minorem *Scordio* virtutem Galenus, *lib. 1. de antidot.* tribuit, ubi dicit: quòd Scordium tantam, in averruncando putredinis nævo, energiam poſſideat, ut omnia, in acie quadam occiſorum, cadavera,

Alexipharmaca.

Scordii virtus.

davera, quæ caſu ſupra ſcordium ceciderant, & multorum dierum intercalarium ſpatio inhumata jacuerant, multò minùs aliis corrupta fuerint: *loco* enim *jam citato*, inquit: *optimum Scordium ex Creta nobis advehitur: quod etiam cadavera, ſupra ipſum jacentia, diutiſſimè à putredine tueri, proditum eſt. Hinc ſcordium, cum Zedoaria, angelica, galega, diptamno, ruta*, & aliis hujusmodi cardiacis, ex aceto coctum, non absque ratione, præſervationis causâ, adhibetur: quoniam purgato ab immunda ſpurcitia corpore (*Nam à cacochymia, quæ ventriculum, primas venas, viſceraq; ipſa occupat, occultæ alexipharmaci vires quaſi ſepultæ franguntur, atque hebeſcunt, perinde, ac ſi in lutum ſordidiſſimum demergerentur*: inquiente Palmario, *lib. 1. de lue Vener. cap. 8.*) ſanguinem à putredine, & venenati miasmatis contractione, tam potenter liberat, ut nullus facilè maligna febri corripiatur, cui aſſiduus horum ſimplicium eſt uſus. Non minore virtute pollere quotidiè experimur *carduum benedictum, carlinam, calendulam, acetoſam, ſcabioſam, oſtrutium, petaſitidem, gentianam, pimpinellam, contrajervam, vincetoxicum*, atque alias complures hujusmodi radices & herbas, quas ab omni penitùs ætate, ob effectum præſtanſſimum, vehementer commendatas legimus. Non minores, in venenatæ qualitatis præſervatione exerunt virtutes *bolus Armena, & terra ſigillata*: quia exſiccando, adſtringendo humorum putredini reſiſtunt, atque occultâ potentiâ venenatæ qualitatis generationem impediunt. Nam, ut inquit Galenus, *libr. 9. de ſimpl. med. facultat. non tantùm iis confert bolus Armena, qui peſtilentiali morbo ſunt correpti; ſed etiam planè iis, qui febri carent.* Ut proinde præſervationi ſimul & curationi ſerviat; ubi tamen ex Bayro, *lib. de peſte*, obſervandum eſt, quòd, *cum bolus Armena formaliter & virtualiter ſit ſicca, difficulter penetret ipſum cor; ideóque vehiculo egeat; proinde modus accipiendi ipſam eſt, ut diſſolvas ex ea ʒß. vel ℈ij. cum ℥ij aq. roſar. & ℥ß vini, &*

exhi-

exhibeas, quocunque diei, noctisque tempore: eodem modo potes exhibere terram ſigillatam.

Camphoræ laudes.

Inſignem illam *Camphoræ*, in febribus malignis, tum præſervationis, tum curationis causâ adhibitæ virtutem non facilè expreſſero: graſſante ſiquidem, & debacchante potentiùs lue Ungaricâ, aliiſque hujusmodi farinæ morbis contagioſis, diligenti ejus uſu & præſervavimus & curavimus. Nam occulta *Camphoræ* virtus, à nativo, eóque benevolo, corporis noſtri calore excitata, & in actum deducta, virulentum ſeminium expungit, infectos ſpiritûs clarificat, corruptas ſanguinis particulas, tanquam inutiles, ab utilibus ſegregat; has ſervando, illas diſſipando & expellendo: quo operandi modo ſanguinea cruoris maſſa depuratur, rectificatur, & concipiendæ graſſantis malignitatis incapax redditur. Ut proptereà *camphoram* inter efficaciſſima febrium malignarum ac peſtilentium alexicaca, jure meritiſſimo, reputemus: ſive ea nunc calida fuerit; ut placet recentiori Medicorum Scholæ; ſive frigida extiterit; ut mavult, cum veteri Medicorum coronâ, Palmarius. Sufficit mihi, quòd, præter manifeſtas ſuas qualitates, etiam occultâ polleat virtute, vi cujus maligno miasmati reſiſtit, illud abolet, & hominem ab ejus infectione præmunit. Hinc ſvadeo, ut, graſſante hac lue, omni manè, unum cochlear *aceti, cum baccis juniperi, aut rutæ foliis, conditi accipiatur, cui duo grana camphoræ incorporata fuerint.* Hujus aceti loco poſſet etiam ſumi ℈j. pulveris ſequentis, ex convenienti vehiculo:

℞. *Terræ ſigill.*
bol. Armen.
corn. cervi præp. an. ʒj.
camphor. ℈j.
ſacchar. cand. alb. ʒiß.
Miſc. fiat pulvis.

Quantæ

Quantæ, non ſolùm apud Recentiores, verùm etiam Antiquiores Medicos *lapis Bezoar* æſtimationis fuerit, id facilè ex eo innoteſcit, quòd Rhaſes, & Serapio, aliique Arabes Medici, in fugandis venenis, eum vix non pluris fecerint, quam *Mithridatium & Theriacam*: ut exinde ipſiusmet mortis domitorem, unicúmque vitæ ſervatorem nuncupare, haud erubuerint. Multi verò, è recentiorum Doctorum numero, reperiuntur, qui vix quidquam, præter *lapidem Bezoar*, fructuoſius inveniri poſſe, arbitrantur. Hinc eum ubique ferè adhibent; ſive cordi robur addere intendant; ſive malignitatis generationem anteverrere cogitent; ſive contentum jam in viſceribus venenum per ſudorem expellere nitantur. Quamvis Joannes Crato, in præſervatione adultorum à peſte, dicat: *lapis Bezoar in Aulis magni fit, ſed, quantum ego obſervare potui, non præſtat id, quod ab eo exſpectatur*: quod idem ſæpius obſervaſſe videtur: ut propterea, *in epiſt. 159.* afferat: *Bezoar in peſte parum conferre, ſe animadvertiſſe.* Hieronymus Mercurialis, *lib. 5. de febribus*, ſcribit: *Ego interdum ſum uſus lapide Bezoar, cum proſpero ſucceſſu; interdum fruſtratus ſum ſpe.* Mindererus, *in ſuo, de Peſte, Tractatu*, ſequentia habet: *quod de lapide Bezoar ſcribam, non habeo: vix enim eum unquam in aliis morbis benignioribus, nedum in peſte, eos effectûs præſtitiſſe vidi, quos inſignes quantumvis Viri, multo teſtimonio, pollicentur; opinantes, quòd, cùm ſit remedium ſumptuoſum, etiam ſit efficax futurum.* Rulandus, Vir, in re Medica, verſatiſſimus, videtur adhuc majorem ejusdem habuiſſe experientiam: cùm refert, *in ſuo, de lue Ungarica, tractat. cap. 7. hiſtor. 10. quòd demirandum ſit, lapidem bezoardicum, maximi quidem pretii, minoris interim efficaciæ, nobiliſſimo Cornu Cervino præferri, eisquè laudibus ornari, quæ tribui potiùs cornu cervino deberent. Inferes quidem: bezoar non antidotum duntaxat eſſe; ſed & cardiacum. Reſpondeo: effectu rarius, pretio ſummo evidentius utrumque arguitur verum, quoties, ſine ullo fructu,*

Lapis Bezoar.

Bezoar non ſemper commendatur.

A Rulando improbatur bezoar.

ctu, bezoardicus lapis, etiam tempeſtivè, evacuatione rite prius factâ, exhibitus eſt, iiq; minimè parcâ, ſed largâ manu, nihilo ſæcius defunctis ægris. Si tantarum eſt virium, cur plerosque non juvit? Dei maledictionem, & morbi vim majorem, quàm ut eo oppugnari queat, objiciendo, nihil proficies. Apud plerosque enim, quibus adminiſtratus eſt, neutrum habuit locum. Deinde ſi cardiacum eſt bezoar; aut manifeſtis, aut occultis qualitatibus cor corroborabitur. Si manifeſtis, ex iis quodvis conflatum erit cardiacum. Ergo occultis qualitatibus, quibus nec cornu cervi privabis. Quomodo autem ejusmodi terreſtris ſoboles, qualis eſt bezoar, cor corroborare valeat, maximum eſt dubium: cùm quotidiè, iis rebus ſolùm cordi robur afflari; obſervemus, quæ laudabilem de ſe ſanguinem promunt, indeq; ſpiritûs vitales quantitate qualitateq; adaugent. In talem ſanguinem vel momentum ejus tranſire Bezoar ſolum, nemo mortalium probabit; niſi ſpiritibus cordis robur ex Bezoar ſpirantibus ſtabiliri finxerimus, & languentes vitales ſpiritûs ſuſcitari. Sed quid ſpirituum in dimidio ſcrupulo Bezoar omnino inſidere poterit? Siquè inſident; quid obſtat, quò minùs ſubitò in auram evaneſcat, in tenuiſſimum præſertim pollinem contrito lapide: teſte Magnete, & ſuccino, quæ, in pulverem contrita, ferrum & paleas non ampliùs tam expeditè attrahunt, utpote ſuis privata ſpiritibus; quorum ope tractus eſt factus. Oportebit ſanè ſpiritibus corpuſculo minimo incluſis agere, ſi quam agendi contra virulentiam eſt ſortitus Bezoar virtutem: corpore ipſomet tam exiguæ doſi dato, ut longè impar ſit reſiſtendæ malignitati, per capaciſſimum diſſeminatæ corpus.

Propter haſce expertiſſimorum Archiatrorum obſervationes, & prudentiſſimè formata & ſuſpecta, de lapidis bezoardici virtute, judicia, diligenter eſt curandum, ut diſcretè & prudenter cum patientibus, aliisque hominibus agamus; quos vel à virulenti ſeminii productione præſervare; vel à producti malitia vindicare nitimur; ne, neglectis probatiorum virium alexipharmacis, æſtimata, ob pretium, alexicaca adhibea-

beamus, &, cum emuncto ex crumena inutiliter auro, unà etiam ex corporis pera emungamus animam. Nam, ut Caſparus Reies, *quæſt. 67. num. 24.* loquitur, ex Bocangelini, præſtantiſſimi Caroli V. Imperatoris Archiatri tractatu, *de febrib. malig. cap. 17. multi turpiſſimè errant, qui lapidibus bezoardicis, unionibus, corallis, & ſimilibus utuntur; cùm nihil aliud faciant, quàm obſtructiones adaugere, meſaraicas venas obſtruere, prohibere, ne tetri vapores ab hiſce partibus exhalent.* Sic narrat doctiſſimus Zwelferus, *in Appendice ad Animadverſiones, fol. 67.* quòd Patientem quendam, ſtemmate nobilem, doctrinâ præſtantem, & magno, in Aula Cæſarea, officio fungentẽ nactus fuerit, qui à longa ſtomachi pectorisque gravedine, nauſea, atque ciborum inappetentia, febre lentâ & continuâ mirè debilitatus, tandem Zvvelferum accerſiri curavit; qui, morbi naturam, cauſæquè radicem attentiùs examinans, Patienti vomitu ſuccurrendum, judicavit. Unde remedio, ad hanc rem tutiſſimè faciente, propinato, nobilem Patientem ad duas ferè libras viſcidi & craſſi humoris ejeciſſe, ait: cujus imum, ad digiti craſſitiem, pulvis, adinſtar cinerum albicantium, pro ſedimento, occupaverat: quem, à continuo pulveris pretioſi uſu redundaſſe, narrat. Hunc enim naturam, tanquam inutilem, ſibique moleſtum, reliquiſſe; unde, temporis tractu, adeò cumulatus fuerit, ut hoc pulvere, ex *magiſteriis corallorum, perlarum, cornu cervi uſto, & ſpeciebus epilepticis Marchionis* præparato, atque haud exiguo pretio in hunc pulverem ſæpius facto, loco ſalutis, quam quærebat, vix non mortem ſibi adſciverit. Tantæ nimirum energiæ non rarò ſunt pulveres pretioſi; qui, dum in vaporem ſpirituoſum, cordique amicum, reſolvi nequeunt, morbos (&, utinam! non mortem ipſam) nonnunquam pariunt.

Bocangelini mens de Bezoar.

Zwelferi admonitio.

Hiſce adhuc rationibus accedit illud, quòd rarò genuinus, illéque verus lapis Bezoar ad nos devenit. Nam (dicentibus

Bezoar rarò genuinus.

bus Garciâ ab Horto, *in hiſtoria ſua, de ſimplicibus, apud Indos creſcentibus, cap. 45.* Nicolao de Monardis, Joanne Fragoſo, Philippi II. Hiſpaniarum Regis, Proto Medico, *cap. 10.* & aliis graviſſimis Viris Medicis) *Indi quidam ſingularem callent artem, lapidem bezoardicum adulterandi & falſificandi.* Propter quod Zvvelferus, *in Appendice ſua, jam antè citata,* ſcribit, quòd *lapis bezoar Orientalis, pro majore parte, à Judæis Luſitanis ſingulari arte & induſtriâ, ex certis arborum magiſteriis, per juxta appoſitionem, conſletur:* quali dexteritate, quidam ſpargunt, fuiſſe margaritas, à famoſo illo Alchymiſta, Borri, tam artificioſè factas, ut ab iis, quas natura in arctè occluſis conchyliorum corticibus excoquit, ſumma cum difficultate diſtingui potuerint. Apud Nicolaum de Monardis expreſsè habetur, hoc animal bezoardicum per totas Indias non reperiri, præterquàm in montibus Regni Peruani. *Nam ego* (ut ſcribit ad Nicolaum de Monardis, Petrus Osma, præclarus Luſitaniæ, apud Indos, militiæ Dux) *omnia Mexicana Regna; omnes Peruanas provincias, Regna & Inſulas Marannon, Floridam, & multas præterea Occidentalium Indiarum regiones peragravi; attamen nuſquam animalia lapide bezoardico gravida conſpexi, quàm in ſolis hujus Regni Peru montibus.* Ergò neceſſariò ſequitur, quòd tanta lapidum bezoardicorum copia eſſe non poſſit, quantam hac noſtrâ ætate in publicis Pharmacopœorum & Materialiſtarum officinis venundari videmus. Hinc verus lapis Bezoar (conceſſo, quòd, ſecundum quorundam doctiſſimorum Virorum Medicorum doctrinam, inæſtimabilem veneni fugandi virtutem habeat) ipſâ raritate rarior, ut inquit Zvvelferus, in magna copia non datur; quoniam; ut ait Caſparus Reies, *in quæſt. 67. num. 28.* non omnes lapides, in hiſce animalibus reperti, hanc virtutem habent, ſed aliqui tantùm, qui videlicet in iis animalibus deprehenduntur, quæ melioris & ſalubrioris notæ herbis, in altiorum montium paſcuis, veſcuntur: qui & ipſi rariſſimè ad noſtras

Lapis Bezoar in Peru datur, ſed rarus.

noſtras veniunt manus; quia *apud India Magnates detinentur, ut eorum virtute* (quemadmodum ſcribit Joannes Fragoſus, *in hiſt. ſua, de Indor. med.*) *juventam, & cordis vires, conſervent integras.* Utuntur autem eo in anno bis, in Martio nimirum, & Septembri: ubi, purgato priùs corpore ab impura humorum minera, quinque ſubſequentibus diebus continuis, decem, aut plurium granorum pondus, in aqua roſarum diſſolvunt, & aſſumunt.

Ex hactenus allatis colligere licet, quòd, quemadmodum ſua lapidi bezoardico virtus, quam Joannes Fragoſus, aliique probati Autores, illi tribuunt, omnino neganda non eſt: ita, cùm raro verus & genuinus apud nos haberi poſſit, & frequenter pro ſyncero adulterinus, artificioſo Indorum Luſitanorúmque dolo ſubſtituatur, præſtat ſemper, in dubio, certa, longóque uſu præſtantiſſimorum Medicorum probata adhibere; ſive ea curationis, ſive præſervationis gratiâ aſſumantur. In tuendæ enim vitæ negotio tutiora, & tum longo uſu, tum felici ſucceſſu probata remedia, præ dubiis atque ſuſpeſpectis, adhibenda eſſe, quis (niſi talpa ſit) non videt? Inter ejusmodi pharmaca autem, quæ magnam, ad fugandum à corpore humano virulentum contagium, vim obtinent, primum facilè locum ſibi vendicat Theriaca; quæ, ut inquit Galenus, *lib. de Theriaca ad Piſonem, Medicamentum eſt, quod vim habet efficaciſſimam; & neminem promiſſis fruſtratur. Nullum enim, à feris commorſum, hoc ſtatim epoto antidoto, periiſſe, memoria proditum eſt. Nullus etiam, eâdem præſumptâ, vel ſi paulò poſt impeteretur, morſu interiit: adeò, ut non modò epota, ſed etiam admota extrinſecùs, rabidorum morſibus præſentaneum remedium exiſtat. Sed neque ad peſtilentem luem (qua & ipſa, veluti fera quadam exiſtens, ab aëris putredine exorta, per inſpirationes inſiliens, haud unum & alterum hominem, ſed plures quoque civitates depaſcit, vaſtat & populatur) reperire eſt aliud efficacius remedium.* Siquidem Theriaca

Quæ loco Bezoar adhiberi poſſint.

Theriaca.

riaca ceu ignis quidam purgatorius exiſtit, præſumentes ipſam, in peſtilenti aëris ſtatu, neutiquam malo corripi ſinit: correptus autem mederi poteſt, malitiam inſpirati aëris inalterans, nec ipſam ampliùs graſſari permittens. Quare, in proſpera quoque valetudine, ut crebrò utaris hoc antidoto, conſulo; ſed præcipuè, dum per horridam hyemem iter facturus es: quia omnes ſenſûs confirmat, mentem acuit, corpus univerſum ita roborat, ut ne à deleteriis quidem evinci poſſit. Nec mirandum eſt, quòd tam excellentes Theriacæ virtutes à Galeno tribuuntur: quoniam ipſam tales ſimplicium alexiteriorum ſpecies ingrediuntur, ut non poſſit non jam gliſcens quaſi ſub ſcintillis venenum ſuffocare, ſed etiam jam tum altiùs radicatum penitùs exturbare, & fugare, corruptos humores emendare, infectos cordis totiúsque corporis ſpiritûs purificare, reparare, & ad debitum ſtatum reducere. Nam hujus confectionis vires, à ſtomachi calore excitatæ, velociſſimo quaſi greſſu, cordi, tanquam immediato febrium malignarum & peſtilentium ſubjecto, neceſſarias ferunt ſuppetias, pravas cordis fuligines diſcutiunt, tenuiorem ſanguinis laticem, utpote maligno ſeminio vehementer infectum, ex corde pellunt, ſudorem eliciunt, &, unà cum ichoroſitatibus, per ſudorem prorumpentibus, virulentia prodit, & in auram abit: ut hac ratione Theriaca vitæ ac valetudini humanæ, in ſeros annos protrahendæ, plurimum adjumenti conferat: ſi modò cum prudentia adhibita fuerit. Hinc monet Galenus, *loco jam antè citato*, dicens; *per æſtatem neutiquam id pharmacum capere conſuluerim: ſimiliter ætate florentibus, calidiſſimiſq; naturis, nec multùm, nec ſæpe id exhibendum cenſeo: iis verò, qui jam inclinant, & plurimum, & crebrò, non ex aqua, ſed ex vino, ut propinetur, ſvadeo. In pueris omnino vitandum id medicamen eſt, ut quòd facilè corpora eorum diſſolvat. Memini ſiquidem, aliquando puerulum, ex intempeſtivo uſu antidoti diſſolutum fuiſſe.* Eodem modo nec iis Theriacam conducere arbitror, qui fortiore mali-

malignarum febrium æſtu ſuſque deque affliguntur: quia, accenſâ potentiùs, à febrili calore, ſanguinis maſſâ, & æſtuantibus præter modum ſpiritibus, majus adhuc caloris incendium, ab intempeſtivo Theriacæ uſu, excitari poſſet. Ut proinde non, niſi in exiguâ quantitate, adhiberi valeat; aut, aliis medicamentis refrigerantibus caſtigata, propinari debeat.

Nec minores ferè laudes meretur famoſa illa Damocratis *confectio Mithridatica*, *Diaſcordium Fracaſtorii*, *Electuarium de Ovo*, & illa, quæ apud Cratonem, aliosque graviſſimos Viros Medicos, extant electuaria & confectiones alexipharmacæ; inter quæ non infimum illud habet locum, quod ego, tum in præſervatione, tum in curatione, ſæpiſſime ſum expertus: quod Excellentiſſimus D. Franchimont, præſtantiſſimus Regni Bohemiæ Archiater, ſic compoſuit: Potentia Antidota.

℞. *Rad. tormentill.*
Doronic.
pimpinell.
biſtort.
petaſitid.
ſcorzoner. an. ℥ß.
contrajerv. ℥j.
anthor. ʒiij.
folior. ſcord. noſtr. ℥j.
cortic. citr. extim.
bol. Armen. præp.
terr. ſigill.
C. C. præp.
baccar. herb. Paridis,
ſtorac. calamit. an. ℥ß.
ſemin. acetos.
citr.
nap. an. ʒij.

ſal. abſ

ſal. abſynth.
card. benedict. an. ℥ij.
pulv. viperar. ʒß.
magiſter. opii, in ſpir. diatr. ſolut. ʒiß.
conſerv. flor. calendul. ℔ij.
ſyr. d. ſcord. compoſit. ℔iß.
decocti alexicaci ℥ix.
Miſ. fiat Electuarium alexicacum.

Decoctum alexicacum ejusdem Excellentiſſimi Viri ex ſequentibus paratur:

℞. *Rad. ſcorzoner.*
acetos. an. ℥ß.
fol. bugloſſ.
acetoſell. an. Mj.
fruct. tamarind. ʒij.
ſem. nap. ʒj.
raſur. C.C. ℥ß.

Inciſa & contuſa ſerventur uſui. Quantâ energiâ & virtute hoc electuarium alexicacum, in amolienda febrium malignarum & peſtilentium fuga, polleat, id vix edixero: maximè ſi, ſublatâ tempeſtivè primarum viarum cacochymiâ, ʒij *vel* ʒiij (prout hominis hâc medicinâ tractandi capacitas nunc majorem, nunc verò minorem ejus quantitatem permiſerit) *cum decocti alexicaci* ℥ij. *vel* ℥j *&* ℥ß *vel* ℥j *ſyr. de ſucco citri*, in morbi principio oblatæ fuerint; dum adhuc requiſitæ ad operandum vires ſuperſunt. Ego ſanctè dicere poſſum, quòd jam, per aliquot annorum ſpatium, tam præſtantes hujus medicinæ effectûs, partim in præſervatione, partim etiam curatione invenerim, ut alterius uſu vix opus fuerit. Si quis ampliorem internorum prophylacticorum campum deſideraverit, ille Bayri, Mindereri, Cratonis, Palmarii, Mercurialis, aliorúm-

aliorúmque præſtantiſſimorum virorum monumenta perlegat. Ego ſaltem hîc ea attigi, quæ mihi magis uſualia ſunt.

Non pauci reperiuntur Medici, qui, graſſante lue peſtiferâ, non tam interna, quàm etiam foris geſtata prophylactica commendant. Inter quos Marſilius Ficinus credit, *quòd Mercurius, teſtæ nucis avellanæ* incluſus, & de collo, ad cordis regionem, ſuſpenſus, illud à malignæ ſementis contagio tueatur. Alii *arſenicum* magni faciunt, dum illud cum *cinnamomo, diptamno Cretico, ſemine ſinapis, ambrâ gryſeâ, benzoin*, atque aliis corroborantibus aromatibus ſacculo inſuunt, & ſub alis geſtare jubent, non infelici, juxta nonnullos, experimento; quibus Heurnius *bufonis pulverem, lapidêsque pretioſos, cum margaritis & coralliis addere mandat.* Idem Heurnius *oleo ſcorpionum Matthioli arſenicum* miſcet, eóque cordis, pulſuum, axillarum, & inguinum regionem inungit; dicens, quòd hoc linimentum cor adverſus virulenti miasmatis attractionem muniat: quod qualiter contingat, ego ſaltem capere nequeo; licèt quidam velint, cor paulatim veneno aſſuefieri, ut, eam ob cauſam, minùs ab aëre venenato lædatur. Æneas Caprilius, *lib. 2. de febr. putridis*, ſequentem, hac ſuper re, diſcurſum movet, aſſerens: *Cùm arſenicum ſit venenum, naturam habebit cordis naturæ contrariam; cauſæ autem peſtilenti ſimilem: quocirca quemadmodum aër peſtilens arſenici ope inſpiratur, ita idem ejusdem, foris appenſi, beneficio è corporis centro ad circumferentiam viciſſim prolectatur.* Qualiter autem aërem peſtilentem, arſenici ope, inſpirari putet, non ita liquet, niſi foraſſis aërem halonibus arſenicalibus, ex terræ viſceribus elevatis, infectum attrahi, arbitretur; qui deinde à ſuſpenſo, ad cordis regionem, arſenico prolectus ſponte exeat. Verùm dato, quòd arſenicum vim quandam habeat, illud, quod ſibi ſimile eſt, è corpore proliciendi: omnes tamen ſudorem cauſantes occaſiones diligenter erunt cavendæ, ne, reſeratis à calore, ſeu interno, ſeu externo, cutis

Prophylactica externa.

Arſenicale amuletum non videtur tutum.

poris, effumantes ex arſenico vapores, per eosdem reſeratos, ſeſe inſinuent, vitales cordis facultates impetant, ſpiritûs obruant, & præſentaneum vitæ periculum adferant. Unde Hõferus, *in Hercule ſuo Medico, lib. 2. cap. 1.* docet, quòd *multò certè tutiores ſint balſami cor confortantes, quàm amuleta, ex venenis parata, &, neſcio quibus, characteribus inſignita, ex arſenico, Mercurio, antimonio, & araneis: quia cor magis debilitant; quod maximè eſſet confortandum.*

Quis ergò, ſanioris ſaltem mentis, homo non dixerit, quòd præſtet, loco hujusmodi amuletorum, ex venenis confectorum, ſubſtituere ſacculos, ex iis rebus compoſitos, quæ ſpecificâ virtute cordi robur conciliant, & qui, ejus regioni appoſiti, illud à contagioſa graſſantis malignitatis infectione defendunt? Quales, pro frigidioris naturæ ſubjectis, parari poſſunt ex *foliis ſalv. rut. majoran. meliſſ. an. pij flor. ſalv. tunic. anth. bugloſſ. ſambuc. an. pj. rad. Zedoar. angelic. contrajerv. an.* ℈iß. *lign. aloës, baccar. juniper. cortic. citr. aurantior. caryophyll. an.* ℈j *mac. ſuccin. croc. an.* ℈ß. *camphor. gr. v.* ex quibus, inciſis incidendis, & contuſis contundendis, formetur *Sacculus*, ex ſindone, ad cordis figuram concinnatus, & portetur ſiccus, aut aceto vini madefactus. In frigida corporum conſtitutione, hujusmodi ſacculorum vires ſupplere poterunt *Theriaca*, & *Mithridatium;* utpote quæ cordis regioni, vel per modum inunctionis applicata, vel panno ſcarlatino inducta, eiq́ue admota; ipſius virtutem & vires mirificè inſtaurare valent. Si verò calidioris complexionis homines à contagioſo malignitatis fermento, per hujusmodi medicamentorum applicationem, præſervare intendamus, præſtat, ut cordis regio, manè & veſperi, *aceto caryophyllato*, cum *camphoræ modico*, aut *aceto roſarum*, aut *ſcordii, aut florum ſambuci*, vel *rutæ*, vel demum *oleo ſuccini*, *unguento roſaceo* commixto utamur: quod magna ſemper cum utilitate, à præſtantiſſimis Medicis præſcriptum fuiſſe, refert Rulandus.

Sacculi ex alexipharmacis tutiores.

Verùm

Verùm enim verò, cùm vulgari quaſi adagio, præſertim à ſecta illâ, Theophraſtum Paracelſum à Bombaſt imitante, ſpargatur, quòd *in herbis, verbis, & lapidibus magna conſiſtat virtus*, & quotidiano rerum eventu doceamur, quòd magna pars hominum, excellentioris etiam conditionis, ita ſit conſtituta, ut amuleta, ex certis verbis, characteribus & ſignis confecta, religioſiùs in morborum curatione & præſervatione adhibeat; non ſine ratione quæritur: an exotica hæc amuleta vim quandam aut præſervandi, aut morbos curandi habeant: &, ſi quam poſſident, an ea ſit dicenda naturalis? Cui quæſtioni priusquam reſpondeam, juvat id, quod in præſentem quæſtionem minimè venit, diſcernere ac ſeparare. Declaro igitur, non me hîc agere de amuletis ſacris, granis, herbisque benedictis, aut verbis ſacris, quibus magnam, ad certos morbos arcendos, vim ineſſe, ſi juxta præſcriptum Eccleſiæ ritum adhibeantur, negare nec poſſum, nec volo. Solùm itaque de amuletis, certo characterum genere notatis, de verbis, vocibúsque nihil ſignificantibus, de variis figuris, abſurdarúmque rerum ſigillis, & (ut phraſi Ovidianâ loquar) de Hecateis carminibus procedit quæſtio: an hujusmodi amuleta vim à natura ſibi inſitam habeant, ut morbis adverſam, ita valetudini tuendæ conſervandæque idoneam & aptam? Reſpondeo itaque, non obſtante frequenti amuletorum hujuſcemodi uſu, vel abuſu potiùs, qui non ſolùm inter homines è trivio viget, ſed in aulas quoque Illuſtriores quandoque irrepit, nullam verbis nil ſignificativis, inanibus characteribus, certis figuris notisque, vim à natura tributam eſſe, ſive ad valetudinem, contra infeſtos morborum inſultûs, tuendam; ſive ad morbos ab humano corpore propulſandos: ſed, ſi quid adverſus morbos poſſunt, eam vim facultatémque omnem à Stygio ſycophanta ortum habere, qui ſuperſtitioſis ejusmodi amuletis, ad fallendos incautos homines, ſeſe ſolet admiſcere.

Utrum in herbis, verbis, & lapidibus magna virtus.

Hecatea amuleta damnantur.

Viderint igitur ii, qui ſuperſtitioſis ejusmodi amuletis tantâ confidentiâ, perinde ac ſi cælo delapſa, aut è Jovis Diphtherâ deſumpta eſſent, utuntur, quàm periculosè, & Chriſtiano nomini parùm conſentaneè agant. Cùm enim talia ſchediasmata, & carmina, manifeſtam ſuperſtitionem ſapiant, & impiarum ſtrigum ſagarúmque artem redoleant; meritò ea quisque execrabitur, cui ſalus, vita & fama cordi ſunt. Ipſi certe Ethnici Chriſtianis quibusdam ruborem deberent incutere, qui, licet veræ fidei lumine deſtituti, familiaria tamen ſtrigibus amuleta damnarunt, quin & capitis, vitæ famæque jacturâ mulctarunt. Sanè Caracallæ temporibus, ut Cælius, *lib. 9. cap. 23.* refert, omnes capitis damnati ſunt Romæ, quotquot tertianis, aut quartanis laborantes febribus, amuleta collo propendentia geſtarunt. Quid celeberrimo Periclis nomini turpem dedecoris infamiæ labem aſperſit, omnémque virtute heroâ factisque eximiis comparatam laudem adeò obſcuravit, ut inglorius obierit, quàm quòd in communi illo, quod Athenienſes vehementer afflixit, contagioſæ luis periculo, Hecatea, collo pendula, carmina palàm geſtàrit? Quòd ſi jam divina ſtatuta, & tum ſacri, tum profani Juris conſulamus Canones, graviſſimis pœnis plecti, atque à Societatis humanæ conſortio exturbari eos deprehendemus, quotquot ad ſuperſtitioſæ artis præſidia confugiunt, & ſalutem ab amuletis ejusmodi, quibus vim omnem natura, authórque naturæ negavit, turpiſſimè emendicant. Sapientiſſimo divinæ legis decreto ſtatutum eſt, *Exod. cap. 22. verſ. 18. maleficos* (idem de iis, qui illos adeunt, conſulúntque, eſto judicium) *non patieris vivere.* Legi divinæ bellè conſentit jus Canonicum; quod homines, ſuperſtitioſis magicísque artibus deditos, vitâ plecti, pluribus in locis, decernit: ut videre eſt in *(pervenit) contr. Idol. 26. q. 5.* & extravagantibus variis, corpori Juris inſertis. Haud multò aliter Civile jus ſtatuit, ut patet *l. multi, lib. nullus. lib.*

Superſtitio olim punita.

Jus prohibet amuleta.

lib. etſi cap. de malef. & mathemat. quarum legum æquiſſima ſancita qui accuratè ponderârit, omnem inanibus ſchediasmatis, & vanis ſtrigum carminibus, fidem facilè derogabit, tutioremquè valetudini ſuæ medelam, à ſalubribus pharmacis, quibus ſupremus Conditor miram humanis corporibus opitulandi virtutem tribuit, potiùs expetet, quàm à vanis characteribus & Theſſalicis ſchediasmatis, quorum uſus ſæpe cum vitæ, valetudinisque periculo, cum certo verò ſalutis æviternæ diſpendio, ferè ſemper ſuſcipitur.

Quapropter vehementer ſunt fugiendi fraudulentiſſimi Judæi, Cingari, & reliqua hujusmodi veneficorum, impoſtorum & ſicariorum cohors, qui inermibus characteribus, imaginibus, ſigillis, verbis exorciſticis, murmurationibus diabolicis, herbis Magicis, vel febrem diverſis diverſam, vel epilepſiam, vel virilem impotentiam, aliásque graviores affectiones præpedire, vel curare ſe poſſe, jactitant. Nam propter alogiam ſuam hæc ſummopere ſunt ſuſpecta, quin & impia penitùs atque execrabilia; eò quòd omnia hujus ſortis auxilia naturali virtute careant, ſingulæque, ab iis fieri ſolitæ, operationes à pacto implicito proficiſcantur, quod illos homines inter & Diabolum intercedit, à quibus talia amuleta offeruntur: dicat, quidquid Serenus voluerit, de ſuo *Abracadabra*, & Cardanus, *verba ſua ſanguinem ſiſtentia* commendet ad beneplacitum: ego hæc remedia, utpote ſuperſtitioſa, impia, Chriſtiano homine indigna, naturalíque virtute carentia damno, deteſtor, & prorſùs rejicio, cum Ovidio, de Remedio amoris, aſſerens: Impoſtores venefici damnantur.

Ergo, quisquis opem noſtrâ tibi poſcis ab arte,
Tolle veneficiis, carminibúsque fidem.

Et hæc, de febrium malignarum & peſtilentium præſervatione, ejusquè modo & remediis, dixiſſe ſufficiat.

Malignarũ febrium cura difficilis, & cur.

Quod febrium malignarum & peſtilentialium curationem concernit, ſciendum eſt, quòd in hac tantæ plerunque ſe offerant difficultates, ut, quid primò fieri debeat, ſæpius ambigatur, aut planè ignoretur. Nam febrilis æſtus purgationem, venæ-ſectionem, & ex hiſce ſequentem alterationem exigit: malignitas autem, febri conjuncta, ſolicitam diaphoreticorum exhibitionem poſtulat. Dum ſeroſum ſanguinis laticem, alióſque, putredinis nævo corruptos, humores expurgamus, malignitatis robur, ex nonnullorum Medicorum opinione, negligitur; quod neglectum augetur, & ſe latiùs per ſecretiores corporis receſſûs diffundit: omiſſâ autem humorum cacochymicorum purgatione, eorundem putredo augmentum capit, febrilis æſtus, ob perſiſtentem putridorum & accenſorum ſuccorum cloacam, omnia exurit: malignitas verò clandeſtino greſſu ad ſecretiora cordis loca ſerpit, ejuſdemquè virtutem expugnat; adeò, ut hanc neglectam mors neceſſariò ſequatur. Quin imò, neglectâ purgatione, diaphoretica & alexipharmaca remedia vires ſuas etiam exerere, & inſidiantem cordis virtuti malignitatem tollere nequeunt, quòd vires eorum ab immunda cacochymiæ ſcoria, in primis quàmmaximè viis ſtabulante, impediantur, hebetentur & infringantur. Unde contingit, ut vix unum, ſine alterius detrimento, peragi aut omitti poſſit: quandoquidem humorum putredo abſque evacuatione; malignitas verò ſine diaphoreticorum & alexipharmacorum adhibitione demi non poteſt: ſed alexiteria, & ſudorifera, impuro corpori data, ſi quam operationem præſtent, corporis alterationem promovent, febrilem ardorem acuunt, ſanguinis ſpirituúmque philogoſim adaugent, totiúſque corporis fervorem taliter intendunt, ut ægri miris corporis & animi angoribus atque inquietudinibus torqueantur.

Malignæ febres ſolertiã

Proinde Medico tam ſolerti & ingenioſâ opus eſt prudentiâ

tiâ, ut uno oculo ad urgentem, in febribus, malignitatem; altero ad putredinem reſpiciatur, & id mox oppugnetur & auferatur, à quo majus imminere periculum notatur. Hoc autem ipſa urgentis febris natura, accuratiùs conſiderata, nobis patefaciet. Cùm enim duo primaria indicantia, malignitas ſcilicet, & putredo, in eâ concurrant; ab his quoque duobus agendorum ratio deſumenda erit. Quapropter ſi malignitas ipſa putredine fuerit major (quod ex ſubita vehementique virium ruina, & majore, vel minore febris ferocia colligitur) multæque cruditates primarum viarum ſpatia occupaverint (quod ex antè-actâ victûs ratione advertitur) illæ ſine mora, evacuante leniore cathartico, priùs ſunt tollendæ, quàm venæ ſectio adminiſtretur: ſi verò in majorum venarum cavitatibus crudorum ſuccorum redundantia notetur; antea venæ apertionem moliri, & congruis alexipharmacis cordis virtutem inſtaurare oportet, quàm ad purgationem procedatur. Sin accidat, ut à putredine malignitas ſuperetur (quod ex febrilis æſtûs vehementia, & mediocris virtutis robore conjicitur & deprehenditur) illicò cacochymia, ante tertiam, ad ſummum quartam febris diem, benignioribus catharticis, ſubducenda eſt; tertiâ enim, ad ſummum quartâ, neglectâ die, præſtat, ab evacuantibus abſtinere, quàm intempeſtivâ eorum propinatione vehementiorem humorum fermentationem & ebullitionem accerſere; cum horum dierũ ſpatio principium morbi abſolvatur; in quo ſi quid movendum videtur, moveatur; jubente Hippocrate, *aphoriſ. 29. ſect. 2. ſiquidem in morbi principio remiſſiora ſunt omnia;* ut ait Galenus, *in hujus aphoriſmi commentario,* & vires, morborum medicatrices, adhuc conſtant, quæ ſuperfluorum humorũ evacuationem eò faciliùs ferunt, quò materia, per evacuationes opportunè inſtitutas, minor reddita fuerit. Nam credibile eſt, quòd vires, in morbi principio reſtantes, imminutam vitioſorum ſucco-

Medici poſtulant.

Duobus oculis opus eſt.

In majori malignitate quid faciendum.

Quid in putredine.

rum;

rum quantitatem leviori negotio ſuperent, quàm ingentem rebellium humorum copiam, omiſsâ evacuatione, vincant. Ut propterea, conſideratâ, dubio procul, penitiùs hujus rei veritate, Hippocrates, jam ante plurima annorum ſæcula, *lib. de locis in homine*, ſcripſerit, quòd *ſemper morborum principium curare oporteat*, *eò quòd complantatæ morborum radices difficulter à Medicis evellantur*; aſſerete Amato Luſitano, *Curat. medicinal. cent. 2. in ſchol. curat. 10.* Proinde non attento, quòd Hippocrates, *aphoris. 22. ſect. 1.* prohibet, ne alii ſucci, *quàm maturi & concocti, medicentur*; ego nihilominùs neceſſarium judico, ut materia peccans, in febrium malignarum, putridarum & peſtilentium initio, &, ob majorem malignitatem ac copiam, non raro turgens, & ſingularem ſymptomatum vehementiam, varietatémque inferens, pharmaco purgante tollatur. Cùm enim peccantes, in corpore, humores, propter malignitatem, viſcoſitatem & copiam, vinci domarique non poſſint, &, ob neglectam eorum evacuationem, præſentiſſima vitæ pericula oboriantur, cur non illud remedii aggredi liceat, in quo ſpes unica ſuperſtes eſt? Et, quæſo! ſi nocet humorum copia, cur partem eorum tempeſtivâ purgatione ſubtrahere non liceat? Si humorum caliditas, aut putredo, obſtet, quis negabit, imminutâ illorum quantitate, minorem fieri quantitatis qualitatem? Si recurratur ad ſuccorum craſſitiem & viſcoſitatem, repono, quòd ſint tales, quia compacti: quòd, ſi pars ipſorum auferatur, minùs compacti, lentoremquè ſuum depoſituri ſint.

Materia turgens purgetur.

Ego, pace tamen expertiſſimorum Archiatrorum, dicere poſſum, quòd obſervaverim, neglectâ, in febribus malignis, corporis evacuatione, aut alvo ad neceſſitatem non fluente, decumbentium capita vehementer gravari, ob petentes altum vapores: temporum venas & arterias ſingulariter impleri & pulſare: oculos turgere: hypochondria dolere: ventriculum

Obſervatio ge purgatione.

lum fortiùs turbari: cordis anxietates augeri: febres intendi: corpus totum languere & torpeſcere; tandemquè, omiſſâ ſcilicet ſuperſtitioſiùs purgatione, omnium virium reſolutionem, ac mortem ipſam, ſubſequi ſolere. Fatales hi effectûs ab occluſis & degenerantibus in viſceribus pituitæ ſpeciebus producuntur: à retentis, fortiúsque aſſatis bilis præternaturalis generibus, circa cor & jecur naſcuntur, adeò, ut purgationem, in febrium malignarum principio, ſummè neceſſariam judicem. Quin imò, cùm Cardanus, *in commentario ſuo in aphoriſmorum Hippocratis 14. ſect. 5.* doceat, *metam morborum initii non eſſe tempus, ſed virium robur, & corpus ſuccoſum*: atque Galenus, *in comment. aphorſ. 9. ſect. 1.* aſſerat, quòd *agendorum ratio ab ægrotantis viribus deſumatur*: & Fernelius, *lib. 3. meth. med. cap. 11.* clarè tradat, quòd *corpus à morbo vindicari non poſſit, niſi ex eo prorsùs expurgetur, quidquid ineſt noxii humoris*: ego omnino arbitror, quòd corpus, à nimia humorum excrementitiorum congerie repletum, etiam in morbi augmento, tutò purgari poſſit & debeat; ſi præſertim firmæ conſtiterint vires; partim quia nec alimenta, nec medicamenta, malignitati expungendæ oblata, quidquam fructuoſi operari poſſunt, etiamſi præſtantis energiæ fuerint (*mali ſiquidem ſucci, in corpore priùs collecti, conſortio vitiatur novum accedens alimentum; quo fit, ut cacochymiæ quantitas augeatur, & retineatur qualitas;* dicente Galeno, *in comment. aphoriſ. 30. ſect. 2.*) partim quia ſæpius vidi, quòd data, in morbi augmento, laxantia tanto cum fructu operata fuerint, ut, elapſo paucorum dierum ſpatio, malignis febribus decumbentes ex integro convaluerint: qualiter, præter reliquos, uno ab hinc anno, cum Generoſi Domini, Ludovici à Riſenfeldt, Urbis Echinoppolitanæ Regii Judicis meritiſſimi, filia Roſina, petechiis graviter ægrotante, accidit; dum eidem potum laxantem, ex errore, obtuliſſent, quem ejus ſorori, corporis purgandi causâ, ebibendum ordinave-

Quando in morbi augmento purgandum.

ram. Poſtquam enim hæc, epotâ medicinâ purgante, inſignem putridorum ſuccorum farraginem excreviſſet, illicò omnes cordis anxietates & palpitationes, vigiliæ & deliria, ſitis incompeſcibilis, linguæq; ſcabrities, atque aliorum, in hac lue occurrentium, ſymptomatum copia ceſſavit, convaleſcente breviter ex integro bonâ Virgine, quæ, ob vehementium ſymptomatum contumaciam, fatis conceſſura putabatur.

Ubi tamen obſervari velim, quòd quidem Galenus, *lib. 3. meth. med.* doceat, *in morborum curationibus vires infirmiores, molliorésque, mitiora: validiores verò & ſicciores, valentiora auxilia requirere*: atque alii doctiſſimi Archiatri ſcribant, medicamenta cathartica, in febribus malignis, debere eſſe talia, qualibus inſint certæ quædam particulæ, virulento febrium miasmati analogæ; eò quòd hæc (ut ajunt) integro virium robore ſecretiores corporis humani receſsûs pervagentur, & hoſpitantem in iiſdem malignarum febrium materiam, utpote ſibi conſimilem, moveant & aggrediantur; quæ, ſic mota, tandem ab eorum vi purgativa, per alvi fluorem, eò promptiùs evehitur; qualiter Plinius, *lib. 27. cap. 2.* cum aconito fieri docet. *Ea enim*, ut inquit, *aconiti eſt natura, ut occidat hominem, niſi in ipſo reperiat, in quod agat; cum eo ſiquidem ſolo luctatur, velut pari intus invento.* Ut propterea, præ cæteris, illa medicamentorum genera à doctiſſimis nonnullis Medicis commendentur, ſive ea cathartica, ſive diaphoretica fuerint, quæ Mercurio, antimonio, arſenico, aliiſque ſuſpectioris naturæ mineralibus, aut vegetabilibus, aut denique animalibus, à Chymicis excoquuntur, & præparantur.

Mercurialia cathartica commendantur.

Verùm enim verò, ego, ſuum cuique, hac ſuperre, judicium relinquens, ſtatuo, quòd validiora, ut ſunt *colocynthis, elaterium, diagridium, trochiſci albandali, helleborus niger, pilulæ de euphorbio, antimoniata, ex Mercurio, arſenico* & aliis hujus ſortis venenis præparata medicamenta, nunquam in febribus mali-

Validiora cathartica non facilè adhibenda.

malignis exhiberi debeant. Nam hujusmodi pharmaca, ob venenum, quod ſibi connatum habent, naturæ, absquè hoc à morbi malignitate valdè quaſſatæ, violentiam inferunt; conjuncto etiam calore acri, ferocientes in corpore humores magis exaſperant, totiúsque corporis æſtum in tantum augent, ut æger in certiſſimum vitæ diſcrimen conjiciatur. Quod expertus Nicolaus Maſſa, *tract. 3. de febr. peſtil.* ait: *Ego, ex fortiorum pharmacorum uſu, plurimos perire: debilium verò multos reſtitui, vidi.* Ut proinde illorum mihi placeat ſubſcribere ſententiæ, qui purgationem, in febribus malignis tentandam, mitioribus catharticis faciendam eſſe, ſtatuunt. *Nam*, ut inquit Mercatus, *ſatis eſt, pharmacum iſtiusmodi motûs principium communicare; ipſimet enim poſtmodùm, malitiâ & acrimoniâ ſuâ, naturam vellicant, ut, ſumpto à levi pharmaco motûs principio, validiſſimas deinceps purgationes efficiat, &, ſi materia ſit malignior, dyſenterias, quandoque exitiales, producat. Taceo, quòd ſæpenumero, in malignis febribus, natura ſponte per alvi fluorem ſe exonerat: in quo quidem opere ſi vehementioribus pharmacis adhuc juvatur, præſentiſſimum ægro periculum procreabitur.*

Quapropter cacochymicorum ſuccorum vacuatio benignioribus catharticis, in febrium malignarum curatione, inſtituenda eſt; ne vel minima, absque hoc periclitantium, virium ſtrages contingat. Talia autem ſunt *rhabarbarum, folia ſennæ, polypodium, epithymum, manna, mel roſarum ſolutivum, ſyrupus roſarum ſolutivus, de cichorio cum rhabarbaro, electuarium diacatholicon;* præcipuè *agaricus;* quem innatâ quâdam, eâque ſpecificâ, virtute venenis reſiſtere, patet ex Dioſcoride, *lib. 3. cap. 1.* ubi ait: *agaricus adverſatur venenis, ſerpentium ictibus & morſibus; tum foris in affecta parte impoſitus; tum intrò in corpus aſſumptus;* ut tradit Galenus, *lib. 6. de ſimpl. med. facult. cap. 7.* Alii *Trypheram Perſicam* mirificè laudant; ut Auguſtani: eámque in febrium malignarum purgatione nequaquam omit-

Benigniora purgantia tutò adhibentur ſequentia.

tendam eſſe cenſent; quòd non tantùm malignæ fermenti contrarietur, ſed etiam omnes humores, in corpore peccantes, mirâ clementiâ expurget. Crato, *lib. conſil. fol. 1078.* calidioris temperaturæ homines *pilulis de tribus*, *cum rhabarbaro*, purgandos eſſe ſcribit. Verùm, cum Nicolaus Piſo, *lib. 1. de morb. cognit. & curat. cap. 19.* dicat, quòd *venenorum curatio non modò ſit alteratio, ſed etiam vacuatio*: diligenter eſt elaborandum, ut purgantibus, in febrium malignarum curatione exhibendis, ſemper frigida, & malignitati reſiſtentia, immiſceantur; qualia ſunt *acetoſa*, *cichorium*, *endivia*, *pentaphyllum*, *ſcordium*, *ſpiritus vitrioli*, *ſal. ſulphur. acidus*, *ſpiritus ſalis armoniaci Zvvelferi*, & alii hujus virtutis ſucci.

Si verò accidat, ut corpus, malignarum peſtilentiúmque febrium æſtibus correptum, vitioſis redundet ſuccis, & tamen, ob languentem vehementiùs virtutem, illos catharticis demere non liceat; leniorum enematum injectione ſuccurrendum eſt. *Nam hæc*, ut loquitur Bruële, *ſubitò, absque omni virium dejectione, aliorum humorum turbatione, nec non reliquorum pharmacorum usûs remora operantur*, ſi præſertim mitiora fuerint, qualia ex *radicis acetoſæ*, *ſcorzoneræ*, *herbarum emollientium*, *hordei decocto*, *cum jure pulli facto* conficiuntur; in quo diſſolvuntur *electuarium diacatholicon*, *triphera Perſica*, *oleum violarum*, *amygdalarum dulcium*. Hîc tamen notandum occurrit, quòd talia ſemper hujuſcemodi clyſteribus addi debeant, qualia ſpeciali energiâ malignitati adverſantur, ut ſunt *radices & folia acetoſæ*, *ſcordium*, *endivia*, *ſcabioſa*, *veronica*, *&c.* diligenter tamen ſunt fugienda, quæ aut multâ calefaciendi virtute pollent, aut nimium acuere poſſunt; quia verendum, ne natura languens, & fortiùs ab hujusmodi clyſteribus laceſſita, fatigetur; fatigata verò ſuccumbat.

Clyſteres quando injiciendi.

Inter medicamenta evacuantia, potentérque alterantia, non immeritò *Vena-ſectionem* numeramus; quæ utrum in febrium

brium malignarum & peſtilentium curatione adhiberi debeat, in utramque partem ab Authoribus diſputatur; dum alii, dominante præſertim cruoris multitudine, eam ſvadent; inter quos Avicenna, *lib. 4 fen. 1. tract. 4. cap. 4.* dicit; *quòd, ſi in febribus peſtilentibus materia vincens fuerit ſanguinea, fiat phlebotomia.* *Si enim ipſa*, ut aſſerit Capivaccius, *lib. 6. pract. cap. 31. in vehementi ſanguinis vitio omittatur, ſummum imminet periculum*; quia vehementior ſanguinis putredo eſt pertimeſcenda. Hinc Galenus, *lib. 11. meth. med.* vult, quòd, *ſi vires ejus, qui ex putredine humorum febricitat, valentes ſint, mittendus, ſtatim morbo incipiente, ſit ſanguis.* Alii, è contrà, ſæviente jam in corpora humana venenatâ affectione, ſanguinis miſſionem diſſvadent: ſummam enim veneni malitiam ſecum ruminantes, aſſerunt: cùm, ob morbi virulentiam, corporis robur facilè collabatur, plurimúmque diſſipetur; ſuperveniens malignitati venæ ſectio adhuc majorem virium ſtragem ſit illatura; ſiquidem hæc puram cum impura ſanguinis portione demit, ſpirituum vigorem enervat, & vires exhaurit: quin imò venenato ſeminio id adjumenti addetur, ut promptiùs ad ſecretiores nobilioréſque corporis noſtri receſſus pertranſire, & violentiùs crudelitatem ſuam in iis exercere poſſit. Quod dum accidit, nulla profectò naturæ, de morbo, ſperanda victoria: quin ipſa potiùs, ob factam largiorem ſpirituum diſſipationem, ſuccumbet, triumphum cantante fatali morbo. Ad hæc neque materia peccans ſanguinis miſſionem admittere videtur. Illa enim, cùm ſit venenatæ indolis, & ſecretioribus cordis penetralibus potiſſimum inſidietur, illaque inhabitet (ut patet ex vehementi illa ſanguinis ebullitione, circa cor fieri ſolitâ) ſanguinis eductione illa evocari nequit; ut proinde aliis remediorum armis ſit impetenda ac eliminanda. Et, eſto, quòd materia ſit putrida; cùm tamen nec humorum putredo venæ-ſectione auferatur, nec obſtructiones reſeren-

An venæſectio adhibenda.

tur; ab ejus uſu Medico prudenter deſiſtendum eſſe ſtatuunt illi, à quibus ſanguinis miſſio, in febribus malignis & peſtilentibus, improbatur & diſſvadetur.

Verùm quis non videt, hanc litem, à doctiſſimis Archiatris motam, facili labore componi poſſe? Si enim præſens ſit ſangvinis in quantitate vitium, quod vel vaſa diſtendat, vel vires gravet, vel concitato rapiatur orgasmo, ut proinde ſit timendum, ne in partem aliquam principem irrumpat; quis mihi, amabo! negabit, hæc ſanguinis vitia, & ab iiſdem imminentia pericula, per opportunam venæ-ſectionem eſſe averruncanda; maximè ſi vires integræ conſtent, patientis ætas permittat, nec aëris æſtus, corporis virtutem diſſolvens, aut alia incommoda, ſanguinis miſſionem diſſvadeant? Quin & hanc redundantis cruoris eductionem Galenus, *lib. de art. curandi per ſang. miſſ.* fieri debere, tradit, inquiens: *utramque plenitudinem, tum ad vaſa, tum ad vires, celeriter evacuare oportet, priùs quàm aliquam perniciem contrahant, aut in partes nobiles decumbant, tumores & apoplexias, venarúmque ruptiones moliantur.* Secundò certum eſt, quòd effluente, per apertam venam, ſanguine, unà cum eo, venenatum miasma, ſanguinis maſſam oberrans, & inhabitans, evacuetur: quo cum ſanguine evacuato, cor neceſſariò refocillari & allevari debet; tum quòd pars ſuccorum, à putredinis nævo jam corruptorum, detrahatur; quibus ſubtractis corpus probiùs perſpiratur, calentes humores meliùs ventilantur, ulterior humorum putredo præcavetur, & reliqua corporis viſcera ab exurente, nimiúmque excedente febris incendio vindicantur. Cùm, è contra, neglectâ ſanguinis miſſione, videamus non raró, naturam ſanguinis copiâ premi, cor à venenata ſemente oppugnari, humorum putredinem augeri, ſitim, cordis anxietatem, linguæ aſperitatem & ſcabritiem, vigilias & phrenitides, ſyncopes, lipothymias, cardialgias, aliorúmque terribilium

Venæ-ſectio cum judicio facienda.

lium accidentium ſyndromen in tantum augeri, ut altiùs actæ mali radices ab efficaciſſimis etiam remediorum antidotis evelli non poſſint; ob quas miſerias adeò radicatas aliter fieri nequit, quàm ut Patiens à ſæva Parcarum manu, in primo nonnunquam ætatis flore, abripiatur.

Illud tamen etiam unicè obſervandum eſt, quòd, ante venæ-ſectionis inchoationem, præſens virium ſtatus in attentum examen ſit vocandus; videndo, an illæ reverà ſint tales, ut ferendæ venæ ſectioni ſufficiant. Nam ſæpius accidit, ut, ob mirabiles affligendi modos, & furtivas maligni peſtilentisque veneni inſidias, robur aliquod ementiatur, quod tamen aliquando non eſt, & tam repentè concidit, ut, unà cum ipſo, vita pereat & evaneſcat. Quod olim expertus fuiſſe videtur Martinus Rulandus, qui, *in ſuo, de lue Ungar. tract. cap. 1.* dicit: *nonnulla in malignis febribus tam inconſtantis & fallacis ſunt naturæ, ut noſtram ſubterfugiant comprehenſionem, & ſolertiſſimos indagatores frequenter dementent.* Quapropter, *dum ſanguinem mittendi eſt animus, ad morbum, ægri vires reſpicere oportet;* jubente Galeno, *lib. 3. de morb. vulgar.* ne ab his decipiamur; cùm, dictante eodem, *lib. de art. curandi per ſang. miſſ. primi principésque ſanguinis mittendi ſcopi ſint morbi magnitudo, & laborantis robur. Quotunque igitur die hoſce mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inveneris, in eo venæ-ſectionis auxilium adhibeto; etiamſi vel vigeſimus is extiterit. Nam in ſanguine mittendo non eſt attendendus dierum numerus, ſed virium robur;* ut placet eidem, *lib. 9. meth. med.* Hanc methodum ab ipſo Medicorum patre, Hippocrate, obſervatam practicatámque fuiſſe, conſtat ex *lib. 3. de morb. vulgar. ægro 8.* ubi habetur, quòd Anaxio, ad Threicias portas decumbens, ſexto die deliraverit, ſeptimo moleſtè habuerit. *Nam & febris,* ut ait Hippocrates, *intendebatur, neque dolores remiſerant, & tuſſes infeſtabant, & difficilis reſpiratio inerat. Octavo, ſectâ in cubito venâ, multus ſanguis, prout debuit, effluxit,*

Vires ante ſectionem ponderandæ.

Signorum fallacia.

Venæ-ſectionis ſcopi.

effluxit, dolores certè remiſerunt &c. quibus tamen non obſtantibus, ego multò tutiùs, longéque ſecuriùs eſſe judico, ſi in febribus malignis, venæ ſectionem requirentibus, obtemperetur aphorismo Hippocratis *29. ſect. 2.* ſic habenti: *Incipientibus morbis, ſi quid movendum videtur, move.* Nam quò diutiùs ſanguinis miſſio procraſtinata fuerit, eò majorem virium cladem timere habemus; ob continuam, quæ illas inter & morbum intercedit, luctationem, & majorem malignitatis, per ſecretiores receſſûs, diffuſionem, humorúmque putreſcentium incrementum. Quæ mala ſi, poſt transactum aliquot dierum ſpatium, venæ-ſectione impedire, aut imminuere velimus; majorem ſanè virium ruinam faciemus, periculoſiorem reddendo affectum. Hoc ſe frequenti experientiâ edoctum fatetur Platerus: *quòd adultorum plures venâ non ſectâ, quàm eâ ſectâ, evaſerint.* Quin & ego cum Joanne Cratone ſentio, qui, *Conſilio 271* dicit: *Satiùs eſt, in febribus malignis & peſtilentibus, venæ-ſectionem in univerſum intermittere, quàm eâ intempeſtivè uti, & vires imminuere:* quoniam in febribus malignis plùs aliquando audacia nocet, quàm timiditas. Hinc optimè nos facturos puto, ſi Hippocratem, *1. epid. tom. 3.* imitemur; qui, cùm non in principio, ſed morbi progreſſu, ad febricitantem fuiſſet accitus, venam non incidit, licèt æger poſt tertiam advocationis diem vitâ defungeretur. Si enim venam aperuiſſet, infirmi mortem, intempeſtivâ ſanguinis miſſione, in ſe, dubio procul, transtuliſſet.

Quando venæ-ſectio intermittenda.

Quare vacillante, aut ſaltem ſuſpecto, virium robore, præſtat, à venæ ſectione abſtinere, quàm eam attentare; cùm, exhauſto incautiùs ſanguine, unà corporis virtus exhauriatur, & facilè ſuccumbat, vaſa ſanguinem continentia concidant, atque reliquorum pharmacorum operationes impediantur. Si nihilominùs ſanguinem, totius evacuationis cauſâ,

cauſâ, imminuendum judicaverimus, ſed, ob profligatum virtutis ſtatum, venæ-ſectionem inſtituere non auſi fuerimus; ejus vires ſupplere poterunt ſcarificationes, cum cucurbitulis adhibitæ, aut hirudines. Nam hæ ſanguinis exuberantiam, citrà ſpecialem virtutis ſpirituúmque jacturam, auferunt: calorem ab internis partibus, à febrili incendio maximè æſtuantibus, ad exteriores, ſuctu ſuo, evocant; malignam ſpirituum tincturam, arte planè admirabili, cum tenuiore ſanguinis portione, utpote præcipuo inhæſionis ſubjecto, à corde ad corporis circumferentiam proliciunt, & humores è quocunque angulo attrahunt. Nec ſatis explicari poteſt, quanta hæ cucurbitularum adminiſtrationes, in febribus malignis, beneficia conferant, ſive illæ ante, ſive poſt petechiarum eruptionem adhibeantur; modò id ſaltem obſervetur, ne cuti ſcarificatæ appoſitæ æquò diutiùs adhærere permittantur: cùm hac ratione ſanguis, in ipſis concreſcens, alterius jam attracti ſuctum & evacuationem impediat. Locus, ad cucurbitularum appoſitionem idoneus, ſunt partes à corde magis diſtantes; ut materia, malitioſo fermento imprægnata, non tantùm è corpore tollatur, ſed etiam quàm longiſſimè à corde, utpote præſtantiſſimo vitæ calorisque nativi fonte, ad partes minùs nobiles revellatur. Scarificationes, & hirudines, venæ-ſectionis vicariæ.

Hirudines, ſi aliàs fluere conſveverunt, venarum hæmorrhoidalium orificiis applicari poterunt; ſiquidem hic locus non ſolùm earum applicationi, ſed etiam peccantium ſuccorum evacuationi, commodiſſimus eſt: quoniam, ut aſſerit Capivaccius, *lib. 6. pract. cap. 23. cum exiguâ planè moleſtiâ craſſum feculentúmque ſanguinem vacuant. Ideo enim*, ut placet Andreæ Laurentio, *lib. 4. quæſt. anatom. cap. 4. hos ramos, ſeu venas hæmorrhoidales, conſtruxit natura, ut, dum, ob ſplenis obſtructionem, melancholicus ſanguis expurgari nequit, ſaltem, harum venarum beneficio, certis quibusdam intervallis excerneretur, & hoc modo ca-* Hæmorrhoidum fluxûs beneficia.

cochymiæ vacuatrices, & plethoræ depletrices eſſent. Ubi notandum eſt, quòd ſi contingat, ut fœmina prægnans malignarum & peſtilentium febrium ardore corripiatur, &, propter excedentem cruoris copiam, ejus imminutionem poſtulet, conſtánſque virium robur eandem permittat: cucurbitulæ neque cruribus, neque dorſo (quia primo modo abortus concitari poteſt; ſecundo modo ſanguis, ac reliqui, depravatæ notæ, ſucci ad cor retrahuntur) ſed carnoſioribus brachiorum partibus ſunt apponendæ; ſiquidem, hanc tenendo methodum, & abortûs periculum præcavetur, & pernicioſus perverſorum ſuccorum motus ad cor prohibetur. Eandem ob cauſam etiam hirudines, utpote ſanguinem non confeſtim exſugentes, brachiorum venis applicari, magno cum fructu, poſſunt. Sin verò eveniret, ut fœmina menſibus, præter naturam retentis, in æſtuantes harum febrium cruciatûs incidat, miſſionémque ſanguinis requirat; huic ſaphena pedis aperienda eſt; vel hirudines eidem applicari; aut cruribus cucurbitulæ cum ſcarificatione admoveri poterunt.

Ubi hirudines applicandæ.

Et quamvis magna, apud quosdam Authores, moveatur controverſia, utrum veſicatoriorum uſus, in febrium malignarum curatione, concedi debeat: ego tamen, ſepoſito omni litigio, ad eorum partes tranſeo, qui partem affirmativam ſtrenuè tuentur. Nam, præter rationes, à doctiſſimis Medicis hinc inde allatas, frequenti experientiâ edoctus fui, quòd veſicatoria in cruribus, aut brachiis adhibita, tam velociter plerunque, & ſine omni infirmorum faſtidio, materiam, venenato ſeminio tinctam, à corde, tanquam primario vitalis Archæi domicilio, ad exteriores corporis partes evocaverint, ut plurimos non rarò febricitantes, eorum adminiculo quaſi è cymba Charontis ereptos viderim, quos à ferali Libitinæ falce jamjam demetendos putabant alii. *Veſicatoria* enim, ab aliis *Phænigmi* dicta, ſunt medicamenta, quæ, partibus exteriori-

Veſicatoria, in malignis febribus proſunt.

rioribus admota, acrimoniâ & caliditate ſuâ, occultâque facultate, dolorem quendam pariunt, vi cujus doloris, à veſicatoriorum potentia concitati, humores, malignâ qualitate infecti, è profundioribus etiam corporis humani receſſibus, ad ejusdem circumferentiam proliciuntur, & revelluntur à nobilioribus ad minùs nobiles partes: veſicæ, ob derivatorum & revulſorum humorum affluxum gignuntur, quæ non priùs ſunt reſerandæ, quàm ſat ampliatas judicaverimus. Ubi tandem aperiendæ, & ulcus braſſicæ folio, aqua vinóque macerato, fovendum eſt. Cùm enim braſſicæ folium ſit valdè ſucco-ſum, nitroquè à natura dotatum, ulcus ſiccari non patitur: quin imò ipſiusmet venenatæ materiæ effluvium promovet. Quando peccantes ſuccos ſufficienter effluxiſſe putatur, ulcus productum *unguento de ceruſſa*, aut aliis hujusmodi remediis, ſanari poterit.

Quidquid tandem ſuccorum, veneni tincturâ infectorum, poſt univerſales haſce evacuationes, ſtatim in mali principio inſtitutas, relictum fuit, id mox talibus remediis, è diaphoreticorum & alexipharmacorum ſylva deſumptis, expellendum reſtat; qualia id ab occultis viribus præſtare cognovimus. Cùm enim haud ignoretur, malignitatem non in manifeſtis, ſed abſtruſis, nobísque incognitis naturæ qualitatibus conſiſtere, eámque contrariis antidotorum viribus ex omnibus corporis humani viſceribus exturbari debere, ad hoc, ut ægri amiſſo valetudinis ſtatuî reddantur: neceſſe eſt, ut Medicus ſuo, quoad fieri poteſt, officio ſatisfaciat, atque ea arripiat, quæ huic ſcopo convenire, tum propriâ, tum aliorum præſtantiſſimorum Archiatrorum experientiâ obſervavit. Verùm conducentia, & ſalutaria, pro ſingulis hujusmodi ægris, pharmaca adinvenire, *hic labor; hoc opus eſt; hic Rhodus, hic ſaltus.* Cùm enim è diverſis principiis cauſisque contagioſa lues oriatur, & orta, etiam ex ſimilibus cauſis, diverſos tamen, in

Diaphoretica.

Certa omnibus ſtatui non poſſunt

in humanis corporibus, effectûs, pro varietate temperamenti & complexionis, producat; patet manifeſtè, ad abigendas diverſas has virulentæ contagionis cauſas & effectûs, non iisdem ſemper, ſed diverſis, pharmacis eſſe utendum. Quare probo illorum Medicorum conſilium, qui eo tempore, quo malignæ febres in Urbe, aut provincia quapiam, jam invaleſcunt, diverſa & varia adhibent, apud diverſos, antidota; ex quorum proſperis ſucceſſibus, diligenti rationis bilance trutinatis, ea demum ſeligunt, quæ, magiſtrâ fidiſſimâ experientiâ edocti, adverterunt, huic vel illi hominum generi maximè profuiſſe, & plurimum roboris, adverſus contagionem, ex his, vel illis, cauſis ortam obtinuiſſe. Nimirum quemadmodum ii, qui in bivio, aut trivio conſtituti ſunt, eam plerunque viam tenent, quæ continuis transeuntium veſtigiis maximè trita eſt; aut quam, certo indicio, rectam tutamquè eſſe cognoſcunt: ita, ad diverſas malignarum febrium cauſas effectúsque tollendos, non eadem ubique medendi eſt ratio temerè tenenda: ſed illa via ineunda, ad quam fidiſſima dux Experientia longo tum proprio, tum alieno præſtantium Medicorum uſu cognita manuducit. Sic enim (ſi quis fortè admiſſus fuerit error) veniam tantò faciliùs merebitur, quantò major, eum declinandi, cura & cautela adhibita fuit. Cæterùm cùm, ob variam luis contagioſæ ſementem, univerſalia & infallabilia pharmaca, pro omni tempore, loco, ſingulisque ſubjectis, quæ huic contagioni ſunt obnoxia, determinari ægrè poſſint; placuit nihilominus, ea hic loci adjicere, quæ plurimum roboris atque efficaciæ, graſſante ferociùs malignâ & peſtilente febri, ad exturbandos, per ſudorem, humano è corpore, virulentos humores, habere, longo uſu ſunt comprobata.

Quid in publicè graſſantibus faciendum.

Diaphoretica ſimplicia.

Hujusmodi autem ſunt, è ſimplicium vegetabilium familia: Radices *acetoſæ, angelicæ, anthoræ, biſtortæ, calami aromatici,*

tici, carlinæ, contrajervæ, diptamni, doronici, galangæ, galegæ, gentianæ, nymphææ, oſtrutii, petaſitidis, pimpinellæ, ſcordii, ſcorZoneræ, ſucciſæ, tormentillæ, valerianæ, vincetoxici: Folia *acetoſæ, acetoſellæ, cardiacæ, carduibenedicti, cardui Mariæ, meliſſæ, rutæ ſylveſtris, ſalviæ, ſcabioſæ, ſcordii*: Flores *acetoſellæ, anthos, borraginis, bugloſſæ, calendulæ, cichorii utriusque, fumariæ, meliſſæ, ſambuci, tormentillæ, tunicæ*: Semina *aquilegiæ, aurantiaci pomi, carduibenedicti, citri, leviſtici, napi, rutæ*: Baccæ *juniperi, herbæ Paradis*: Fructûs *berberis, cynosbati, mali aurantiaci, citrini, cydonii, mori Punici acidi, ribes, rubi Idæi &c.*

Quæ ab animalium proſapia, ad requiſiti, in febribus malignis, ſudoris evacuationem nobis offeruntur, præcipua ſunt *cornu cervi, cornu Rhinocerotis, ebur, lacryma cervi*; quæ, dicente Minderero, ex Scaligero, *lib. de peſtilentia, cap. 15.* poſt centeſimum annum, ad oculorum canthos accreſcens, & inſigniter indurata, tantos ſudores prolicere dicitur, ut liqueſcere fere corpus videatur, magníque, proinde, in Aſia, ſit pretii; eò quod præſtantiſſimum, contra venena, medicamentum exiſtimetur. *Lapis Bezoar verus, lapis Bezoar Germanicus*; qui, in capſula nonnullarum Rupi caprarum repertus, tanti valoris extat, ut ſudorem inſigniter proliciat; ideóque, ad infringendum febrium malignarum, peſtis, & aliorum venenorum robur, plurimum conducat: innuente ſic Schrődero, *lib. 5. pharmac. Med. Chym. claſſ. 1. de animal.* Non minorem, cor â venenato ſeminio defendendi, virtutem poſſidet *os de corde cervi*. Quid autem de divina illa, quam multi ipſi tribuunt, *Unicornu, ſeu Monocerotis cornu* energiâ dicam, planè ignoro; cùm videam potiorem ſaniorem Medicorum partem dubitare, an unquam tale animal, ſaltem poſt dîluvium, extiterit: ut propterea præſtet, tacere, quàm multa, de fabuloſi cornu virtute, inutiliter effutire. Poterunt itaque ejus locum ſupplere *margaritæ*; utpote, quæ, virtute ſibi innatâ, non tantùm venenis, peſti, febri-

Diaphoretica ex animalibus.

búſque malignis aptæ ſunt reſiſtere; ſed etiam oppreſſum vitæ balſamum, atque exolutas corporis vires, inſigniter recreare, reficere & confortare.

Non minoris præſtantiæ diaphoretica ex mineralium regno eruuntur: ut ſunt *bolus Armena, terra ſigillata Sileſiaca, Turcica, fragmenta ſaphyri, granati, ſmaragdi, hyacinthi, corneoli: ambra, ſuccinum, corallia*, & alia hujusmodi pharmaca, quæ ex hiſce tum vegetabilium, tum animalium, tum demum mineralium ſimplicibus componi, & in officinis pharmaceuticis proſtare ſolent, ut ſunt Aquæ *acetoſæ, acetoſellæ, borraginis, bugloſſæ, calendulæ, carduibenedicti, cardui Mariæ, ceraſorum nigrorum, florum citri, fragorum, fumariæ, nymphææ, rubi Idæi, florum ſambuci, ſcabioſæ, ſcordii, tormentillæ, veronicæ, violarum, Zedoariæ Sennerti, carbunculi, cinnamomi, cum floribus cordialibus parata, aqua theriacalis, cardiaca Palmarii*, & aliæ plures hiſce ſimiles. Nec minùs ſerviunt ſpiritûs, ex ſimplicibus compoſiti, ſudoris provocationi, ut *ſpiritus ceraſorum nigrorum, citri, fragorum, florum ſambuci, roſarum, rubi Idæi, ſalis armoniaci Zvvelferi, ſalis, ſulphuris acidus, vitrioli, mixtura ſimplex, acetum theriacale.* Spiritûs ſequuntur ſyrupi *acetoſellæ, acetoſæ, acetoſitatis citri, berberum, borraginis, bugloſſæ, carduibenedicti, ceraſorum nigrorum, cydoniorum, fragorum, granatorum, limoniorum, ribium, rubi Idæi, ſcordii*: Electuaria: ut *confectio Alkermes, de hyacintho, diaſcordium Fracaſtorii, de gemmis frigidum, liberans Galeni*: Rob *ebuli, ſambuci: antidotum mirabile Matthioli, electuarium contra peſtem Ferdinandi Imperatoris, de croco & ovo, è Zedoaria Thomæ Jordani, Theriaca Arnoldi de Villa nova, Mithridatium, Theriaca*; quamvis Capivaccius, *lib. 6. pract. cap. 38.* Theriacam improbet, *quia*, ut inquit, *habet formam magnæ activitatis, & vehementer calefacit humorum fervorem*, eorundem orgaſmum acuendo, ſpiritûs diſſipando, benignúmque cordis calorem in hecticum & depaſcentem transmutando. Cui contrarium, præter reliquos

Sudorifera ex mineralibus.

graviſſi-

graviſſimos Viros Medicos, docet Mindererus, *in ſuo, de peſtilentia, lib. cap. 15.* ubi aſſerit, quòd *Theriaca plus in veneni depulſione conducat, quàm febrem inflammando officiat:* ſequè divinam quandam vim huic, in abigenda malignitate ac virulentia, unà cum Avicenna, adſcribere. Ubi id ſaltem obſervandum judico, ut, ſi in febrium hujuſcemodi malignarum curatione Theriacam adhibendi ſit animus, iis commiſceatur, quæ calorem Theriacæ aliqualiter infringere & attemperare; vim tamen venenum oppugnandi, excitare poſſunt, qualia ſunt aqua *acetoſæ, cichorii, ſcabioſæ, ſuccus citri, ſyrupus limoniorum, granatorum*, atquè alii hujusmodi liquores, qui à quovis ſagaci Practico, cum judicio, commiſceri poterunt. Refrigerantia Theriacæ commiſcenda.

Sudorem quoque, in affectibus jam ſæpius nominatis, nervosè proliciunt extractum *angelicæ, carduibenedicti, contrajervæ, enulæ campanæ, fumariæ, verbenæ, vincetoxici, zedoariæ*: Sales *abſinthii, acetoſæ, acetoſellæ, angelicæ, artemiſiæ, calendulæ, carduibenedicti, centaurii minoris, ſcabioſæ*: Magiſteria *coralliorum, perlarum, cornu cervi*: Species *diamargarit. frigid. diambræ, diamoſch. dulcis, de gemmis frigidæ, de hyacintho, pro confectione cordiali Alexandri Benedicti, cordiales temperatæ, liberantis, pulvis Pannonicus rubeus Cæſaris.* Denique, pro temporum naturarumquè diverſitate, diverſa quoque ſudoriferorum pharmacorum genera à Viris, artis Medicæ probè peritis, ordinari ſolent; habéntque ſinguli ferè ſuas compoſitiones, quibus febrium malignarum viribus obviare, & cordis robur inſtaurare norunt; adeò, ut ſupervacaneum judicem, hîc loci multas compoſitorum medicamentorum formulas attingere. Si verò accidat, ut corpora, ad ſudorem difficilia, venenatis hujusmodi morbis corripiantur, ſudoriferorum pharmacorum operatio promovenda eſt vel inunctione Aëtii (quæ Diaphoretica compoſita.

℞. *Olei amygdal. amarar.* ℥iiij. Inunctio Aëtii.
aq. chamomill. ℥xiiij.
ſalis nitri ʒx.

Coque

Coque ad conſumptionem aquæ: & hoc Unguento totum corpus iuungatur:) vel lateribus calefactis, & aceto extinctis, atque linteis ab acedo madidis involutis, tepidéque pedibus, cruribus, axillis, nec non aliis corporis locis admotis. Ad tres autem, ſi fieri poteſt, horas ſudandum eſt, aut tanto ſaltem temporis ſpatio, quantum decumbentis vires admiſerint. Dum ſatis ſudatum eſt, ſudor calidis linteis detergendus, nec infirmus aëris frigiditati ſtatim committendus eſt, ſed confortantium alexipharmacorum propinatione, ut *aquâ perlarum, confectione Alkermes, electuario de gemmis, diamargarit. frigid. ſyrupo de gemmis, vino granatorum, conſervâ roſarum rubrarum vitriolatarum, florum tunicæ, bugloſſæ &c.* reficiendus eſt. Nam patientes ægrotantis corporis vires non ſunt negligendæ; quin potius cuivis parti, citrà ullum diſcrimen, ea exhibenda, quæ ejus roboris conſervationi proſunt. Hinc diligenter conſiderandum, quid ægri temperies ferat: quid delinquentis natura poſtulet: quid malignitatis conditio requirat: Quia, juxta diligentem harum rerum obſervationem, invenimus, quòd aliis frigida; aliis calida frigidis mixta; aliis ſicca: aliis acida; dulcia aliis alexipharmaca ſint offerenda.

Tempus ſudoris.

Et cùm à frequenti experientia doceamur, quòd natura ipſa per meatûs, urinæ excretioni deſtinatos, noxiorum ſuccorum evacuationem moliatur, & malignitatis fomitem per urinam tollat; rem fructuoſiſſimam fecerimus, ſi, languentibus in tantùm viribus, ut ſudoris provocationem ſuſtinere non valeant, diureticis uſi fuerimus: talia adhibendo, qualia nimiâ calefaciendi virtute careant, & tamen urinam blandè cieant, atque inſidentem eidem malignitatem ſvaviter auferant. Talia diuretica *è ſero lactis caprini, emulſione ſeminum melonum, citri, napi, carduibenedicti,* cum *decocto capillorum Veneris, cichorii, acetoſæ, cornu cervi raſi, graminis, ſcorzoneræ, ſcordii &c.* permixto præparantur; quibus *tot*

Diuretica etiam ſerviunt.

guttæ

guttæ ſpiritus ſalis addi poterunt, quot ad gratam aciditatam conciliandam ſufficiunt.

Interim, dum hæc ſollicitè peraguntur, foris itidem *epithemata, ſacculi, olea, & unguenta*, ex cardiacis & alexipharmacis concinnata, imponi & illiniri debent: quorum vaſtiſſimus, apud Practicos, paſſim reperitur campus. Inter reliquos Rulandus, *in ſuo, de lue Ungarica, tractatu cap. 6. Extractum Cordiale Noribergenſium* valde commendat; eò quòd, ut aſſerit, hujus extracti uſu vires, à malignitate vehementer poſtratas, mirum in modum refocillari viderit. Impotentiorum naribus & pulſibus *acetum roſarum, rutæ*, vel *ſcordii* admoveri poterit: aut *ruta, ſcordium, baccæ juniperi, cortices citri* contundi, & quodam acetorum jam nominatorum macerari, ac pulſibus, naribúſque admoveri poterunt. Ubi tamen obſervandum, quòd epithemata fortiùs refrigerantia valde cautè adhiberi debeant. Cùm enim malignum in febribus ſeminium ad diſtantiores à corde partes ſit revellendum; timendum eſt, ne illud frigidiorum epithematum uſu ad penitiores cordis receſsûs repellatur, & virium oppreſſio, hac agendi ratione, promoveatur. Quarè tam moderatis eſt utendum, ut peregrini, & vitales poteſtates depaſcentis, caloris attemperationi, vacillantium ſpirituum refectioni, & cordis confortationi proſpiciatur. Hoc commodè peragitur *aquâ roſarum, borraginis, bugloſſæ, nymphaæ*, cum *ſpeciebus diamargarit. frigid. cordialibus temperatis, pro electuario d. gemmis*, modico *camphoræ, & aceto ſcardii*, aut *roſarum admixto*, ut eò magis ſpecierum virtus excitetur, & penitiùs partium confortandarum intima penetret. Si verò contingat, ut febris ferociâ careat, etiam *aquæ carduibenedicti, cinnamomi, meliſſæ, roriſmarini, vinum generoſum* cum *ſpeciebus cordialibus*, & modico *croco*, miſceri & applicari poteſt.

Epithematū utilitas.

Moderatio in epithematibus.

Qualiter gravibus contagioſarum infirmitatum ſymptomatibus ſit ſatisfaciendum, noverit quilibet artis Hippocraticæ verus ſectator. Nam ventriculo, in hiſce affectionibus, ſummopere communiter afflicto, per vomitoria, in mali principio, ſtatim ſuccurrendum eſt. Matthiolus, *lib. 5. cap. 59.* hunc in finem *antimonii ſui hyacinthini* grana aliquot, pro ſubjecti ſumentis capacitate, cum *conſerva borraginis*, *ſpeciebus electuarii liberantis* & *maſtice* exhibere jubet; quia vult, quòd malignitas, & venenum peſtilens, per vomitum & alvum ſecernatur. Heurnius, antimonium damnans, *lib. de febr. cap. 19. aquam vomitivam ex radice bryoniæ, cyclaminis, hellebori albi*, cum *ſpiritu vini*, ſæpius per balneum abſtracto & reaffuſo, commendat. Alii *vitrioli ſalem*, *aſarum* laudant: alii *extractum hellebori albi* præbent. Denique vomitus, in mali principio concitatus, nullâ ratione improbari poteſt; cùm per illum malignæ ſcoriæ fomes ſubtrahatur, & ſæpius minori cum faſtidio procuretur, quàm alvi dejectio: modò id obſervetur, ut, vomitu peracto, ventriculus languidus *rob ribium, berberum*, aut *conſerva roſarum*, aut *carne citri conditi*, vel *ſyrupo acetoſitatis citri*, *limoniorum*, vel *vino granatorum* reficiatur; atque ſacculis ex *foliis abſinthii, menthæ, origani, floribus chamomillæ, roſarum, meliloti, radicibus calami aromatici, zedoariæ, galangæ*, cum *aceto vini* paratis foveatur: aut *oleo nuciſtæ*, per expreſſionem facto, *maſticis, roſarum, chamomillæ*, inungatur.

Ventriculi auxilium.

Sitim, utpote fidiſſimum febrium malignarum Achatem, *decoctum aquæ* cum *raſura cornu cervini*, *tamarindis*, *radicibus acetoſæ*, & aliis hujusmodi alexiteriis paratum, atque *ſpiritu vitrioli, vel ſalis* commixtum ſedet. Nam præterquam quòd hic potus ſit decumbentibus valde acceptus, ſitim etiam potenter placat, viſcerum obſtructiones reſerat, malignitati reſiſtit, humorum putredinem avertit. Alii *decoctum radicis ſcorzoneræ*, *ſucco aliquo acetoſo* & pauco *cinnamomi addito*, laudant:

Sitim placantia.

laudant: quod decoctum à Mercato longè efficacius putatur, ſi *particula auri ſæpius igniti in eo extincta fuerit.* Hujus generis Potûs plurimi fieri poſſunt ex alexipharmacis; quibus etiam *ſucci*, vel *ſyrupi acetoſæ, acetoſellæ, acetoſitatis citri, granatorum, berberum, ribium, rubi Idæi, fragorum*, &c. addi poſſunt, pro cujuslibet patientis exigentia, & prudentis Medici judicio.

Linguæ ariditati optimè medemur gargariſmo ex *aqua plantaginis, prunellæ, ſcabioſæ, & diamorone:* vel ex *prunella, nymphea, portulaca, ſempervivo*, & *ſale nitri* confecto: vel *decocto hordei* cum *ſpiritu vitrioli*, & *ſyrupo ſemper vivi* præparato. Capitis dolorem potenter avertunt *veſicatoria*, locis competentibus applicata: *Oxyrrhodina* fronti & temporibus admota, qualia ex *aqua verbenæ, plantaginis, roſarum, florum ſambuci, oleo roſarum, nucleis Perſicorum, ſemine papaveris albi, anethi* componuntur.

Scabritem linguæ tollunt.

Oxyrrhodina.

Vigiliarum contumaciæ *unguento alabaſtrino, populeo, oleo nymphea, mandragoræ*, cum *opio*, occurritur: vel etiam *emulſionibus* ex *ſeminibus quatuor frigidis majoribus, papaveris albi, aquâ nymphææ, roſarum, endiviæ, ſyrupo papaveris erratici, violarum, ſpeciebus de gemmis frigidis, diamargarit. frigid. confectione alkermes, manu Chriſti perlata*, & *laudani opinati* gr. j vel ij. conſtantibus.

Si ergo tanta ſit occultarum qualitatum, in flectendis corporis humani poteſtatibus vitalibus, energia & poteſtas, quis, venenati & maligni ſeminii vires, producendæ in longius ævum vitæ ac valetudini plurimùm obeſſe, mihi inficias ibit? Si tantæ conſiderationes circa venenatæ qualitatis generationem, ejúsque inficiendi, ſanitatem, vitámque evertendi modos, atque ex ea procedentium malignarum, peſtilentiúmque febrium naturam, cauſas, cognitiones, methodum præſervativam & curativam ritè inſtituendam faciendæ, occurrant, quis febrium malignarum curam facilem mihi dixerit?

Maligna qualitas vitæ nocet.

Si hæ qualitates occultæ, per infecti aëris attractionem, corporis domicilium clandeſtinè ſubintrent; cum diverſis illis eſculentorum & potulentorum particulis inadvertenter aſſumantur; ut tradit Hippocrates, *lib. de flatib.* dum inquit: *Febrium autem duo ſunt genera: unum quidem, omnibus commune, Peſtis appellatur: alterum verò, ob privatam cujusque malam victûs rationem contingens: harum autem utriusque aër anther exiſtit.* Si jam nominatæ qualitates, etiam *ex humorum ſuperfluitatibus* (ut placet Hippocrati, *lib. 1. de diæta) paulatim in viſcerum cavitatibus collectis, producantur, & acervatim erumpant:* humores nutritioni deſtinatos corrumpant: febres malignas & peſtilentes generent: adeò, ut, ſi quis mirabilem harum rerum metamorphoſim accuratiùs ſecum perpendat, verè dicere & fateri cogatur, quòd febrium malignarum curatio ſagaciſſimum, & in re medica verſatiſſimum requirat virum, cujus, ut inquit, Hippocrates, *lib. de præcept.* ratiocinatio ſit ita probata, ut ex fortuita occaſione, & apparentibus ex ſignis, rem aſſequatur, videndo, ut mandat Cornelius Celſus, *in principio lib. 1. quæ ſit ægri natura; humidum magis, an ſiccum corpus ejus ſit: validi nervi, an infirmi: frequens adverſa valetudo, an rara: eaquè cum eſt, vehemens eſſe ſoleat, an levis: cum luxu, an cum frugalitate.* Nam aliis remediis emaciata, aliis obeſa corpora ſunt tractanda; dum hæc ſicciora; illa verò humidiora pharmaca poſtulant: hæc copioſorem ſudoris excitationem in febribus malignis admittunt; illa parciorem tolerant. Hæc qui accuratè & ſcienter, ante febrium malignarum curationem, præmeditatus fuerit, prudenter, & ad mentem Galeni, *lib. 3. de compoſit. med.* procedit, ubi inquit: *ad plenum virtutes cognoſcere, ab eo multum differt, quod eſt cognoſcere. Etenim ſolùm cognoſcere, ſcire eſt, an medicamentum ſiccare, vel humectare, vel calefacere ſuâpte naturâ poſſit: accuratè verò cognoſcere, præter hoc etiam virtutis quantitatem ſciviſſe eſt.* Niſi enim

Magnâ Medici circumſpectione opus.

enim hæc adamuſſim cognoverit Medicus, non poteſt non agere contra præceptum Hippocratis & Galeni; quorum primus, *libro de Medico*, ait: *te ad hoc exercito, ut morbis proſis, aut ne quid noceas*: alter verò, in hæc verba commentatus, aſſerit: *Medicus debet ſpectare in primis, ut ægris commodet: ſin minùs, ut certè ne incommodet.*

Caput XI.

De medicamentis, vitalem corporis virtutem roborantibus, ejúsque diſſipationem prohibentibus.

HActenus, in ſuperioribus capitibus, de iis potiſſimum humoribus diſceptavimus, qui aut pernicioſâ quantitate, aut qualitate contractâ, non modò firmum ſolidæ valetudinis ſtatum labefactare, ſed ipſum etiam longioris vitæ curſum, præmaturo fato, poſſunt abrumpere (niſi opportunis remediis præveniatur) ſimúlque, quoad licuit, commodam methodum indicavimus, quâ naturæ patienti in tempore opitulari, & neceſſarias, ne morbis ſuccumbat, adferre ſuppetias, ſit neceſſum. Reſtat nunc, inquiramus; an dentur medicamenta, quæ tali virtute polleant, ut inſitam humani corporis potentiam, calidum videlicet innatum, &, cum eo, viſcerum facultates, naturalem, vitalem & animalem, in ſuo vigore conſervare, aut etiam amiſſum reparare valeant; cum hæ facultates, & calidum innatum, perpetuo digeſtionis labore, continuâquè actionis & paſſionis reciprocatione, facilè frangantur & enerventur: quibus labefactatis, aut peſſum euntibus, conſectaneum quoque eſt, omnium viſcerum robur diſſipari, reſolvi & emori. Unde talia è penu pharmaceutica ſunt depromenda, quæ præcipuas harum facultatum, calidíque innati, officinas foveant ac firment. Primùm

An calidum innatũ medicamentis reſtauretur.

autem, inter has facultatum officinas, naturalis videlicet, vitalis & animalis, calidique nativi locum obtinet cor; quoniam, ut aſſerit Galenus, *lib. 7. de anatom. adminiſtr. Cor eſt animoſæ virtutis initium, &* (ut idem docet, *lib. 6. de uſu part.*) *caloris nativi, quo animal regitur, quaſi fons quidam & domicilium*, ut omnis, *eo modo, ipſius pars princeps ſit dicenda, quæ toti animali vitam conſervat.*

Cor virtutum ſedes.

Prima cordis actio.

Nam prima cordis actio, eáque principalis, eſt caloris, ſeu ſpiritûs vitalis generatio, qui, per omnes corporis partes, arteriarum adminiculo, diffuſus, ad omnium reliquarum actionum perfectionem concurrit; quas non modò perficit, ſed etiam tuetur, & facultates ad operandum adigit. Id quod luce meridianâ clarius apparet, dum, corde præter naturam malè affecto, non tantùm propria vitalis facultas, ſed & animalis & naturalis, deficiunt: ut, hac ratione, cordis præſtantia ex analogia & ſimilitudine, quam cum Sole habet, magis eluceſcat.

Cordis actione læſâ, omnes læduntur.

Uti enim, in macrocoſmo, ex ecliptica Solis obſcuratione, univerſales tenebræ, & alia quàm plurima mala, in hoc inferiori mundo generantur: ita in microcoſmo, dum à vitali cordis robore cæteræ corporis partes non illuſtrantur, reliquæ etiam facultates ab operibus ſuis ceſſant, &, quaſi attonitæ, repentè corruunt. Manifeſto id experimento in ſyncope licet advertere, quâ adveniente, omnes tum naturales, tum animales functiones pereunt; eò, quòd omnis ſpirituum copia ad cor, tanquam ad ſuum principium, propriamquè arcem, ſeſe recipiat: eâdem verò recedente, ut primùm vitalis cordis ſpiritus & facultas excitatur, ac reviviſcit, mens quoque, & ratio, reliquæque facultates omnes, continuò ſeſe recolligunt ac reſurgunt.

Cor innati caloris fons.

Cùm proinde, juxta doctrinam Galeni, *lib. 5. de loc. affect. cor ſit innati caloris fons & origo*, &, ex mente Hippocratis, *calidum plurimum in corde inſit*, nec non *calidum innatum natura ipſa* dicatur, *lib. de maraſ.* & *in comment. aphoriſ. 15. ſect. 1. quæ omnia*

fingit,

fingit, & efformat, ad juſtam magnitudinem perducit, denique ad finem vitæ usque nos a'it & ſuſtentat: jure merito ſtatuimus, quòd, præ omnibus rebus, cordis vires, per idonea confortantium pharmacorum auxilia, debeant cuſtodiri: cùm hoc modo non ſolùm cordis, verùm etiam reliquorum viſcerum robur inſtauretur & conſervetur. Nam ideo cor, innati caloris, & totius vitæ, principium, omniúmque facultatum ſeminarium ac promptuarium, in munitiſſima & quaſi optima corporis regione, medio ſcilicet thorace, à natura locatum fuit, ut ſpiritum vitalem, & nectar vivificum, ſingulis corporis partibus æqualiter diſpenſaret, &, beneficio cordis, totum corpus ſibi invicem conſpirabile, ſympatibile, & communicabile redderetur. Sic ſpiritus vitalis, ut eſt apud Galenum, *lib. de uſu pulſ.* in corde copioſe elaboratur, ut cordis facultatibus ſerviat, & animali facultati communicetur, eique pabulum & materiam ſufficientem ſuggerat, quò ex ea ſpiritus animalis, ad ſenſum & motum partibus impertiendum ſummè neceſſarius, producatur. Ut proinde verum ſit, quòd, ſecundùm Galeni decretum, *lib. meth. med. vires ſervare, nihil aliud ſit, quàm vitam ſervare. Hinc maxima virium eſt dignitas; cùm vivere ipſum nobis ex harum cuſtodia contingat.*

Cor in medio corporis reſidet.

Spiritus vitalis quare in corde generetur.

Quâ igitur ratione calor innatus, humidúmque primigenium, &, cum his, ſpiritûs vitales influentes, utpote calori inſito ejúsque humido radicali in alimentum cedentes, in corde ſint conſervandi, & confortantibus medicamentis cibandi, eâ, quâ par eſt, diligentiâ intimare con_bimur. Quemadmodum enim corporea moles non, niſi ſolidis, denſiſque alimentis refici, nutririque debet: ita ſpiritûs vitales non, niſi vaporoſum, aëreum, ſibique proportionatum pabulum requirunt: quale, ex ſententia Hippocratis, *lib. de flatibus*, aër eſt. Dicit enim: *corpora omnia tum hominum, tum reliquorum animantium, triplici ſuſtentantur alimento;* inter quæ aëri primus

Spiritûs vitalis alimentum.

primus debetur locus; quòd tanta ejus ſit neceſſitas, ut ne notabili quidem temporis momento ejus uſu carere poſſimus. Cujus ratio eſt, quòd ſpiritûs, attracti aëris beneficio, attemperentur, in competente vivacitatis flore conſerventur, &, quidquid iis deeſt, ex optima aëris portione addatur. Quò igitur aër purioris ſubſtantiæ fuerit, eò melioris notæ ſpiritûs producentur; ut propterea plurimum interſit, qualem attrahamus aërem, quales hauriamus odores; cùm, pro attracti aëris varietate, ſpirituum quoque vitalium bonitas neceſſariò varietur. Proinde ſtudiosè elaborandum eſt, ut adverſa aëris, corporis penetralia ſubeuntis, temperies artis auxilio in contrarium mutetur, ut valetudini vitæque, in longiora tempora producendæ, conducat. Sic calida aëris diſpoſitio, penes calidioris temperaturæ homines, frigefacientibus: frigida, apud frigidos, calefacientibus: humida ſiccantibus: & ſicca, circa ſiccos, humectantibus medicamentis corrigenda eſt. Talia, inter reliqua, auxilia convenientia ſunt: ***odor vini, panis calentis, mellis;*** quibus Democritum, Philoſophum ſagaciſſimum, jamjam moriturum, quatuor dierum tempore, ſpiritûs refocillaſſe, ferunt Hiſtoriographi. Os etiam ***aquâ odoratâ*** crebriùs elui; manûs & facies ***aquâ roſarum, tantillo aceto*** commixto, frequentiùs irrigari; atque ſimilia odorifera confortantia, ſpirituum refocillandorum gratiâ, adhiberi poterunt: ſive per modum ***balſami,*** ſive per modum ***pomi ambræ,*** illa confecta fuerint, ſive ſuffumigiis odoriferis, cuivis naturæ, anníque tempori accommodatis, aëris emendatio inſtituta fuerit.

Bonus aër bonum ſpiritum generat.

Pharmaca ſpiritûs roborantia.

Quòd ſi accidat, ut ſpiritûs vitales generentur calidi nimis, aut obſcuri, tenebricoſi, torpidi; illi partim jucundis optimorum amicorum converſationibus; partim ſvavibus amicorum cantibus, aliorúmque inſtrumentorum ſonis demulcendi; partim etiam, aptorum medicamentorum exhibitione, in vo-

Spiritûs obſcuri correctio.

in volatiles ſunt transmutandi. Quod, pro diverſâ naturarum varietate, diverſis artis remediis peragitur, ut *conſervâ florum acetoſellæ, anthos, borraginis, bugloſſæ, cichorii, meliſſæ, nymphææ, roſarum, tunicæ, violarum: corticibus aurantiorum, citri conditis, nucibus Indicis conditis; radicibus acori, calami aromatici, enulæ campanæ, ſcorzoneræ, myrobalanorum chebularum, emblicarum conditis*, quæ ideo ſingulariter ad longævam bonæ valetudinis vitæque conſervationem facere creduntur, quòd non ſolùm aromaticitate ſuâ humorum ſuperfluitates exſiccanr, & conſumunt, ſed etiam optimos, & ad naturalem partium alimentationem requiſitos, humores congregant; eos à corruptionis & putrefactionis labe tuentur, cordis robur promovent, ſpiritum vitalem congregant, fovent & reficiunt. Unde confectiones, ex hiſce jam dictis compoſitæ, magnarum ſunt virium; quia ſingulis membris conducunt, eorum viribus & ſpiritibus proſunt, ſensûs acuunt, ingenium excitant, memoriam confortant, & ſanitatem vitámque, in plurimos annos ſeſe extendentem, ſartam tectam conſervant. Talem autem ſi quis petierit, ſequens eſſe poterit, ut:

Myrobalani vitam ſervant.

℞. *Myrobalan. chebul. condit.*
emblicar. condit.
Indar. condit. an. ℥j.
cort. citri condit.
calam. aromatic. condit. an. ℥ß.

Electuariũ vires confortans.

Contuſis, & in pultis formam redactis, adde
conſerv. flor. anthos,
roſar. rubr.
tunic. an. ʒiij.
pul. cinnam acutiſſ. ʒx.
rad. doronic.
ſem. marathr. an. ʒiij.
eruc. ʒj.

ſuccolad. opt. ℥j.

C. ſ. q. ſyr. de cinnam. Miſce, fiat Electuarium: de quo, omni manè, quatuor, ante prandium, horis, & veſperi, cubitum eundo, quavis vice, ad nucis moſchatæ magnitudinem aſſumatur. Vel

Aliud Electuarium. ℞. *Rad. pimpinell.*
ſcorzoner. an. ʒv.
flor. bugloſſ. ʒij.
roſar.
tunic. an. ʒj.

Coquantur in ſ. q. *aqua fontana.* Remanentia coletur, & ſpecies exprimantur: decocto albumine ovi bene clarificato adde
ſacchar. albiſſ. ℥viij.

quod denuò ad denſioris *Syrupi* conſiſtentiam coquatur: cui ſequentia, priùs in pultis formam conquaſſata, & per ſetaceum trajecta, miſceantur:

℞. *Myrobalan. chebul. condit.*
emblic. condit. an. ℥j.
conſerv. flor. citri
aurantior. an. ʒvj.
ſpec. diamoſch. dulc.
diambræ, an. ʒij.
diamargarit. frig.
de gemm. frig. an. ℈iiij
elaoſacchar. citr. ʒvj.
magiſt. ſolubil. margarit.
corall. an. ʒj.
granor. kerm. ſpir. rub. Id. & roſar. irrorat. ʒiij.
lap. bezoar. Orient. ver. ℈ij.
tinctur. aur.
argent. an. ℈j.

Ex hiſce omnibus, probè inter ſe mixtis & unitis, fiat, l. a. Electuarium,

rium, uſui reſervandum: de quo *à* ℨj. *ad* ℨij, vel ℨiij ſingulis, vel alternis diebus adhiberi poterunt: prout id virium roborandarum neceſſitas exegerit.

Eundem in finem etiam *Morſuli*, & *Rotulæ*, innatam & influentem cordis potentiam roborantes, amplificantes, & conſervantes, præſcribi poterunt, ut: Morſuli confortantes.

℞. *Confect. alkerm complet.* ℨiij.
anacardin. ℨj.
cortic. citr. condit.
nuc. Ind. condit. an. ℨij.
conſerv. flor. anthos,
meliſſ.
citri, an. ℨiß.
ſpec. cordial. temperat.
pro confect. cordial. Regia Zwelferi, an. ℈iiij.
diacinnam.
diambr.
diamoſch. dul. an. ℈ij.
ol. roſar. ver. ſtill.
cinnamom.
citri,
aurantior. an. gutt. ij.
Sacchar. albiſſim. cum. ſucco citri & rubi Idæi, aut aliis liquoribus an. q. ſ. ſoluti ℥vij M. f. l. a. *Morſuli*: de quibus, ad cordis, reliquorúmque viſcerum principaliorum robur inſtaurandum, pro rei exigentia, duo vel tres capi poterunt. Vel

Rotulæ.

℞. *Confect. alkerm.* ℨj.
de hyacinth. ℈ij.
conſerv. bugloſſ.
borragin.
aurantior. an. ℨj.
rad. ſcorzoner. condit. ℨj.

ſpec. dianthos
diatr. ſantal.
diarrhodon. Abbat.
de gem. frig. an. ℈iß.
ambræ gryſ. in oleo cinnam. ſolut. gr. iij.
elaoſacchar. citri ʒiij.

Sacchar. albiſſ. in ſ. q. aqua roſarum ſoluti ℥vj. *Fiant l. a. Rotulæ*: de quibus ſæpius una & altera per diem, pro ſpirituum confortatione, deglutiri poterit. Vel

Tragæa.

℞. *Sem. aniſi*
fœnicul. an. ℥ij.
coriandr. præp. ℥ß.
cardamom. ʒiß.
cinnamom. opt. ℥ß.
rad. acor. ſylveſtr. ʒv.
baccar. juniper. ʒvj.
flor. anthos ʒij.
ſpec. diarrhodon. Abbat.
diamargarit. frig. an. ʒiiß.
diacalaminth. ʒiß.

Sacchar. albiſſ. ℥ix. *vel quantum cuilibet placet. Miſc. Fiat l. a. Tragæa*: de qua ſingulis prandiis, & cubitum pergendo, quavis vice duo, vel tres, boni cultri mucrones ſiccè aſſumantur, nihil ampliùs ſuprabibendo: Vel

Mixtura pretioſa confortans.

℞. *Eſſent. ambr. gryſ. ver.* ℥ʃ.
moſch. oriental. ʒiß.
ol. cinnam. opt. ʒij.
Zibeth. ʒj.
ſpirit. roſar. ardent. ℥ß.

Mixta hæc in phiola optimè munita, calore leniſſimo, ad totalem omnium conjunctionem, ſerventur. Cujus medicamenti doſis

eſt

eſt à guttis tribus, ad guttas quatuor, cùm vino Hiſpanico. Quàm mirabiles ſint horum pharmacorum vires, in humidi radicalis, caloris inſiti, & ſpirituum vitalium reparatione & refectione; id fidem ſuperat: ſi præſertim ab iis adhibeantur, qui ſobriæ vitæ regularitati, corporisquem unditiei, ſtudent.

Præter hæc, alia innumera, ad cordis ſpirituúmque vitalium confortationem, vitámque in plurimos annos extendendam, ab Authoribus hinc inde paſſim commendantur: ut *aqua ſacchari deſtillata Rubei, mellis ejusdem, caponis Auguſtanorum, vita aurea Langii*: ſequens etiam à Ranzovio, & Geſnero, valde laudatur, ut:

Aqua deſtillata.

℞. *Cinnam. elect.*
cubebar.
galangæ.
caryophyll.
nuc. moſchat.
ZZis, an. ℥iß.
ſalv. lib. j.

Hæc omnia contuſa & inciſa macera in duobus libris & ℥iiij aquæ vitæ optimæ & circulatæ; & deſtilla. Hujus aquæ tantam (ut eſt apud Weckerum, *in Antidotar. lib. 2. ſect. 1.*) dicunt eſſe virtutem, ut, decenti ejus uſu, Magiſter Gallus, Caroli V Imperatoris Medicus, 129 ætatis annum aſſecutus fuerit. Verùm dato & conceſſo, quòd Magiſtri Galli naturæ hæc aqua tantum profuerit, ut ad venerandam, hisquè ſæculis valde raram ætatem pertigerit; eandem tamen omnibus, ſine diſcrimine, ſubjectis adhibere commendare non poſſum; cùm toties facilè varietur natura, quoties variatur ſubjectum: ut propterea quivis, ſuæ conſervationis ſtudioſus, in hujusmodi medicamentorum (quorum plurima apud Joſephum Quercetanum redivivum, Jacobum Weckerum, in Antidotario, Minſich-

tum, Zwelferum, in Pharmacopœja Regia, alióſque præſtantiſſimos Medicos, tam in forma Electuariorum, Confectionum, quàm Pulverum, & Aquarum, proſtant, & ad quos benevolum Lectorem remitto) ſelectione cautus eſſe debeat, diligentique judicio advertere, ut medicamenta, conſervationis causâ adhibita, ſint tali energia prædita, ut ſpiritibus vivificantibus robur addant; non verò detrahant: cordis virtutem augeant; non imminuant: calido innato proſint; non autem obſint. Studiosè demum attendendum eſt, ut quivis talia, pro virium inſtauratione, capiat, qualia cujusvis complexioni, ætati, ſexui, annique tempori ſunt familiaria. Talia autem, præter jam enarrata pharmaca, ſunt *Confectio Alkermes, Theriaca, Mithridatium, Eſſentia & Tinctura*, quæ tum ex ſimplicibus vegetabilibus, tum animalibus, tum demum mineralibus, Spagyricè eliciuntur.

De Quinta Eſſentia, ejúsque virtute.

Quinta autem eſſentia (de qua variæ diverſorum Authorum ſunt ſententiæ & litigia, an detur, vel non detur: quid ſit; & quinam ejus ſint effectûs) ex doctrina Theophraſti Paracelſi, *lib. 4. Archidox. eſt ipſa virtus, natura & vita, ſeu ſpiritus vitæ medicamenti, cui ineſt; quæ non ob mutuatam ſuam ab elementis temperiem manifeſtam, ſed ſpecialem & occultam proprietatem, innato corporis humani balſamo vehementer eſt amica;* ſiquidem ſpiritualitate ſuâ etiam ſecretiſſima corporis ſpatia penetrat, & omnem noxiorum ſuccorum immunditiem à laudabilium & proborum humorum conſortio ſeparat, atq; vivificum partium ſalem (ut calidum innatum appellat) vehementer fovet, oppreſſum reſuſcitat, reſuſcitatum conſervat. Hæc quinta eſſentia ex iis, quibus ineſt, diverſis modis, diverſisque menſtruorum generibus, per artis Spagyricæ dexteritatem, extrahitur, & ſeparatur, ut anima à corpore. Nam alio, eóque faciliori, modo ex virentibus vegetabilibus; alio modo ex animalibus; alio verò, longéque difficiliori, ex mineralibus

bus elicitur: quod jam per ſublimationes; jam per calcinationes præſtatur: jam per aquam fortem & corroſiva: jam verò per dulcia; jam per amara efficitur. Ubi tamen Paracelſus prudenter monet, ut, ſi alicujus menſtrui corroſivi adjumento nos inniti contingat; illud, extractione peractâ, taliter, juxta artis ſolertiam, à quinta eſſentia ſeparemus, qualiter aquam ſalſam à ſua ſalſedine depuramus; ne corroſiva menſtrui, quintæ eſſentiæ commixti, natura virtuti reparandæ plus damni, quàm emolumenti adferat. Qui de quinta eſſentia, ejúsque componendi diverſo modo, plus deſiderat, Paracelſi librum quartum de Archidoxis diligenter conſulat. Nos medicamenta, nativum corporis balſamum confortantia, recenſere pergemus.

Inter quintas Eſſentias, nativum vitæ ſulphur mirum in modum reparantes, illa primum ferè locum meretur, quæ ex corallis rubris elicitur. Nam, ut inquiunt Auguſtani Medici, *Eſſentia, ſeu Tinctura Corallorum mundificat & renovat pleniſſimè ſanguinem in toto corpore, obſtructiones viſcerum reſerat, in levcophlegmatia, cordis palpitatione, ſyncope, melancholia, hydrope, podagra, calculo, utero repurgando & vaſis urinariis, proficuum eſt medicamentum.* Quin imò Hartmannus (ut eſt apud Schröderum, *in Pharmacop. Med. Chym. lib. 3. cap. 4.*) hanc tantarum eſſe virium aſſerit, *ut poſt ejus uſum, aliquoties repetitum, impoſſibile ſit, ullam impuritatem in ſanguine totius corporis ſuperſtitem eſſe poſſe:* ſiquidem corallia rubra ſpirituoſam quandam & occultam in ſe virtutem continent; vi cujus non tantùm effectûs prædicti eduntur; verùm etiam cor, eiquè innatum vitæ balſamum mirabiliter confortant: quin & tacita quædam, tamquè mirabilis, cor inter, & corallia intercedit neceſſitudo ſympathetica, ut uno ægrotante, in tantum quoque conſentiat alterum, ut (quemadmodum frequenti docemur experientiâ) ad graviorem ſui geſtatoris infirmitatem, aut

Tinctura Corallorum

Occultæ Corallorum vires.

etiam interitum, corallia non modò vividum ruboris colorem in pallidum transmutent; ſed eundem etiam, absque omni recuperatione, perdant. Illud tamen circa quintam corallorum Eſſentiam, ſeu Tincturam, notandum occurrit, quòd Zvvelferus, *in Animadverſione ſua in Tincturam Corallorum*, &c, cum eo, alii quàmplurimi ſint Medici, qui unanimiter dicunt, quòd omnes quidem Medici corallorum tincturam extrahere noverint, veram tamen & genuinam nullus unquam viderit. Nam omnes illæ corallorum ſolutiones, quæ paſſim venales proſtant, ſunt putatitiæ corallorum tincturæ, quarum loco, majoris ſecuritatis causâ, præſtat nonnunquam adhibere magiſterium corallorum ſolubile, quàm putatitias minusque efficaces hujusmodi corallorum tincturas: cùm in magiſterio corallorum ſolubili vis eorum ſit integra.

Genuina eorum tinctura vix datur.

Majores adhuc, longéque excellentiores quintæ perlarum eſſentiæ virtutes tribuit Henricus Wolffius, *in Germanico ſuo, de Perlis, tractatu*, ubi dicit: *Quinta perlarum eſſentia taliter humorum corruptioni adverſatur, qualiter vita morti contrariatur: ſiquidem arcanâ cæleſtiq; ſuâ virtute cordis robori ſuccurrit, atras cordis fuligines depellit, menti ſerenitatem inducit, paralyticam nervorum impotentiam ſanat, phreneticorum deliriis medetur, memoriam auget, omnémque morborum inſultum coërcet, ſenilem marcorem retardat, & cùm (ut placet Joanni de Rupeſciſſa) quinta perlarum eſſentia ſit immortalis; etiam hominem immortalem facere nititur.* Denique cùm negari haud poſſit, quòd ipſæ margaritæ cordiale præbeant efficaciſſimum, quo balſamum vitæ potentiùs oppreſſum, viréſque vehementer exolutas in tantùm recreamus & reſtauramus, ut iis etiam ſuccumbentes agonizantium vires refocillemus, quantumque fieri poteſt, confortemus: neceſſariò etiam concedi debebit, quòd margaritæ, quocunque veræ artis Spargaricæ modo præparatæ, ſemper

Quinta Eſſentia Perlarum.

Excellens Perlis ineſt virtus.

ſemper ſint magnum confortandarum virium auxilium, magnúsque ſervandæ vitæ theſaurus.

Non minores, ut docet Paracelſus, *lib. 8. Archidox.* utilitates valetudini vitæque diutiùs prorogandæ Elixiria conferunt. *Nam elixir*, quemadmodum eidem Paracelſo, *loco jam citato*, placet, *eſt medicamentum ex formalibus rerum, quibus ineſt, eſſentiis extractum:* ſeu ſunt rerum eſſentiæ, quæ aptæ ſunt internam corporis conſtitutionem taliter à putredinis nævo tueri, qualiter balſamum cadavera à corruptionis labe defendit: minutiſſimas ſiquidem corporis partes, vi ſuâ ſpirituosâ, pervagatur, infectas humorum particulas à probis alimentorum ſuccorum portionibus ſeparat, conſumit, expellit, & ſpiritum vitæ, per univerſum corpus diſperſum, in ſua virtute cuſtodit. Nam Elixir in ſpiritu vitæ operatur, uti fermentum in fermento, ſeque taliter eidem ſpiritui vitali commiſcet, qualiter color quidam, arboris radicibus affuſus, per humidum, arbori in nutrimentum cedens, totam arborem tingit. Talia autem ſunt: *Elixir vitæ majus Quercetani, in Pharmacopœjâ generali deſcriptum cap. 9. quod,* ut ait, *admirandum eſt remedium ad inveteratos morbos propulſandos, ſanitatem conſervandam, vitámque ipſam prolongandam: Elixir vitæ Matthioli, quæ,* juxta Authorem, *tam mirabilis efficaciæ ac juvamenti exiſtit, ut non ſolùm hauſta, ſed etiam in faciem ex alterius ore projecta, epilepticos, defectos animo revocet, jamjam moribundos tam diu ſuſtineat, ut quandoque miraculi ſpeciem afferat.* Pares omnino laudum tituli à Mynſichto *Elixirio*, ſeu *Tincturæ proprietatis, ex ſpir. vin. aniſat. elixir proprietat. confect. Alkermes. & flor. tunic. rubr.* compoſito tribuuntur, dum aſſerit: *Non tantùm in melancholia, hemicrania, vertigine, paralyſi, catarrho, aſthmate, tuſſi, ventriculo debilitato, cardialgia, quartana, calculo &c. medicamentum eſt illuſtre: ſed etiam cor confortat, canitiem retardat, & lætitiam adfert.* Quales, amabo! Paraceſus *Elixirio balſami, ex quintæ eſſentiæ auri ℥ij. circulati*

Elixir quid, & quæ ejus virtus.

Elixiris operatio in ſpiritu.

Elixirii differentia.

majoris ℥ß. *balſami optimi* ℔j. ſuo, ut loquitur, modo, ſub fimo equino, lentoquè deinde igne præparato, non adſcribit vires? Dicit enim: *hoc Elixir*, ritè confectum, tantarum eſt virium, ut corporis viſcera velociſſimè tranſeat, in ſpiritum vitæ irruat, eique incorporatum, taliter in bono naturam vincat, à putredine tueatur, vitam regat, qualiter vis deleteria arſenici in malo naturam ſuperat, deſtruit & evertit.

Elixir Proprietatis vires.

Excellentis quoque operationis eſt *elixir proprietatis* ejusdem Paracelſi, *ex aloë, myrrha, & croco* bene compoſitum; quoniam longâ præſtantiſſimorum Archiatrorum experientiâ, Auguſtanorúmq; teſtimonio conſtat, quòd *omnes infirmitates tam calidas, quàm frigidas occultâ quâdam proprietate curet, ſensûs interiores & exteriores confortet, capitis infirmitatibus medeatur, ſtomachum, inteſtina, atque cor roboret & exhilaret*: hasquè principaliores corporis partes confortando, credibile eſt, quòd, ad conſequendam ſanitatis integritatem, vitæque longævitatem, plurimum adjumenti conferat.

Salis vires, & differentiæ.

Eodem modo, cùm, dicente Paracelſo, & quotidianis experimentis habeamus, quòd tanta ſit Salis energia, ut mactatorum pecorum carnes, multis etiam annis, à corruptione & tinea præſervet: quid, quæſo! poteſtatis non inerit ſpiritui ejusdem? quandoquidem is aliud non eſt, quàm ipſa ſalis vis & facultas activa; quæ ideo, artis dexteritate, à ſubjecto ſuæ inhæſionis ſeparatur, ut eò faciliùs humanæ valetudinis conſervationi ſervire poſſit. Nam, ex doctrina Paracelſi, *ſpiritus ſalis*, à terreſtreitate ſua legitimè purificatus, tam eſt ſubtilis & penetrativus, ut ſe cum ſpiritu vitæ corporis humani mox uniat, peregrinum, ſi quem inveniat, viſcerum calorẽ tollat, ſanguinem purificet, & à corruptione præſervet; ut proinde magnum, in ſanitate ſua, profectum illi ſint facturi, qui hebdomadatim binis, vel ternis vicibus, in vehiculo competenti, hujus ſpiritûs aliquot guttularum pondus aſſumunt: quia,

præter

præter virtutes haſce jam enarratas, ſpiritus Salis etiam vim aperiendi, cum modica adſtrictione, obtinet, languentem ſtomachi appetentiam excitat, chyli translationem ad ſanguificationis viſcera promovet, & aſſumptorum alimentorum cruditatem taliter corrigit, ut in laudabilem diuquè durabilem cruorem transmutentur. Et quia *ſpiritus Sulphuris*, atque *Vitrioli*, easdem ferè (ut teſtantur Auguſtani, dum de horum ſpirituum virtutibus tractant) cum *ſpiritu Salis*, virtutes habeant; hunc in finem iis aliquando uti licebit, præſertim *ſpiritu Vitrioli Angeli Salæ*: cùm non tantùm cordiale ſit præſtantiſſimum; ſed etiam nutritios corporis ſuccos à putredinis periculo defendat, & febribus omnibus ſalubre ſit medicamentum.

Quantis jam nonnulli graviſſimi etiam Archiatri encomiis *tincturam Antimonii* deprædicent, quaſi illa unica eſſet conſtantioris ſanitatis procuratrix, unica longioris vitæ altrix, cælitus ſubmiſſa; id quivis ſciendi cupidus facilè cognoſcet, ſi ea attentiùs ſecum ponderaverit, quæ apud Paracelſum, *lib. 2. de vita longa*, *cap. 6. lib. 4. Archidox.* atque *alibi*, extant: quæ apud Quercetanum, *Pharmacopœæ cap. 11.* Schröderum, *lib. 3. cap. 17.* Thomam Keslerum, *parte 1. & 2. Chym.* Dorneum, *lib. Philoſoph. ſpeculat.* & alios, præſtantis prudentiæ Medicos, habentur. Inter hos Paracelſus Antimonium calcinando, & reverberationes in reverberatorio ritè occluſo, aliquot dierum ſpatio, continuando, per ſpiritum vini nobiliſſimam educit tincturam: cujus tanta creditur poteſtas, ut viſcerum obſtructiones reſeret, vires corporis augeat, humidum radicale ab omni immundorum ſuccorum mephiti liberet, ſanguinis feculentiam quaſi deſpumando tollat: *ſicuti enim* (ut Paracelſus, *lib. 2. de vit. long. cap. 6.* loquitur) *antimonium finit aurum, ſic eâdem ratione & forma finit corpus: cùm in illo talis ſit eſſentia, quæ nihil impuri cum puro confundi ſinit. Hinc immundum corpus*

Tinctura Antimonii.

Paracelſi de Tinctura Antimonii opinio.

pus in mundum transformat, ut accidit in lepra, quam quinta eſſentia curat, ſi aliquot granorum doſis, per triginta, aut plures dies, in vehiculo appropriato exhibita fuerit. Alios tincturam Antimonii faciendi modos habet Quercetanus, *loco ſuperiùs allegato*: alios Schröderus: alios Begvinus; alios alii excellentioris doctrinæ Archiatri, quos Pharmacophilus adire poterit; ubi tantas non ſolùm tincturarum, ſed etiam reliquarum, ex Antimonio fabrefactarum medicinarum, virtutes ac laudes deprehendet, ut Zvvelferus, *in Appendice ad Animadverſiones*, Antimonium unam, eámque principalem, totius Medicinæ columnam aſſerere, non erubeſcat. Inquit enim: *Cùm ſtibii Antimoniiq; nomen apud aliquos Artis pulcherrimæ oſores, præſertim ignorantes, tam malè audiat, ut, qui ſolùmmodò illud ore excidere permittit, mox, è cœtu Medentium proſcriptus, ad veneficos amandetur: quia tamen hoc, de Antimonio, judicium non in alia officina, quàm cerebri, ad Lunæ creſcentis & decreſcentis mutabilitatem tornati, excuditur, & vix alius de re magis perversè & perfrictâ fronte loquitur, quàm qui ejusdem minimam habet cognitionem: idcirco, nullo canum ſimilium, hoc ſidus allatrantium, convicio à veri tramite dimotus, hoc in præſens aſſerere non erubeſco: Antimonium verè unam & principalem eſſe columnam univerſæ medicinæ: quippe ex eo, tanquam Protheo, diverſis duntaxat præparationibus, diverſarum operationum medicamenta ſaluberrima, utpote Antiloimica, Anti-Venerea, Diaphoretica, Purgantia, & Vomitoria blanda, Sanguinem univerſùm mundificantia, Vulneraria, Pectoralia, imò univerſale medicamen, ſeu Panacea ipſa, erui poſſunt.*

Zwelferi opinio.

Hæc doctiſſimi Zvvelferi, aliorúmque ſapientiſſimorum Virorum, de re Medica optimè meritorum, teſtimonia ſi quis æquâ rationis trutinâ ponderaverit; præparatas juxta veram & ſobriam Chymiæ artem, ex Antimonio, tincturas, uti & alia, ex ſtibio parata, pharmaca temerè non contemnet, nec talem iis virtutem negabit, qualem, ad vitam diutiùs protrahendam,

Tinctura Antimonii cum prudentia danda eſt.

bendam, poſſident: modò prudenter & cum grano ſalis data fuerint. Nam quemadmodum iis ſummo cum fructu præbentur, qui fortiori corporis habitu prædiri ſunt, & viſcoſiores viſcerum obſtructiones patiuntur, & craſſis, tartareis, feculentis, ſalſuginoſis, ſcorbuticis aliíſque malè feriatis humoribus abundant: ita iis non facilè propinare oportet, qui ſunt corporis, vel complexionis delicatioris, levioribus meſenterii, aut aliorum viſcerum, obſtructionibus affliguntur, ſuccisque levi negotio domabilibus gravantur: cùm remedia, ex Antimonio præparata, vehementis ſint energiæ, quæ, dum non inveniunt, in quod, ob ſpecialem ſuam ſymbolizationem, agant, etiam ſecundam laudabilium ſuccorum temperiem aggredi & pervertere poſſunt: ob quod Hippocrates, *aphoriſ. 37. ſect. 2.* dicit, quòd, *qui integrâ ſunt corporis valetudine, medicationes ægrè moleſtéque ferant: quia* (ut placet Galeno, *in comment. hujus aphorismi*) *purgans medicamentum familiarem propriúmque humorem, exempli gratiâ, bilem alterutram, aut pituitam, aut aqueam ſuperfluitatem, nititur attrahere; ſed, eo deſtitutum, ſanguinem liquat & carnes, ut ex ipſis ſibi, quidquid proprium familiareq́ eſt, attrahat: atque hinc* (ut inquit Clariſſimus Sennertus, *lib. 5. Inſtit. part. 2. ſect. 1. cap. 5. pag. 1110.*) *vires labefactantur & exſolvuntur, corpus colliquatur, ſequuntur nauſea, faſtidia, tormina, vertigo, dolor capitis, convulſiones, ſtrangulationes, & ſæpe ipſa mors.* Quam ob cauſam Divino Medicorum Anteſignano, Hippocrati, obtemperandum cenſeo, qui, *lib. de loc.* expreſsè dicit: *Medicamenta fortia à natura, in debilioribus morbis, dare non oportet; neque paucitate medicamenti debilitas ipſius procuranda eſt; ſed in fortibus naturâ, fortibus pharmacis utendum eſt: in debilibus verò pharmacis non fortibus. Neque debilitandum eſt medicamentum, ſed ſingulis ſecundùm naturam, debilibus quidem debilia à natura; fortibus verò morbis, fortia pharmaca exhibenda.* Debilibus fortia nocent.

Quòd autem *tinctura Antimonii*, aliaquè ex ſtibio compoſi-

poſita pharmaca, ſint fortia, vehementíſque operationis, id luculentiſſimis Paracelſi, Quercetani, Beguini, Schröderi, aliorúmque, locis ſuperius allegatis, citatorum Authorum teſtimoniis probatur, qui unanimi conſenſu docent, quòd *tinctura Antimonii curet lepram, podagram, luem Veneream, morbum caducum, aſthma, phthiſim, hydropem, icteritiam utramque, hypochondriacam affectionem, ſcorbutum, ulcera inveterata, aliáſque graviores affectiones*, quæ ſimplicioribus Galeniſtarum remediis non cedunt. Sed quis verus, amabo! artis Hippocraticæ ſectator non fatetur, haſce jam enarratas ægritudines curatu adeò eſſe difficiles, ut aut nunquam, aut non, niſi raró, & quidem generoſiſſimis antidotorum viribus, cedant? Si ergò haſce jam dictas, aliáſque iis ſimiles, affectiones præfati Viri Medici *Tincturâ Antimonii*, quaſi clavâ Herculis, ſe trucidare poſſe aſſerunt; nemo mihi facilè refragabitur, *Tincturam Antimonii*, aliáque ex ſtibio educta remedia, eſſe fortia; proinde nec in quovis morbo adhibenda, nec cuivis ſine diſcrimine naturæ offerenda; ſed iis duntaxat, qui, fortiorem corporis habitum nacti, & tenaciſſimâ pravorum & rebellium ſuccorum cloacâ infecti, difficillimis, peſſimæque naturæ morbis ſuccumbunt. Quemadmodum enim, ad duri nodi explicationem, durus requiritur cuneus: ſic magnus morbus, ad ſui ablationem, magnum remedium poſtulat, juxta doctrinam Hippocratis, *aphoriſ. 6. ſect. 1.* quia, *contraria contrariorum ſunt remedia*: ut idem, *lib. de flatibus*, aſſerit. Si ergo tinctura, aliáque ex antimonio præparata remedia, talem, in morborum curatione, cautelam exigunt; non minorem attentionem præſervatio requiret; cùm per eadem fiat præſervatio, per quæ fit curatio. Hinc lubens conceſſero, quòd *tinctura Antimonii* magnam, apud eos, ſit habitura operationem, qui, ob naturalem viſcerum diſpoſitionem, pravámque victûs rationem, ad tartareorum, feculentorum, ſcorbuticorúmque humorum

Tinctura Antimonii forte medicamentum.

Antimonii exhibitio cautelam requirit.

morum generationem & accumulationem inclinant: ſiquidem horum ſuccorum aggregationem non modò impedit, ſed etiam infectam jam ſanguinis maſſam ab iis depurat, liberat, & perverſam viſceribus inditam craſim emendat, ad laudabilioris ſanguinis productionem diſponit, firmiorem inducit valetudinem, vitámque in longiores annos promovet. Quando autem jam nominatorum ſuccorum cruditas & malitia abeſt, atque corpora molli complexione ſunt donata; ibi tantæ virtutis & operationis medicinas gratis adhibemus; præſertim ſi arbor corporis humani, arefacto paulatim humore nativo, tabeſcere & exareſcere videatur: ubi denuò humano juvenilíque liquore irriganda eſt, ut reviviſcat citiùs. Ad id verò, præ reliquis, conducere, ſæpius animadverſum fuit, creſcente Lunâ, haurire lac puellæ ſanguineæ, ſanum beneque ſugentem lactantis puerulum: quoniam nativo hoc lac tepidum abundat calore; quod, cum modico ſaccharo albiſſimo, dulcíſque marathri pulviſculo permixtum, languentem & deficientem ſtomachi, reliquarúmque corporis humani partium calorem nativum ſingulariter reficit: tum quia, ſic paratum, à ventriculi calore non poteſt cogi & putrefieri, tum quia lac hujusmodi puellæ naturæ humanæ juxta omnia eſt cognatum, &, beneficio marathri, lacti valde amici, ad membra exareſcentia facili negotio dilatatur, atque nutrit; tale quid iisdem ſuperaddendo, qualis eſt humor primigenius. Nec ſufficienter explicare poſſum, quantum deficienti ſenum robori à *marathro* juvamen addi, ab Authoribus dicatur; eò, quòd ſuccos nutritios per membra diffundat, & tali virtute humorum naturalem, quâ lac, augeat. Unde Plinius, *lib. 20. & 23.* ait: ut eſt apud Matthiolum, *lib. 3. cap. 68. fœniculum nobilitavêre ſerpentes, annuam guſtatu ſenectam exuendo, oculorúmque aciem ejus ſucco reficiendo.* Sed nec ſuâ laude ſpolianda eſt *Salvia*, utpote quæ virtutem naturæ moderatè calefacit & firmat,

Lactis fœminei energia.

mat, frigidáſque nervorum affectiones avertit. Huic, in virtute, ſuccedit *Zinziber conditum*, cui calor ineſt cum pinguedine, & pinguedo illa humori noſtro attemperata.

Et cùm, dicente Hippocrate, *lib. de principiis, cor ſit metropolis pinguis naturalis, plurimúmque calidi in corde inſit*; neceſsè eſt, ut talia, pro ejuſdem caloris innati, balſamique primigenii conſervatione adhibeamus, qualia ad abſumptam ſpirituum ſubſtantiam, utpote amicum calidi innati pabulum, reparandam plurimum conferre, faciléque per anguſtos venarum ductûs, ad præcordia derivari apta ſunt. Talia autem ſunt, quæ aromaticam quandam facultatem habent, ut *Zedoaria*, *Xyloaloës*, *cortices citri*, *caryophylli*, *cinnamomum*, *nux moſchata*, *Zinziber conditum*; quod, ob pinguem ſuam humiditatem, cum humido radicali ſingulari quâdam analogiâ ſymboliſare creditur. Sic quoque *corallia*, & *margaritæ*, (teſte Schrödero, *lib. 3. Pharmacop. Med. Chym. cap. 6. & 7.*) *cordiale prabent nobiliſſimum, quo balſamus vitæ oppreſſus, viréſque exolutæ, inſigniter recreantur ac confortantur*. Pari ratione, ut Meſue, *lib. de ſimpl. med. cap. de Myrobalanis*) *Myrobalani ſunt ex rebus, quæ faciunt utentes ſe juveneſcere; & acquirunt eis colorem bonum, & bonitatem odoris oris & ſudoris: & generant gaudium & hilaritatem: & confortant ſtomachum, cor & hepar: & conferunt tremori cordis, & ſtomachum præparant & mundificant*. Ita revera eſt, *Myrobalani*, maximè *conditæ*, eâ ſunt virtute donatæ, ut humorum ſuperfluitates conſumant & exſiccent: unde præmaturam pilorum canitiem vetant, humorem naturalem colligunt, atq; eundem à corruptione inflammationéque tuentur, valetudinem diu ſartam tectámque conſervant, vitam in plurimos annos producunt, ſtypticâ & aromaticâ ſuâ facultate oppreſſum ſpirituum vigorem reſuſcitant, congregant, fovent & ſuſtentant. Magna demũ energiâ pollent *Moſchus* & *Ambra*; quæ, ob moderatam caloris temperiem, lentorem ſuum, & adſtrin-

Cordis vires confortantia.

ſtringentem aliqualiter ſubtilitatem, ſpecifica ſunt appropriata ad vitam in membris confirmandam, & ſpiritibus vivacitatem conciliandam: quia ultimæ alimentorum aſſimilationi mirum in modum ſerviunt: ſive ea ſola, ſive cum aliis confortantibus mixta, in uſum venerint. Plura ad vitam prolongandam facientia deſiderantem ad alia aliorum Authorum monumenta relegamus; cùm nos hic loci ad altioris indaginis Pharmacorum examen avocemur.

CAPUT XII.

De medicamentis Chymicis, ad vitam longam, ex nonnullorum Medicorum opinione, infallabiliter facientibus, ut Mercurio, lapideq́; Philoſophorum &c.

QUemadmodum totius naturæ lumen in ſolo Galeno, eúmque fideliter ſequentibus Viris, non eſt exhauſtum: ita etiam per conceſſam, à DEO, humano ingenio libertatem, præter medicamenta, priori capite enarrata, & ad vitam diutiùs producendam facientia, adhuc alia longè efficaciora, à profundiſſimis & ſapientiſſimis tum Philoſophis, tum Medicis Spagyricis, recenſentur & decantantur; quæ, beneficio nobiliſſimæ Chymiæ, inter reliquas, ab humano intellectu inventas artes & ſcientias, non poſtremum obtinentis locum, extrahuntur. Nam Chymiæ ars illa eſt, quæ medicamentum quodlibet reſolvendo, calcinando, reverberando, alkaliſando, & homogenea ab heterogeneis ſecernendo, partem homogeneam utiliorem & ſubtiliorem, diverſo modo, nomine & labore, per Vulcanum bonum à malo ſeparantem eruit; ut hac ratione nucleus à cortice, quinta eſſentia à fecibus ſeparata, morborum medendi methodo eò citiùs inſervire poſſit. Hæc ars non ſolùm ſubtiliores ſimplicium & *(Chymia qualis Ars.)*

animalium medicamentorum virtutes, ut olea, ſalia volatilia, ſpiritûs, flores, quintáſque eſſentias (quæ ipſa rerum, quibus inhærent, ſunt vita) artificioſis ſuis laboribus dexterrimè novit elicere: ſed etiam nobiliſſimas illas, ſumméque efficaces metallorum facultates, utpote validiſſima, ad præſentis humanæ ſanitatis conſervationem, & amiſſæ reſtitutionem, remedia extrahit: quin & ipſiſſimam metallorum ſubſtantiam transmutare poſſe, uno quaſi ore aſſerunt Raimundus Lullius, Arnoldus de Villa nova, Rogerius Bacchon, Baſilius Valentinus, Theophraſtus Paracelſus; de quo Oporinus, *in Epiſtolâ quâdam*, his verbis teſtatur: *Pecunia erat prodigus profuſor, & ſæpe eâ ita deſtitutus, ut ne obulum quidem ei ſupereſſe ſcirem. Craſtino ſtatim die crumenam bene inſtructam ſe habere oſtendebat; ut non raro admiratus fuerim, unde ei fuiſſet ſuppeditata: quam pecuniam aliunde vix habere poterat, quàm ex Mercurio in aurum converſo.*

Metalla transmutat.

Propter excellentem hujus Artis ſcientiam, tantâ, hiſce temporibus, eſt in æſtimatione, ut Principes Celſiſſimi, Reges Sereniſſimi, Auguſtiſſimi Romanorum Imperatores, hanc artem ſuâ judicârint dignam perſonâ & labore; ut, præ reliquis, patet ex ingenti illo, in excellentiſſimam hanc artem, amore Ferdinandi Tertii, Glorioſiſſimæ memoriæ; qui, ut refert Zvvelferus, *in Mantiſſa ſua Spargyrica parte primâ, cap. 1.* non ſolùm hanc artem ſingulariter adamavit, ſed & ultrò manum applicuit, dum *glorioſiſſimus Imperator*, ut ait, *vulgaris Mercurii libras tres integras, manu propriâ, in libras duas & dimidiam auri puri, beneficio unius grani tincturæ Philoſophorum, transmutavit.*

Chymiæ excellentia.

An verò hæc artium præclariſſima à recentium Medicorum Schola ſit primò inventa; vel an etiam priſcis jam temporibus fuerit nota, non ita liquidò conſtat; præſertim cùm videam, inter reliquos, Galenum à Recentioribus nonnullis Medicis Spagyricis graviùs impeti, magnæque inſcitiæ argui. Id, præter Crollium, *in Præfatione*, & Paracelſum, (qui Gale-

An Chymia veteribus nota.

num,

num, *in principio libri primi de peſte*, futilem Blateronem compellat) facit injuriationibus & calumniis oneratiſſimus Helmontius, dum, inter cætera, *tractatu de inventione tartari in morbis temerariâ*, ita loquitur: *Galeni doctrina muccida tota ac pituitoſa, ſeminata in petra exaruit, ſterilis ſine ſpica & fructu manſit in ſcholis, ibidémque ſub cathedra ægrotavit, & jamjam mox, diſcuſſa in pulverem, friabilis evaneſcit, quia* (ut inquit, *in tractatu ſuo, de natura contrariorum neſcia*) *omnia undecunque ſuffuratus eſt; & ubique ignorantiæ ſemina latent.* Hæc Helmontius in Galenum, ſat quidem dicaciter: utrum autem veritati etiam convenienter, id diſpiciendum. Ego quamvis in verba Magiſtri Galeni non jurârim, quia tamen veritatis me amicum profiteor, idcirco, illius tuendæ cauſæ, paucula pro Galeni ſcientia, quam ſterilem, aridam, evanidamque Helmontius audet criminari, in medium adducere, neceſſarium duxi. Age itaque, Helmonti, & *putrefactiones, ſublimationes, corroſiones, extractiones*, aliásque hujusmodi operationes Chymiæ artis proprias eſſe, ſi potes, perfrictâ fronte, nega & pernega. At ſcio, negare id nequaquam potes, niſi artis Chymicæ temetipſum penitùs expertem, cum inſigni nominis jactura, oſtendas. Concedas igitur oportet, quod ſine dedecore proprio negare haud vales. Bene eſt, jam & hoc (ſi Galenum primoribus labris delibaſti) concedas neceſſum eſt, operationes artis Chymicæ proprias Galeno propè cognitas fuiſſe & perſpectas. Dic enim, ſodes, quid *infuſio Galenica, quàm putrefactio Chymica?* An aliquando Galeni *lib. 9. de ſimpl. medic. facult.* aſpexiſti, & quam, ſublimatione fieri, Cadmiam inibi deceat, lippis aut lividis oculis non legiſti? Nunquid non hæc ejus ſunt verba? *Totâ terrâ, aut lapide, ex quo æs gignitur, in ſublimem fornacis partem egerente, veluti fuliginem quandam aut favillam. In argenteis etiam metallis ſimili ſecretione efficitur. Quin & ex pyrite lapide in fornacibus uſto fit Cadmia.* An te latet pharmacum, quod

Helmontii in Galenum convitia.

quod idem Galenus, *lib. 4. de medic. compoſ. ſecund. loca*, dolentibus oculis illiniri præcipit? Et quid illud ſpirat, ſi non Chymiam? Credámne, te fugere poſſe, quantis *ſalem Theriacalem, calcinatione* productum, Galenus laudibus commendet Piſoni, *in ſuo, de Theriaca, libro?* Et quid, obſecro, tam affine eſt Chymiæ, atque *Calcinatio?* Optandum ſanè fuiſſet, ut priùs, quàm gravem, in Galenum, cenſuram ferret Helmontius, illius *lib. 1. de compoſ. medic. ſecund. gen.* adiiſſet, docentemque, *ibidem*, legiſſet, quî *ſcoria, ceruſſa, chalcites, lithargyrium, aceto* ſolui & corrodi poſſit? Et quo unico loco (& ſi innumeri deeſſent alii) colligere haud obſcurè Helmontius potuiſſet, Galenum Chymicæ artis peritiâ non ita leviter (atque ipſe cavillatur) tinctum fuiſſe. Sed demus hoc aut Helmontii in Galenum malevolentiæ, aut, in legendis ejusdem voluminibus, negligentiæ, quarum alterutrâ inductus, fulgentiſſimum artis Medicæ ſidus, Galenum, fuliginoſâ inſcitiæ nube involvere attentavit. Neque enim jacta Helmontii in Galenum convitia pluris facienda ſunt, quàm vani canum, lunam allatrantium, conatûs, aut ſagittæ in cælum emiſſæ, plerunque in caput ſagittarii deciduæ. Altiùs nimirum Medicæ pennis ſcientiæ Galenus jam evolavit, quàm ut maledicis Helmontii caſſibus poſſit implicari. Sed neque Helmontius, qualis qualis ſit, tantus eſt, qui Galeno, omnes propè Academias lucidiſſimo ſcientiæ jubare irradianti, umbram valeat facere. Incuſet, ut volet, in Chymia, inſcitiæ Galenum Helmontius; ſed adorant eum omnes, quotquot volumina ejus attentiore oculo perlegerunt. Inſimulet docti furti & rhapſodiarum Galenum Helmontius; at pro Galeno faciunt nota orbi univerſo præclariſſima monumenta, quæ ſuomet Marte & ingenio elucubravit. Decernat ſuâ, quantumcunque habet, authoritate, Galenum Chymiæ inſcium fuiſſe; ſed huic ego majoris, ſine controverſia, authoritatis virum oppono Raimundum Lullium, qui

Chymica Ars Galeno nota.

Galeni laudes.

qui Galenum artis Chymicæ peritiſſimum Virum diſertè affirmat; quin imò, hujus artis beneficio, quadrageſimum ſupra centeſimum ætatis annum eum attigiſſe, tradit.

Maneat igitur fixum firmúmque, artem Chymicam neque adeò ſublimem eſſe, ut ſubtiliſſimo Galeni ingenio ſuperior; neque tam recentem & novellam, ut ætate Galeni poſterior ſit cenſenda; cùm multis, etiam ante Galenum, ſæculis uſus illius infrequens fuerit. Quid *reſolutio*, quid *putrefactio*, quid *fermentatio*, *calcinatio*, *reverberatio ſit*, multis præcedentium annorum ſæculis, Veteribus Philoſophis & Medicis fuêre jam cognita: quin & metalla, Alchymiæ beneficio, transmutare, Veteribus Ægyptiis, jam temporibus Diocletiani, circa annum Chriſti 302. jam compertum fuiſſe, teſtatur Suidas; quorum libros omnes, de Chymia conſcriptos, igne cremandos idcirco Tyrannus mandavit, ne eorum operâ nimias opes conflare diſcerent Ægyptii, haberêntque nervum belli contra Romanos jugiter ducendi præpotentem.

Chymia Veteribus cognita.

Illud tamen hîc inficiari nec volo, nec debeo: artem videlicet Chymicam primis temporibus non in eo flore, atque perfectione fuiſſe, quo illam nunc florere conſpicimus. At hoc quid mirum eſt? Annoſa quercus, quæ modò ramis procerum in alta verticem explicat, quid, ante ſæcula, niſi tenuis virga, fuit? *Iſter*, *Albis*, *Rhenúsque*, celeberrima Europæ flumina, per vaſtiſſimos terrarum tractûs decurrentia, ac demum rapidiſſimo aquarum inundantium alveo ſeſe in mare exonerantia, quid ſunt, ſi primam eorum repetamus ſcaturiginem? Exiles profectò rivuli, quos nullo negotio tranſilire, aut ſiccâ propemodum calce poſſes tranſvadare. Trojana incendia, ampliſſimas Urbes lato graſſante Vulcano depopulantia, ab exili primordium ducunt favilla. Ipſe denique homo non ſtatim materno ab utero maſculo pollet robore; ſed, evolutis primis infantiæ annis, poſitâque adoleſcentiæ

Ddd 3 præ-

præſentiâ, in Virum creſcit perfectum. Habent hoc cum plantis, fluminibus, & hominibus Scientiæ commune, ut & ipſæ certa ætatis ferant diſcrimina, ortúsque ſui rudimenta, progreſſu temporum, novisque ingeniorum ſagacium inventis, magis indies excolant & perpoliant. Non uno ſcientiæ Chymicæ abyſſus ſeculo eſt exhauſta: hauſerunt ex ea Ægyptii, hauſit Hermes Triſmegiſtus, hauſit Hippocrates & Galenus; non tamen ita exhauſerunt, ut nihil ſuperſit, quod ingenioſa poſterorum ætas poſſit exhaurire. Quare ut modernis Chymicis eam debemus gratiam, quòd ſuo Chymicam artem ſtudio in eam dignitatem atquè excellentiam provexerint, ut progreſſus ortu longè nobilior, & quaſi diſſimilis videatur: ita ſuam primis ejusdem Inventoribus laudem negare, aut inſcitiæ eos, cum Helmontio, velle redarguere, grande cenſeo eſſe piaculum. Non refragor Fabio, dicenti, quòd ætas poſterior priori ampliùs erudiendæ laboret; prima tamen eruditionis ſemina anteceſſoribus noſtris nos debere, grati agnoſcamus, neceſſum eſt.

Chymia nunc perfectior eſt, quàm olim.

Inter celebratiora porrò artis Chymicæ inventa nunc *Mercurius, lapisq; Philoſophorum* meritò recenſentur; quorum medicamentorum univerſalium tantam deprædicant Inventores energiam, ut non modò univerſum morborum exercitum, miraculi adinſtar, profligare ſint potis: ſed ipſam etiam tot tædiorum generibus intricatam ſenectutem fugare, validúmque juventutis florem corporibus reducere. Ut exinde operæ pretii eſſe putem, univerſales haſce Philoſopho-Medicorum panaceas in examen vocare, videndo: num hactenus extiterit quispiam, qui cum fundamento, ab effectu deſumpto, dicere potuit, quòd verum *Philoſophorum Mercurium, aut lapidem*, habuerit. Antequàm autem ad propoſitos ab Authoribus conficiendi, ſeu potiùs excoquendi, maturandiquè Mercurii Philoſophici modos accedamus, operæ pre-

Mercurius Philoſophorum.

tium

tium mihi eſſe videtur, ut nonnihil de *Mercurii tum vulgaris, tum Philoſophici* natura, qualitatibus, & utriusque differentiis, in genere, dicatur: ut, iis præmiſſis, eò faciliùs cognoſcatur, quid per verum, aut minùs verum *Philoſophorum Mercurium*, intelligant Sapientes, veræ Chymiæ cultores. Variè quidem tam à veteri, quàm recentiore Medico-Chymicorum ſchola diſceptatum ſcriptúmque fuit, qualiter in uſum humanum trahi, & cum ſanitatis commodo uſurpari poſſit; quo diſceptationis fervore potiùs ſuſpenſum & ambiguum, quàm ſcientificum & inſtructum Lectorem reddidiſſe videntur Authores. Nam, ut primò de *communi vulgariq́; Mercurio* ſermonem faciam, ſcriptores non conveniunt in naturæ, ejusque qualitatum expoſitione: dum alii frigidam, & humidam *vulgaris Mercurii* temperiem aſſerunt; alii calidam & ſiccam; alii *Mercurio* extrinſecè applicato frigefaciendi & ſiccandi; intrinſecè autem dato calefaciendi & humectandi facultatem tribuunt; ut cuivis, Quercetanum inſpicienti, *cap. 10. pharmacop. mineralog.* patebit. At horum ſcriptorum argumenta & fundamenta, quibus innituntur ſinguli, nolo hic recenſere & in medium proferre; cùm ego, me tantis conatibus imparem eſſe, lubens profitear, ut tantos Doctores, viroſque Philoſophos præſtantiſſimos componam. Proinde ſuam cuique ſententiam propugnandi, atque de rerum naturis diſputandi libertatem relinquo. Si nihilominus meam mihi liceret aperire mentem, dicerem, cum diſtinctione eſſe reſpondendum. *Mercurius* enim conſideratur vel ut *vulgaris*, vel ut *Philoſophicus*: ut *vulgaris*, alius eſt crudus, alius præparatus. Ut crudus, illum dico eſſe frigidum ac humidum, ſecundùm originem ſuam; quibus qualitatibus adjunctam ſibi habet malignam quandam & deleteriam, humanæque naturæ, atque venoſo generi ſummè contrariam ac pernicioſam qualitatem; *quæ tremorem & rigorem nervis inducit*, ut Quercetanus, ex Paracelſo

Diſceptatio de Mercurio vulgari.

Diſtinctio Mercurii.

raceſſo, teſtatur, &, *niſi optimè præparetur, tum eosdem morbos inducit, ſi intra corpus ſumatur, quos efficit extra corpus.* Nam in penitioribus ſuis receſſibus impuritates quasdam minerales, ſeu metallicas, ſecum geſtat, quæ, niſi Vulcani, bonum à malo ſeparantis, beneficio ſegregatæ fuerint, gravia, viſuque horrida & penitùs ignota ſymptomata morbosque pariunt; quæ nullis facilè antidotorum viribus cedunt, ut teſtatur Matthiolus, in *comment. ſuo in lib. 6. Dioſcoridis, cap. 28.* ubi ſcribit: *argentum vivum, largiùs ſumptum, interimit exceſſu ſummè frigido & humido: putrefacit enim hoc ſuo exuperante temperamento innatum cordis humorem, ac ſubinde congelat ſanguinem, vitales ſpiritûs, & ipſam denique cordis ſubſtantiam.*

Mercurius vulgaris venenum.

Hanc ſententiam, præter Dioſcoridem, *lib. 5. cap. 64.* Oribaſium, *Medic. collect. cap. 13.* Serapionem, *part. 2. lib. de ſimpl. medic. tract. de medic. quæ ſumuntur ex mineris, cap propr.* ipſe etiam Theophraſtus tuetur, qui *Mercurium crudum, vulgarem*, penitùs rejicit, quòd, ut jam paulò antè à nobis eſt relatum, nervorum tremorem, partiúmque rigorem, aliaque quàm plurima inducat mala. Cujus rei exempla ſi quis habere cupit, legat Fernelii *caput ſextum & ſeptimum de lue Venerea: cap. 3. lib. 2.* Palmarii, de eadem affectione tractantis: quò induſtrium lectorem remitto. Ad hæc, ſi *Mercurius* conſideratur, ut præparatus, eum ipſum in humanum uſum (non attentis iis, quæ à Fernelio, Fallopio, Montano, aliiſque doctiſſimis Viris in contrarium aſſeruntur) venire, variáſque ex eo fieri poſſe medicinas, ad diverſas corporis ægritudines non tam præcavendas, quàm extirpandas, idoneas, nullus facilè modernæ ætatis Medicus negabit. Nam medicinæ, ex *Mercurio*, à ſagaci Artiſque bene perito artifice eductæ, naturæ multò ſunt benignioris, quàm ipſe *Mercurius crudus*: cùm ignis mediatione præcipua malignæ qualitatis portio evaporet, attemperetur, & ſopiatur; maximè ſi ejus præparatio rebus corroſione carenti-

Magnus Præparati Mercurii uſus.

rentibus, ut eſt *ſpiritus vini, acetum rectificatum*, inſtituta fuerit. Hâc etenim ratione ſæpius præparatus, ſi pharmacis frigiditatem & humiditatem ejus intenſam (quæ quidem in præparato plurimùm ablata ſunt) corrigentibus, ut *Mithridatio*, aut *Theriacæ* miſceatur, ſine omni detrimento ſumi poteſt; præcipuè in morbis externis, & lue Venerea; in cujus curatione, hac noſtrâ ætate, tantus eſt *præparati Mercurii* uſus, ut celebriorem, ad hujus mali curationem, vix habeamus medicinam: quoniam, ut placet, præter Paracelſum, Libavium, Quercetanum, Schröderum, alióſque quàm plurimos recentiores Medicos, Crollio, *in Baſilica Chymica, Mercurius eſt balſamum naturæ, in quo eſt virtus incarnativa, quæ mirabiliter renovat, & clarificat ab omnibus impuritatibus corpus microcoſmicum, lue Venereâ infectum. Ubi enim tota maſſa ſanguinea in univerſo venarum ambitu corrupta eſt, referta multorum morborum ſeminariis; tunc hæc metallica, vi ignis attenuata, eam penetrandi vim acquirunt, ut habitum totius corporis permeent. Mercurius enim optimè præparatus eſt Theriaca naturalis, & quinta Mercurii eſſentia: divinum eſt remedium in morbis etiam deſperatiſſimis*, ut docet Paracelſus, *lib. princip. cap. 11.* & hæc de Mercurio vulgari dicta ſufficiant. Quid Mercurius.

Mercurius conſideratus ut *Philoſophicus*, ille quoque duplex à profundioribus Chymiæ cultoribus ſtatuitur: crudus videlicet, & decoctus. Crudus tantum abeſt, ut noxio quodam ſeminio ſit infectus, ut potiùs præſtantiſſimum alimentum, nutrimentúmque planè optimum corporis partibus exiſtat. Quemadmodùm enim ſcribunt, reparativum eſt lapſarum virium, infirmis confortativum: ſic optimum quoque generat ſanguinem, nutrit & reficit deperditam attritámque partium ſubſtantiam. Nam excellentioris notæ Chymici negant, Mercurium Philoſophorum crudum eſſe actu ipſo quid minerale, multò minùs metallicum: ſed proprietates duntaxat Mercurius Philoſophorum duplex.

taxat eorum habere. *Mercurius Philoſophorum decoctus* naturæ exiſtit temperatæ; ut aſſerunt Philoſophi: in quo omnia quatuor elementata tali ſibi correſpondent proportione & ſymmetriâ, ut pondere ac virtute æquali & deſideratiſſimâ ſibi ſint commixta & unita, ejusdem prorſùs naturæ, eſſentiæ, & ſubſtantiæ cum Sole metallorum. Unde etiam *ſperma metallorum, humidum radicale, & mater metallorum, aërq́; appellatur* à Paracelſo, *lib. de generat. rerum natural.* quia vires fœminei ſexûs in opere Philoſophico gerere creditur, cujus ſolius beneficio, aurum radicaliter diſſolvi ac putreſcere, vegetari & animari, aſſerunt; *quoniam eſt res ſui generis*, ut loquitur Raimundus Lullius, *in compend. ſuo anim. titulo de ſpermate metallorum*, & in *codicillo, aliisquè in locis.* Aër enim in aërem habet ingreſſum, & natura naturâ lætatur, naturam fovet & amplectitur: id eſt, duæ naturæ in uno inhæſionis ſubjecto latent: quarum altera fixa; altera verò volatilis à Chymicis Philoſophis nominatur. Fixa in operatione Philoſophica continet naturam volatilem, ne ab igne fugiat: volatilis autem natura fixam ſubſtantiam tam arcto includit ſibi vinculo, ut ſenſum fugiat, & ante debitæ decoctionis tempus non videatur; in qua coctione tum tandem volatile à fixo ſuperari dicitur, quando ab eo figitur, atquè ita incorporatur, ut, adverſus ignis vehementiam, ſub forma perfectæ medicinæ conſiſtat: fixum autem à volatili tunc vinci aſſeritur, quando in volatilem naturam à natura volatili mutatur, & ſub mercuriali forma apparet.

Mercurii deſcriptio.

Quærenti autem, ex qua materia celebratiſſimus ille *Philoſophorum Mercurius* excoquatur: reſpondeo: quòd hac ſuper re diverſæ ſint Philoſophorum & Medicorum ſententiæ ac opiniones. Alii enim, eum ex Mercurio vulgari educi poſſe, arbitrantur, dum mediam ejus, & ab omni malignitate terreſtreitatéque vindicatam atque puriſſimam eſſentiam, per frequentiùs reiteratas ſublimationes, præcipitationes & deſtillationes

Quæ Mercurii Philoſophici materia.

tiones, extrahunt, eâ, dubio procul, inducti Hermetis præceptione, quæ in tabula ſmaragdina extat: *Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, ſuaviter cum magno ingenio.* Nam *Mercurius* diverſarum eſt partium, naturalium videlicet, & cœleſtium. Hæ, in natura radicem habentes, non, niſi per ingenioſas multúmque laborioſas mundationes & ſublimationes evocari poſſunt, ſeparando purum ab impuro, ſubſtantiam ab accidentibus, & faciendo occultum manifeſtum, per viam naturæ: in quo totius artis & operis fundamentum ponunt veri artifices. Hanc ſententiam Joſephus Quercetanus tenere voluiſſe videtur, ut apparet ex *lib. ejus Tetrad. cap. 33.* de Mercurio, ubi, inter reliquas Mercurii præparationes, ſtatuit, quòd breviſſimo temporis intervallo Mercurius vulgaris in Philoſophicum ſublimatione, præcipitatione, & deſtillatione transmutari poſſit. Cujus præparationes poſtquàm attento revidiſſem animo, notavi, quòd plurimùm à ſententia univerſalique Hermeticorum Philoſophorum via (pace id tanti viri dictum eſto) deviârit. Siquidem & ſubjecto, & modo præparandi, temporiſque ad ejus præparationem neceſſarii, plurimùm differt. Nam primò Quercetanus circa communem verſatur Mercurium, quem Philoſophi Hermetici, tanquam peſſimum metallorum excrementum, rejiciunt, alium à communi toto cælo diſtantem ſubintelligentes, dum dicunt, quòd verus Philoſophorum Mercurius ſit pretioſiſſimus metallorum liquor radicalis, ſulphure cæleſti, planéque naturali fixo & incombuſtibili imprægnatus; qui ſpeciali augendi & multiplicandi virtute donatus eſt; quod nullâ penitus ratione de Mercurio vulgari (ſive factitius, ſive naturalis ille fuerit) dici poteſt; cùm ſit res impura, feculenta, combuſtibilis, & non fixa. Secundò Philoſophi Mercurium ſuum verè actuque vivum eſſe, & corpus, ſpiritum animámque habere, dicunt; ut patet ex illo Lullii, quod habet *in teſtamento noviſſimo*, ubi

Mercurius naturalis & cœleſtis.

Quercetani error.

Diverſæ de Mercurio ſententiæ examinantur.

Leonem viridem multoties appellat *vegetantem*, ſubintelligens animam; & in *compend. anim. menſtruum rectificatum acuatum*, *Lunariam cœlicam*, *animam metallicam*, *& Mercurium vegetabilem* nominat, qui Solem metallicum vivificat, animámque tribuit; ita, ut per hunc ſolum multiplicativus evadat: quod communis nunquam efficere poteſt, qui, licet Mercurius vivus appelletur, re tamen ipſa, & in rigore Philoſophico, mortuus eſt dicendus. Tertiò Mercurius Philoſophorum, ut Lullius, *in ſuo Vade mecum*, aſſerit, coagulat communem Mercurium, non autem vice verſâ Quartò Mercurius Philoſophorum in ſe continet calorem naturæ terreſtris, ut ajunt: unde etiam reſolvit ſine aliqua fortitudine, quòd nec ignis, multò adhuc minùs Mercurius vulgaris præſtare potis eſt. Quintò Mercurius Philoſophorum ſuam originem non habet è minera, in terræ viſceribus ſtabulante; & tamen eſt ex natura Mercurii vivi, & ſulphuris: quia in igne non poteſt corrumpi, nec in aqua, nec in aëre: & habet proprietates ſolvendi, coagulandi, attrahendi cum appetitu, expellendi & digerendi: quæ omnia ſunt ad perfectionem & complementum rei animatæ cum contrariis paſſionibus. Sextò Mercurius communis, ex ſententia Quercetani, viri aliàs de re Medica optimè meriti, brevi temporis decurſu, in Philoſophicum transmutari poteſt; cùm tamen, ex omnium Philoſophorum teſtimonio, longiſſimo opus habeat tempore, ut ritè excoquatur, quo naturæ reddatur cum ſpiritu metallorum. Hinc Scala Philoſophus ait: *Cùm in opere fueris, adſit aſſiduitas & patientia, cum exſpectatione congrua; cujus finis commodum eſt lætitia: abſit pigrities & negligentia & feſtinatio diabolica, cujus finis damnum & triſtitia.* Septimò Quercetanus ſublimatione, præcipitatione, ac deſtillatione in Philoſophicum convertendum eſſe Mercurium vulgarem, aſſerit; cùm legitimus Philoſophorum Mercurius ſolâ coctione perfici ab iis ſtatuatur, omnes reliquas Pſeudochymicorum

micorum operationes vehementer improbantibus: ut patet ex Michaële Sendivogio, qui, *Tractatu ſuo primo*, in hæc erumpit verba: *Si hodie reviviſceret ipſe Philoſophorum Pater, Hermes, & ſubtilis ingenii Geber, cum profundiſſimo Raimundo Lullio, non pro Philoſophis, ſed potiùs pro diſcipulis, à noſtris Chymicis, haberentur: neſcirent tot hodiè uſitatas deſtillationes, tot circulationes, tot calcinationes, & tot alia innumerabilia Artiſtarum opera; quæ ex illorum ſcriptis hujus ſæculi homines invenerunt & excogitarunt. Unicum tamen nobis deeſt, ſcire, quòd ipſi fecerunt, lapidem Philoſophorum, ſeu Tincturam phyſicam.* Octavò Quercetani, ipſiúsque ſequacium, operationes à manuali dependent operatione: in præparatione verò Mercurii Philoſophici natura ſola totum operari debet. Hinc præfatus Sendivogius, *tract. 2.* ait: *Scito, te nihil creare poſſe, quod ſolius DEI proprium eſt, ſed res occultas, in umbra latentes, facere apparentes, & umbram ab ipſis tollere; hoc Philoſopho intelligenti à DEO per naturam conceſſum eſt.* Nonò, in communis Mercurii præparatione nullâ opus eſt elementorum ad invicem converſione & commixtione: in Philoſophico autem requiritur, ut elementa ad invicem transmutentur, convertantur, & putreſcant. Decimò in communis Mercurii præparatione utimur igne carbonum: Philoſophi vero Hermetici dicunt, quòd longè diſſimili ab eo utantur, quia, *cùm jubent eſſe æqualem, blandum, temperatum, lentiſſimum, continuum, humidum, album, calidum, tepidum, circumeuntem, clarum, clauſum, penetrantem, vivum, incomburentem, vivificantem, & ipſi naturæ ſoli uſualem: eum, è contra, carbonum ignem mortificantem, intemperatum, & ad opus ſuum inhabilem nominent. Nam*, ut ajunt, *calor, qui putrefactionem promovet, ita lenis eſto, ut, in quo ſal reſolvens eſt, in materia permaneat, & ab ea haud recedat. Idquè duabus de cauſis fieri ſtatuunt. Primò: quia in hujusmodi humore putreſcens materia vitam accipit. Secundò, quia calor lenis ſalem ex humore in materiam diſpergit, ut commodè corpus*

putrefiat. Si verò exceſſivo & adurenti calore humor pelleretur, materia combureretur & deſtrueretur; ita, ut nec animari, nec naturæ convenienter putrefieri poſſet; ac proinde ex materia ſecundùm naturam nihil generaretur. Ex hiſce aliisque plurimis rebus facilè clarum evadit, quòd Philoſophi Hermetici Mercurium ſuum non ex vulgari, ſed alia quadam materia educi velint.

Alia de Mercurio Philoſophico ſententia.

Alii dicunt, quòd Mercurius Philoſophorum nihil ſit aliud, quàm ſpiritus cœleſtis, à Sole, tanquam mare, & patre; Lunâ, tanquam fœminâ, & matre, cæteriſque aſtris ad nos demiſſus, atque in catholico ſubjecto in ſummam illam medicinam excoctus, quâ homo ab omnibus morbis eximitur, & in perpetuo ſanitatis ſtatu, usque ad terminum vitæ divinitùs præfixum, perdurat. Hujus, inter Sophos Hermeticos, ſententiæ eſt Dornéus, qui, *in artificio ſupernaturali, cap. 5.* ſequentem in modum ſcribit: *Cœlum eſt Mercurius noſter, quo ſignificatur, eum eſſe de natura cœleſti: & hac de cauſa, propter incorruptibilitatem intellectualis eſt, & eâ ratione, quâ cœlum ipſum intelligere dicimus, ut hominem, qui ſenſualis eſt & intellectualis. Habet enim proprietatem in ſe ſpiritûs incorruptibilis; qui eſt veluti anima, habens in ſe conditiones corporis: quoniam generat & producit ex ſe ſemen, ut fœmina. Hac viâ differt ab aliis magiſterium hoc ingredientibus. Et quia ſenſu percipitur, Mercurius dicitur ſenſualis; in quo omne illud latet, quidquid quærunt Sapientes; vocaturquè arcanum arcanorum, theſaurus & magiſterium ſincerioris Philoſophiæ.* Huic ſuo Mercurio ritè præparato, inter reliquos Recentiores Hermetis aſſeclas, tantas Baſilius Valentinus, Monachus, ſub *Phalajæ* nomine, aſſcribit virtutes, ut aſſerere haud verecundetur, quòd non ſolùm ab omni morborum impetu præſervet, ſed etiam homines jam decrepitos, &, ob annorum multitudinem, vehementer languentes, aridosquè ſenes juvenilis ætàtis ſucculentiæ floriquè reſtituat, atquè morbos incurabiles tollat. Inquit enim: *Phalaja medicamentum*

mentum eſt, quod ſanguinem hominis purificat, auget memoriam, tollit omnes defectûs trium principiorum, ſi unum læſum ſit, & reſtituit omne amiſſum. Eſt vera clavis qua totum corpus ad penetrandum aperitur. Nam neceſſe eſt, ut cedat lepra, hydrops, phthiſis, podagra, & omnes morbi in genere, undecunque orti, aut quomodocunque vocati.

Verùm enimverò, quamvis diu anceps hæſerim, an modicum meum, hac ſuper re, judicium aperire, &, quid de hac Mercurii Philoſophici materia, ſub tot exoticorum verborum allegoriis, ænigmatibus, & parabolis, ab Hermetica Sophorum claſſe expreſſa ſentiam, edicere dubitârim, ne ſapientiorum Virorum indignationem aut cenſuram incurrerem (quandoquidem facile eſt, ibidem ceſpitare, unde plurimi præcipites corruerunt, atque pauci ſine nota abierunt) nihilominùs, cùm haud ignorem, quòd errores (ſi qui in re tam ardua committuntur) facilem, apud ſublimioris doctrinæ viros, mereantur veniam; dico, quod ſentio: hanc videlicet Mercurii Philoſophici materiam, me judice, aliam non eſſe, quàm virtutem illam radicalem vegetativam, quæ, in prima rerum omnium creatione, corporeæ mundi ſubſtantiæ à Deo incorporata eſt, reſidetquè valdè copioſa in opaco terræ globo, ejúsque viſceribus, tanquam radicale rerum omnium, in terræ gremio naſcentium, & ex eadem prodeuntium, principium, vitaléque fermentum; quod cuique, in fertiliſſimo terræ utero contento, juxta cujuslibet naturæ exigentiam communicatur, quodlibet Solis, reliquorúmque aſtrorum coöperatione interveniente, vegetando, coquendo, maturando & omnibus perfectionis numeris abſolvendo. Eſt etenim, ut inquit Michaël Majerus, *emblem. 22. hæc materia aër quidam, ſeu vapor inſenſibilis, vel ſulphur ſpermaticum, quod dura emollit, compacta diſſolvit, denſa rare facit, fructûs arborum parit, maturat, ad argenti, auri aliorumq́; metallorum generationem primò & per ſe facit.*

Noſtra de Mercurio Philoſophico opinio.

facit. Quantò enim hæc virtus univerſalis perfectiori meliúsque diſpoſitæ metallorum materiæ conjuncta fuerit, tantò nobiliorem metalli ſpeciem induet; adeò, ut omnium nobiliſſima in auri productionem prorumpat, quòd calido ſuo, frigido, humido, ſiccoquè tam temperatum & perfectum eſſe ſtatuitur, ut tot excellentiæ virtutíſque gradibus cæteras metallorum ſpecies viribus ſuperet, quot ſplendidiſſimus ille cæli oculus, Sol, reliquas firmamenti conſtellationes ſplendore ſuo vincit; adeò, ut veriſſimum ſit illud Philoſophorum: *quod Sol eſt inter Planetas, id aurum eſt inter metalla:* Proinde à Lullio, *in teſt. noviſſ. cap. 24. aurum optimum inter mineralia, vegetabilia & animalia dicitur: ex quo, tanquam omnium metallorum pretioſiſſimo, medicina Philoſophorum elucidatur & elicitur,* ut aſſerit idem, *cap. 17. ejusdem libri. Nam aurum totum eſt Mercurius; quod patet ex ipſius pondere, & facili combinatione cum Mercurio, ex quo humiditatem liquoroſam extrahes; quia de ipſo venit noſtræ perfectionis terminatio & claritas quinti luminis,* tradente eodem, *cap. 53. libri jam paulò ante citati.*

Materia Mercurii Philoſophici.

Eſt ergo materia Mercurii Philoſophici vis auri balſamica radicalis, ſeminifica, vel virtus vegetabilis, cujus portio balſamica Mercurius: volatilis verò, & ſpirituoſa, ſulphur, ſeu vapor ſpermaticus ab Authoribus Chymicis nominatur, quæ ſpeciali profundiorum Alchymiſtarum dexteritate è prima imperfectáque auri minera elici, & in ſummam medicinam elaborari debere videtur. Nam tametſi Lullius, *in Theoric. cap. 34.* dicat, quòd *Mercurius Philoſophicus in omni elementari corpore inveniatur:* claris tamen verbis, *cap. 17. Theoric. teſt.* tradit, quòd Mercurius Philoſophicus ex auro fieri debeat. Inquit enim: *Noſtra medicina elicita & elucidata eſt de auro, tanquam omnium metallorum pretioſiſſimo:* quod non de auro, utpote metallo mortuo, & ad debitam perfectionem à natura & arte deducto, ſed vivo, id eſt, in utero terræ, ſub primis adhuc prin-

principiis vegetante, accipiendum eſſe judico. Quemadmodum ovum ad duritiem coctum pulli productionis eſt incapax: ita aurum fuſum ad univerſalis medicinæ præparationem cenſetur inhabile; cùm ſulphur & balſamum auri nativum naturæ ſit aëreæ & cæleſtis, quæ, in inuſitata illa auri maturi liquatione, & puri ab impuritatibus ſeparatione, evaporans, in ſuum abit locum. Quapropter unanimi Philoſophorum Hermeticorum conſenſu ſtatuitur, quòd aurum Philoſophorum non ſit illud vulgare; quia dicunt, quòd ex ſulphure & mercurio inviſibili ſuam educant medicinam; quam, ad ſummum perfectionis gradum evectam, lapidem Philoſophorum nominant. Hunc lapidem veri Triſmegiſti ſequaces Chymici deſcribunt: quòd *lapis Philoſophorum ſit ſpiritus univerſi, incubatu ſuo actuans aquas, atque in medicinam tam ſuperiorum, quàm inferiorum virium habitaculum digeſtione Philoſophicâ deductus, eâquè virtute præditus, ut imperfectis ſubſtantiis perfectionem ſui ipſius communicatione ingeneret.* Quid lapis Philoſophorum.

Hunc lapidem, Hermeticè præparatum, tantarum aſſerunt virium & facultatum, ut hanc Medicinam univerſalem vix non ex ipſa Dei præpotentis miſericordia, & omnipotentia, ſimul mixtis compoſitam credam, quâ Iſaias Ezechiam, ad mortem ægrotantem, quindecim annorum vitæ ac ſanitati, jubente Deo, reſtituiſſe videtur. Inquiunt enim, quòd lapis Philoſophorum, legitimè adminiſtratus, crudam imperfectorum metallorum ſubſtantiam in perfectum aurum mutet; deſideratum vegetabilium vigorem & maturationem velociter moliatur; tam præſentem, quàm vacillantem & amiſſam quorumcunque animalium ſanitatem, ſtupendum in modum, ſub minima doſi ſumptum, conſervet, & miraculi ad inſtar reparet & inſtauret. Lapis enim, ut dicunt, Philoſophicus continuo digeſtionis opere eò exaltatur, ut naturam planè ſulphu- Mira datur lapidi Philoſophico virtus.

Fff ream,

ream, fulmini non diſſimilem, induat, atque omnium aliarum medicinarum virtutes & facultates acquirat; vi quarum corpora à ſingulis infirmitatibus, ex humorum corruptione & vitio natis, ſana reddit, omnem vitioſorum ſuccorum mephitim everrit, corrigit, & omnino tollit, vitámque in plurimos annos ab hoſtili morborum inſultu tuetur: quod à Crollio, *in Præfatione num. 100.* confirmatur, ubi hæc habentur: *In hac ſpirituali Medicina, quæ eſt de natura & calore cæli, & non in noſtra mortali & corruptibili, poſſibile eſt, verum medicinæ fontem, conſervationem vitæ, reſtitutionem ſanitatis, renovationem juventutis deperditæ, & ſerenæ valetudinis optatum invenire: ac, naturaliter loquendo, nulla eſt, in toto Mundo, hâc verâ Philoſophorum Theriacâ melior medicina balſamica, quæ, inſtar Elixiris vitæ, ſuperlativa & ultima corporis humani conſolatio eſt, omnes activitates conſervans, in natura humana, & vires, ex naturæ defectu diminutas, reſtaurans: in omni enim genere unum quid eſt, quod primum in eo genere gradum tenet. Quia ergo hæc medicina genita eſt ex incorruptibiliori & efficaciori materia, quæ ſub cælo ſit anima vel ſpiritu mundi, nimirum omnium cæleſtium & terreſtrium vires in ſe continente; ideo primum teneat gradum in ordine medicinarum, & hac utens homo, cum aliorum ciborum moderatione, poterit ad Veterum Patrum ætates accedere.* Quin idem Crollius, *in præfationis ſuæ pag. 94.* audacter aſſerit, quòd unico Scythici hujus laticis grano (*in quo, tanquam penuario, omnium corporum cæleſtium & terreſtrium diſperſæ virtutes, admirando artificio, inviſibiliter coäcervatæ, imò in quo totus mundus aſtralicè concentratus erat*) *hominem deploratæ valetudinis, & morti vicinum, ſuâ igneâ, aſtrali & cæleſti natura inviſibili, influendo cordi radium vitæ naturalis, vitæquè organa renovando, & defunctam naturam reparando, unâ nocte ad firmam & perfectam revocârit incolumitatem.* Tales quoque vires huic Philoſophorum lapidi tribuuntur à Lullio, *lib experimentorum, experimento 25.* circa finem, aliiſque in locis plurimis:

Crollii laudes.

Lullii encomia.

mis: ubi, poſtquàm ejus conficiendi modum tradidiſſet, inquit: *Hoc eſt verum aurum potabile, quod in hominibus humidum radicale conſervat, removet canitiem, nigros facit crines, omnes morbos curat, ſi tantum, quantum granum milii, diſſolveris, & ægrotanti jejuno ſtomacho propinaveris.* Denique harum omnium virtutum & facultatum, quæ huic medicinæ dantur, ſummam paucis lineolis Laurentius Ventura, Venetus, *in ſuo, de Lapide, Tractatu cap. 31.* deſcribit; divinúmque ejus valorem recenſet, in hæc prorumpens verba: *Secunda virtus eſt, quòd homines in ſvavitate ac juventute conſervet, repellendo ab eis cunctos langu:res. Tandem quòd lepram depellat, caducum morbum, & alias multas ferè incurabiles infirmitates mulceat, ac etiam removeat. Et hæc omnia operatur, plùs quàm omnes Medicorum medicinæ, vel potiones, vel confectiones quæcunque. Præſervat etiam, & protegit hæc medicina, in confectis appoſita, ne quis morbus eidem advenire in futurum poſſit, ut dicit Lilium. Sicquè fit antidotum & medicina omnium corporum curandorum & purgandorum, tam metallicorum, quàm humanorum. Roſarius quoque multa ſpecificat, dicens: conſervat ſanitatem & roborat virtutem, reparat juventutem, purgat ſpiritualia, purgat pulmonem, venena cuncta expellit, morbos tollit, leproſos, in vino bibita, paulatim curat:* plurima alia paſſim à Philoſophis Hermeticis, hinc inde, ad hunc penè ſenſum, adferuntur & dicuntur, quæ hûc referre, brevitatis causâ, ſuper ſedeo. Venturæ Veneti verba.

Alterum, priori affine, argumentum, pro univerſalis Medicinæ poſſibilitate, à Philoſophis Hermeticis, hunc in modum conficitur: *id, quod omnium, tam ſuperiorum, quàm inferiorum, vires in ſe continet, omnibus morbis mederi poteſt: ſed lapis Philoſophorum omnium, tam ſuperiorum, quàm inferiorum, vires in ſe continet; ergo lapis Philoſophorum omnibus, ſine diſcrimine, morbis moderi poteſt.* Quæ argumenta num ſat efficaciter poſſibilitatem lapidis Philoſophici probent, luber, ad Lydium Probatur lapis Philoſophorum.

Reſponſio ad primum argumentū.

veritatis lapidem explorare. Ac primo quidem argumento parum concludi, hinc liquet: quòd, licet eadem ſit hominum omnium natura, non tamen eadem omnium eſt complexio, non iidem morbi, non ab iiſdem principiis omnes ægritudines progenitæ, non idem omnium clima, cælique, ſub quo habitant, temperies, non eadem omnium ætas, non eadem, in omnibus, morbi ejusdem incrementa & decrementa; ob quæ diſcrimina non tantùm in eâdem naturâ, ſed in eodem etiam ſæpe individuo videmus, non eosdem effectûs ab eadem Medicina poſſe produci: ergo ex identitate naturæ, omnibus hominibus communi, nondum univerſalis Panaceæ poſſibilitas ſat efficaciter oſtenditur; cùm in eadem natura alia multa diverſa, pro ſubjectorum diverſitate, reperiantur, quæ ejusdem pharmaci vim infringant, &, unius medicinæ viribus victa, nequaquam cedant.

Reſponſio ſecunda.

Secundi argumenti ſecunda propoſitio, ſeu minor, ſi perinde vera certaquè eſſet, atque eſt major; pauci omnino eſſent, qui non manibus pedibusque in Hermeticorum Philoſophorum irent ſententiam: ſed quia in Propoſitione majore (quæ per ſe patet) probandâ confirmandáque vires omnes exerunt; minorem verò (in qua totius rei cardo vertitur) probare aut diſſimulant, aut nequeunt: idcirco omnis, ſi quæ argumento vis ineſt, infirmatur aut enervatur, neque pondus habet ſufficiens, ad perſvadendum prudentibus, ut aſſentiantur, fieri id poſſe, quod ab Hermeticis ſolùm aſſeritur, non item probatur. Nec valet hîc commune Chymicorum effugium, dicentium: pandenda non omnibus eſſe myſteria, & nobiliſſimum naturæ arcanum non ita evulgandum, ut lippis tonſoribúsque innoteſcat. Id enim ab illis non exigitur, ſed ut vires admirandas, quas lapidi Philoſophico adſtruunt, ratione probent, ſeque nil ſupra veritatem & fidem aſſerere, vero ſimilibus congruentiis ſic perſvadeant, ut docti pru-

Vera lapidis probatio exigitur.

prudentes ſaniquè intellectûs Viri id agnoſcant: hoc jure optimo meritiſſimoquè ab iis poſtulatur. Prudentis enim eſt, non ſolo verborum, ſed rationum pondere moveri, & illi accedere ſententiæ, non, quæ plauſibilior, aut, ob novitatem raritatemque, eſt admirabilior, ſed quæ ſolidior eſt, & veriſimilior apparet. Quod ſi jam ſponte eas, quas Hermetici vires lapidi Philoſophico ineſſe aſſerunt, concedamus, credamúsque, in eo omnium ſuperiorum & inferiorum facultates contineri; an non vel invidos, vel in univerſum hominum genus inſigniter ſeſe oſtendunt injurios: dum innumera hominum millia, & quidem præcipua orbis capita, quæ invidæ mortis falci ſubducere ſuâ panaceâ facilè poſſent, illâ deſtitutos, miſerè ſinunt interire, arcanúmque pharmacum, quod, ad tuendam generis humani incolumitatem faciens, Superi iis (ſic enim cum illis loqui placet) revelarunt, illi nihilominus tam profundis abſconditum latebris ſinunt deliteſcere, ut ne quidem tunc in lucem proferant, cùm de conſervanda ſommorum Antiſtitum & Regum vita, maximis impendiis, agitur. Si Philoſophorum Lapis bonum tantum eſt; cur ſui non eſſe communicativum ſinit paucorum queſtus, vel invidia? Si lux eſt, homines à cæcæ mortis tenebris vindicans; cur ſub modio ſinitur deliteſcere, & non potiùs, ſupra ſcientiæ Medicæ candelabrum poſita, omnes Orbis utriusque illuſtrat Academias? Si fax quædam eſt ad Solis rotam, in cælo accenſa; cur novi iſti Promethei deſperatæ valetudinis homines ad ſuum, è quo conditi ſunt, limum abeuntes in viâ non ſiſtunt, & vel exanimes reanimant? Si denique divinæ quædam eſt particula auræ; cur non ipſi ſaltem Deorum affinitatem priores ambiunt, tum, communicatâ reliquis divinitatis portione, tales efficiunt homines, quibus illud Regii Vatis carmen accini poſſit: *Ego dixi: Dii eſtis, & filii excelſi omnes?* En quò humana provehuntur ingenia, dum, quidvis opinan-

di ſentiendique libidine abrepta, nullis venerandæ authoritatis aut veritatis ſeſe includi ſuſtinent cancellis? Nimirum dum, quod optamus, cupimus; quod cupimus, adamamus, facilè id fieri poſſe nobiſmet perſvademus, juxta illud Virgilii:

Credimus: an, qui amant, ipſi ſibi ſibi ſomnia fingunt?

Refutatio argumenti tertii.

Nunc robur argumenti tertii, quod Zwelferus, *Mantiſſæ Spagyricæ part. 1. cap. 1. fol. 325.* pro poſſibilitate lapidis Philoſophorum adfert, exploremus. *Nulla*, inquit ille, *aſſignari poteſt implicantia in tali lapide: ergo naturaliter eſt poſſibilis.* Hoc argumentum, cùm negativum ſit, an ad aſſerendam poſſibilitatem ſit ſufficiens, Dialecticis judicandum reliquo. Cæterùm ſi pondus habet aliquod, cur non, eâdem ratione, Arborem vitæ, illi, quæ in Paradiſo ſita fuit, per omnia ſimilem, licebit adſtruere, eſſe poſſibilem? Sic enim argumentor: *Nulla aſſignari poteſt in arbore vitæ implicantia: ergo naturaliter produci poteſt: ergo homo, naturâ ſuâ mortalis & corruptibilis, reddi poterit immortalis.* Quid ad hæc, Doctiſſime Zvvelfere? Exedendum nunc tibi eſt, quod tibimet tu intriviſti. Negabis forſan antecedens, & implicantiam aſſignare conaberis? At, quam tu, pro lapide Philoſophico, eandem ego, pro Arbore vitæ, cui vos pares, ſi non majores, vires attribuitis, aſſignabo; & ſic, impoſſibilem eſſe, convincam: ſi, conceſſo antecedente, negas conſequentiam, eò, quòd re ipsâ aliqua poſſit latere implicantia, licet nobis incognita; idem ego dicam & reſpondebo. Quòd ſi demum, ut poſſibilitatem lapidis Philoſophici tueâre, ob paritatem rationis, Arborem quoque vitæ viribus naturæ produci poſſe, admittas; vide ſis etiam atque etiam, ne, dum plus nimio naturæ tribuis, Aurhori naturæ deroges, hominémque arbitrio tuo immortalem conſtituas, quem morti ſubjectum, & corruptioni obnoxium, Numen ſupremum, lege Adamantinâ, definivit. An non rectiùs certiús-

tiúsque ſic argumentari licet: *Homo, è luto fragili conditus, naturâ ſuâ eſt defectibilis, mortalis & corruptibilis; ergo naturæ vires id excedat, neceſſum eſt, quod hominem ab omnibus morbis, defectione, languore, ſenio, & conſequenter morte ipsâ (quæ non niſi ad hæc conſequitur) vindicet, eundémque ſanum ſemper, ſoſpitem, juvenem, vegetum & vividum reddat.* Ex quibus patet, Doctiſſimi Zvvelferi, aliorumque Chymicorum doctrinam de lapidis Philoſophici poſſibilitate non eſſe tam perſpicuè veram, ut, qui illi, cum A. R. Patre Kirchero, aliiſque præſtantibus Authoribus refragatur, graviorem idcirco cenſuram mereatur: neque rationes, pro illius poſſibilitate allatas, adeò ſolidas, támque ſtabili fundamento nixas, ut, ſi non funditùs convelli, infringi tamen & infirmari magnopere poſſint. Opinio Hermeticorum infirma.

Verùm quidquid ſit de Lapidis dicti (quem variis allegoriarum & ænigmatum involucris potiùs obſcurant, quàm per clarum genus & differentiam rei definitæ manifeſtativam declarant Chymici) poſſibilitate; de ejus certè exiſtentia vehementer ambigo, neque mihi etiamnum ſatis perſvadeo, ullum hactenus tantæ felicitatis extitiſſe, qui celebratiſſimam hanc, támque nervoſam panaceam habuerit. Nam primò Crollius, *in ſuæ Præfationis pagina 88.* clarè tradit, quòd hæc Philoſophorum Medicina ſit tota cæleſtis, Deiquè ſolius donum, quod timoratis, & rectam veritatis & perfectionis viam inambulantibus ſuis ſervis elargitur, nulláque ratione à laborioſiſſimis hominum conatibus exſpeculari & elaborari poteſt. Ita enim ſcribit: *Veneranda antiquitas uno ore fatetur, à primo homine usque ad ultimum, neminem potuiſſe ſecretum iſtius artis divinum adinvenire ſuo ingenio naturali, ſecundùm rationem naturalem, ſolam, nec ſecundùm experientiam; cum ipſum ſupra rationem exiſtat, ut quid divinum & occultum, atteſtantibus hoc ipſum perpetuis moleſtis laboribus, illorum præſertim, qui hanc ſcientiam aſſiduâ lectione & collatione Authorum addiſcere inſudarunt: ſed Deum glo-* Lapis Philoſophorũ vix datur, & cur.

rioſum,

rioſum, gratiarum largitorem optimum, ſuis fidelibus ſapientibus, & ipſum timentibus ac honorantibus, id aperuiſſe & propalaſſe. Inter quos Paracelſum à Bombaſt numerat, quem, *pag. 95. jam dicta Præfationis*, à Deo hâc ſententiâ donatum fuiſſe aſſerit, ſic ſcribens: *Hæc quatuor ſumma morborum genera*, epilepſiam nimirum, podagram, hydropem, lepram, *Paracelſus, operibus demonſtrans, ſe à Deo Medicinam edoctum, cum Chriſti, non Dæmonis, adjutorio mirificâ arte ſuſtulit, non obviis & tritis noſtris medicinis purgantibus, ſed pauciſſimis conceſſis reſtaurantibus, ſeu regenerantibus: quibus natura renovata poſteà omnia noxia ſuâ ſponte expellit.* An verò Paracelſus tantæ ſanctimoniæ vitam vixerit, ut ſpiritus ſapientiæ in animam ejus migraverit; id hîc loci examinare, meæ non eſt intentionis. Id ſolùm ex ſacrarum paginarum textibus ſcio, quòd Regum ſapientiſſimus, Salomon, talem à DEO ſapientiam nactus fuerit, qualem nec Paracelſus, nec ullus ante eum, habuit, nec ullus poſt eum habiturus eſt. Conſulat, oro, benevolus Lector, ſacra oracula; ac potiſſimum *lib. 3. Regum, cap. 3.* attentâ mente, oculóque perlegat, ubi ipſa æterna DEI ſapientia, Salomonem allocuta, ſe illi non parcè, ſed pleno (ut ajunt) alveo infudiſſe, diſertè aſſeritur: *Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Hæc Salomonis ſapientia magis declaratur *cap. 4. ejusdem libri*, ubi ità ſcribitur: *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ eſt in litore maris; & erat ſapientior cunctis hominibus.*

Sapientiſſimus fuit Salomon.

Neque hîc mihi quiſpiam ampliſſimam Salomonis ſapientiam anguſtis includat limitibus, dicátque, eum in ſolius DEI, ipſiusque Magnalium, præſertim Juſtitiæ & Omnipotentiæ Divinæ cognitione ſolùm ſubſtitiſſe: cùm, eum Medicâ quoque ſcientiâ, præ innumeris aliis, eximiè dotatum fuiſſe

Salomon eximius fuit Medicus.

fuiſſe, nemo negare poſſit, niſi qui irrefragabili ſacrarum pagi-narum veritati velit refragari; quæ haud obſcuris encomiis medicam Salomonis ſcientiam prædicat, & extollit. Quid ſibi volunt illa verba: *Et diſputavit ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete?* niſi Salomonem eâ præpolluiſſe ſcientiâ, quâ ſummarum perinde ac infimarum arborum, fruticum, plantarum, herbarum, radicum, ſeminum, germinum virtutes exactiſſimè cognovit, quas illis ad medendum varias & efficaces, in prima creatione, ſupremus Conditor indidit. Quid porrò illa: *Et diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus & piſcibus?* niſi in quadruplici elementorum regno nihil fuiſſe vel tam profundè reconditum, quod perſpicaciſſimum Salomonis ingenium latuerit; vel tam ſublimè elatum, quod aquilinos ſapientiſſimæ mentis illius oculos effugerit. Scivit ille nimirum belliſſimè, quidquid ad humanæ vitæ ſubſidium fœcunda tot partuum parens, tótque diverſorum animalium gravida nutrix, tellus, conferret. Scivit, quidquid è piſcibus, conchiliis, oſtreis, coralliis, unionibus, auriferis arenulis, ad tuendam hominum valetudinem, ſuppeditarent maria, & flumina. Scivit denique adamuſſim vim medendi omnem, quam ab aëreo tam diverſorum altilium genere, ad effugandos morbos, ars Machaonica petere poſſet, vel deberet. Et quiſpiam adhuc, Salomonem Medicâ ſcientiâ excelluiſſe, dubitabit? Ipſum certè (ne quis dubitationi locus reliquus ſupereſſe poſſit) Salomonem juvat audire, de ſe, *lib. Sapient. cap. 7. verſ. 20.* loquentem: *anni curſûs, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas animalium, & iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque ſunt abſconſa & improviſa, didici: omnium enim artifex docuit me ſapientia.* Quàm velim, ultima hæc Salomonis verba, & univerſales in iis terminos, à benevolo Lectore accuratè obſervari! Ex iis enim, quam elicere

Salomon abſconſa novit.

cere intendo, concluſionem manifeſtè deduco. Nam ſic arguo: *omnia, quacunque abſconſa & improviſa ſunt*, magiſterio ſapientiæ edoctus didicit Salomon: ergo etiamnum arcanum lapidis Philoſophici (ſi daretur, ejusque ſcientia alicui hominum communicata fuiſſet) didiciſſet Salomon. Hoc verò arcanum lapidis Philoſophici magiſterium illi fuiſſe abſconditum, ex eo fit manifeſtum: tum quòd non Chryſopœjæ beneficio, ſed aliis artibus induſtriíſque ad comparandum, & è plagis auriferis advehendum aurum uſus fuit; tùm quòd, ad deperditæ juventutis florem reſtaurandum, ad morbos propulſandos, ad vitam denique in ævum extrahendam, panaceam illam neutiquam adhibuit: quam ſi ſciviſſet, haud dubiè adhibiturus, illiusque beneficio, vitam (quam ſexagenario majorem non exegiſſe, conſtat ex Saliario, aliisque Chronologis) ad centenarium protracturus fuiſſet. Si igitur is, cui, indubitatæ veritatis teſtimonio, *quacunque abſcondita & improviſa*, duce ſapientiâ, innotuerunt, nil tamen de lapide Philoſophico, aut Chryſopœja ſcivit: induci ægrè poſſum, ut, illius ſcientiam alicui hominum hactenus communicatam fuiſſe, credam, quæ ipſum Salomonem, Sapientiæ videlicet miraculum, & mortalium omnium, qui fuerunt, aut ſunt, aut erunt, ſapientiſſimum latuit.

Salomon lapidem hunc non habuit.

Quid quòd ipſi lapidis Philoſophici propugnatores inter ſe diffidere, & ſibimetipſis, dum impares illi, aut planè diverſas vires attribuunt, adverſari videntur. *Regnum in ſe diviſum*, æternæ veritatis oraculo, *deſolabitur*; & ſententia, cujus propugnatores diverſis inter ſe opinionibus digladiantur, inſtabili nixa fundamento, corruat, neceſſum eſt. Panaceam univerſa Hermeticorum Philoſophorum ſchola Lapidem dictum indigitat, tantáſque illi vires tribuit, quæ non modò ad morbos omnes propulſandos, ſed vires etiam conſolidandas, recuperandam formam, inſtaurandum ſenium, hominem denique

Hermetici non conveniunt.

totum

totum juvenili vigore renovandum ſufficiant. At quid claſſis Hermeticæ ſectator ſcribit Lullius? Is veluti ſui, aut ſectæ, quam ſequitur, immemor, Lapidis dicti virtutem anguſtis adeò circumſcribit limitibus, ut, ſi eos non egrediatur, Panaceæ, ſive univerſalis pharmaci nomen minimè ampliùs mereatur. *Omnes*, inquit, *lib. experimentorum*, *circa finem experimenti 25. morbos curat, præter phthiſicos, hydropicos, & leproſos.* O præclaram, & apud Antipodes inventam panaceam! quæ in validiſſimo morborum conflictu leniores aggreditur gregarios, ſternit & vincit; at, potentioribus morborum anteſignanis victa, cedit & ſuccumbit; quamquam, præter phthiſin, lepram & hydropem, alios adhuc morbos reperias, in quibus curandis omnem, cum Lapide ſuo, operam oleumquè perdunt Hermetici. Prodeat in medium, ſi quis eorum unquam apoplexiam fortem abs ſe curatam verè audet pronuntiare. Huic ego geminos oppono Machaones, Hippocratem, & Amatum Luſitanum: quorum iſte, *aphoriſ. 42. ſect. 2. apoplexiam fortem incurabilem:* ille, *curat. medic. cent. 3. curat. 44. curatu omnino ſtatuit impoſſibilem.* Eja! hûc adſit, quisquis lapide Philoſophico febrium, tertium gradum occupantem, vel ſcirrhum lienis hepatíſque exquiſitum, diúque ſine ſenſu perſiſtentem, aliquando fuiſſe perſanatum, jure poteſt gloriari. Omnem, de febri hectica, fidem derogabit Clariſſimus Sennertus, qui eam idcircò *inſanabilem*, omnique panaceæ ſuperiorum ſtatuit, quòd humidum radicale lentâ tabe abſumptum ſit & exſiccatum; partêsque ſimilares abſumptæ refici minimè valeant. De ſcirrho exquiſito lienis curato adverſabitur Galenus, *lib. 2. de arte curandi ad Glauconem*, ita ſcribens: *Scirrhus lienis, vel hepatis, exquiſitus inſenſibilis minimè curatur.* Ades tandem, quisquis (ut graviores alios morbos taceam) icterum nigrum, altiùs firmatum, lapide Philoſophico extirpatum, ſanctè audes affirmare. Etiam juranti non credet Aëtius, qui, *lib. 10. cap. 17.*

Lapis dictus non omnes curat morbos.

Morbi incurabiles.

Icterum, ubi invaluerit, nullam curationem admittere, luculentè aſſeverat. Ubi es nunc, Crolli? ubi ſunt exaggerata panaceæ tuæ præconia; qui, *in Præfationis* ſæpè ſæpius *citata pagina 100.* eâ pollere virtute jactitas, ut, qui eâ, cum aliorum ciborum moderatione, uſus fuerit, ſanus vegetúsque, ad veterum Patrum (quos, ſupra ſæculum vixiſſe, compertum eſt) ætatem ſit acceſſurus? Unum tu mihi, Crolli, adduitio, cujus venerandam toto vertice canitiem, lapidis Philoſophici beneficio, in nigrum, alteriúsve juvenilis coloris capillitium transmutâris: unum ætatis decrepitæ ſenecionem demonſtrato, cujus tu recurvum in terram corpus erexeris: cujus tu caligantes oculos, abſtersâ omni albugine, perſpicaces, lynceos, & aquilinis ſimiles reddideris; cujus tu manûs tremulas firmâris, greſsûs vacillantes conſolidâris; cujus tu, denique, tetricum languorem juvenili vigore & calore vitali excitâris. O quanto, apud effætas, lippas, rugoſas, ſtrigoſas, ac edentulas anûs Crollius fuiſſet in pretio, ſi ſteriles harum uteros fœcundare, rugas à vultu totóque corpore abſtergere, gingivas novis dentibus armare, deformibus aratam ſulcis frontem vultúmque priſtinâ formoſi oris gratiâ reformare, fœdam corporis totius illuviem flexili membrorum omnium agilitate poſſet fugare! Mehercule! ſi hæc, aliaque id genus, quæ Hermetici plenis buccis crepant, Crollius poſſet, næ! ille ipſo Machaone, imò & Medicorum Deo Apolline, eſſet potentior; ac proinde non modò cultu & veneratione, ſoſpitatoribus Medicis conveniente, ſed divinis etiàm honoribus affici longè digniſſimus. Scio quidem, Poëtarum carminibus paſſim celebrari Medeam, Aëtæ, Regis Colchorum, filiam, quòd Æſonem, Jaſonis Patrem, ſenio morbisque confectum, juvenili ætati roborique reſtituerit: at id non lapidis Philoſophici beneficio, ſed Magicorum vi carminum factum, iidem perhibent Poëtæ. Et, ut naturalibus factum pharmacis Poëtæ aſ-

Crollius refutatur.

tæ aſſererent; majorem tamen fidem, quàm alia hujusmodi ingenioſa Vatum commenta, non merentur. Hiſtoriam fide dignam, quæ depontanos ſeneciones rejuveneſcere, annoſas vetulas denuò pubeſcere poſſe, naturalis vi pharmaci teſtetur, nondum me vel legiſſe, vel audiviſſe memini. Illud demirari, ô Crolli! ſatis non poſſum, quî factum ſit, quòd Paracelſus, qui tuomet, aliorumque Hermeticorum teſtimonio, Philoſophicum lapidem, univerſalémque medicinam habuit, præmaturo tamen fato abreptus eſt, annumque vitæ quadrageſimum ſeptimum non exceſſit. Unum è duobus ſtatuas, eſt neceſſum: aut Paracelſum, univerſali medicinâ & panaceâ præditum, vitam ſuam diutiùs conſervare, & contra adverſos morborum ingruentium inſultûs tueri noluiſſe; aut non potuiſſe. Quòd ſi vitæ prodigum Paracelſum facias, dicásque, eum vires collapſas reparare, adverſam valetudinem tueri, vitam fugientem, quantumvis facilè potuerit, ſiſtere diutiùs noluiſſe; graviſſimi criminis reum arguis, ipſisque latronibus, alienæ vitæ inſidiantibus, deteriorem conſtituis, utpote qui, amore vitæ propriæ, quem natura omnibus animantibus arctiſſimum indidit, proculcato, contra jus & fas, contra naturæ rectæque rationis dictamina, contra divina & humana decreta, vitam ipſe ſuam, quam nullo negotio ſervare potuit, perdiderit, & ſemetipſum, ſubtractis, quæ ad manum erant, efficacibus vitæ præſidiis, interemerit. Si verò tam pertinaci malo, morboque tantopere adverſo, laboraſſe Paracelſum aſſeras, ut Panaceâ vinci edomarique non potuerit; arma mihi, o Crolli! quibus tuum jugulum petam, ſuppeditas, deſertâque priore ſententiâ, vel invitus mecum fateri cogeris, nec Paracelſo, nec ulli Medicorum alteri, talem panaceam, aut univerſale pharmacum, aut Lapidem fuiſſe cognitum, qui, omnibus & ſingulis morbis ſuperior, illis mederi, qui vires attritas & deperditas reparare, qui ſenium juvenili vigore ani-

Paracelſo Panacea univerſalis defuit.

animare, qui vitam ultra præfixos à natura terminos extrahere, qui hominem denique mortalem & corruptibilem à morte & corruptione poſſit vindicare. Videtur, vim dilemmatis hujus, ſagacis vir ingenii, Helmontius, præſenſiſſe, & ſe, ſuique ſequaces, validè illo ſtringi, probè advertiſſe: idcirco, *tract. de arcanis Paracelſi*, omnem movet lapidem, ut capram & caules ſalvet, & tum Paracelſum à propriæ mortis reatu abſolvat, tum panaceæ vires, in illius morbis curandis minimè labefactatas, propugnet. At actum agit, & quamcunque in partem defenſionis ſuæ proram convertat, nunquam tamen eam adeò cautè & circumſpectè diriget, ut, ſi Scyllam evaſerit, non in Charybdim incidat; aut, ſi Charybdim effugerit, non impingat in Scyllam. Nimirum omnibus ingenii viribus potentior eſt veritas. Dicit itaque, *loco citato*, Paracelſum vitæ quidem ſuæ nonnihil fuiſſe incurium, ſed citra culpam: cùm, ſcientiarum indagandarum cupiditate abſtractus, animum ad ea, quæ valetudini noxia eſſent, parum adverterit: unde mirum non eſt, quòd ſenſim, ſine ſenſu, carbonum ſuffitûs eum infecerint, aquarum fortium, gradantium & arſenicalium vapores debilitaverint, novæ ſemper & aſſiduæ, ex rerum antimonialium calcinatione, deſtillatione, &c. adſcendentes exhalationes ita occupaverint, ut morbis priùs, quàm adverteret, victum illum cedere oportuerit. O frivola & calva excuſatio! cui diluendæ rurſum dilemma ſupra propoſitum, mutatis tantùm terminis, oppono: Si Paracelſus Scire magis curavit, quàm Vivere: ſi Chymicæ curioſitatem ſcientiæ pluris, quàm propriam ſalutem, & valetudinem fecit: ſi conficiendæ panaceæ ſtudio ſic ſe abripi ſivit, ut morbos panacea fugandos, ne quidem in proprium corpus hoſtiliter deſævientes adverterit; jam culpâ gravis negligentiæ non vacat; ſed vitæ, fato præmaturo perditæ, reus tenetur. Quòd ſi debilitatas arſenicalium aquarum vaporibus vires reparare, vale-

Helmontii excuſatio nulla.

valetudinem diurnis nocturnisq; ſtudiis, & calcinationum, deſtillationúmq; laboribus labefactatã reſarcire ſuâ, quam habuit, Panaceâ nequivit, hoc ipſo, verâ ſe deſtitutum fuiſſe panaceâ, aut lapide, confitetur; cùm panaceæ tantas Hermetici vires, teſte Roſario, apud Venturam Venetum, *lib. de lapide philoſophico, cap. 30.* tribuant, *ut conſervet ſanitatem, & roboret virtutem, reparet juventutem, purget ſpiritualia, purget pulmones, & venena cuncta expellat.* Si venena cuncta, quidni etiam virulentos ex aquarum arſenicalium diſtillatione vapores, & è rerum antimonialium calcinatione noxias aſcendentes qualitates?

Verùm nemo dat, quod non habet: ut apparet in multis, ſuperciliosis hujus ſæculi, vaniloquisque Thraſonibus, qui Alkali, aliásque univerſales quaſi medicinas ſe excoquere poſſe ſpargunt; quarum beneficio ſe miracula perpetrare poſſe arbitrantur, in pellenda phthiſi, aliisque graviſſimis morbis: cùm tamen ipſarum viribus nec languenti pulici opitulari valeant; taceo præclariſſimo cuidam Principi, aut Viro de mundo bene merito, renovare prolongáreque vitam. Quapropter de hoc Philoſophorum lapide, tanquam univerſali Chymicorum pharmaco, Hermetici ad libitum clament & ſcribant; ego cuique ſecretioris veritatis indagatori ſuam libenter opinionem relinquo; nihil verius, de hoc Hermeticorum lapide, dictum judicans, quàm quòd quidam Alchymiſtarum ſcribit: hunc lapidem in igneo & ardente ſpiritu habitare, & eſſe ignem conſumentem omnia, & purgantem ad ſummum; crumenas videlicet: id quod magni Reges, Principes, Comites, aliique quàmplurimi viri nobiles, qui integras pſeudochymicorum catervas domi ſuæ alunt, abundanter teſtari poſſunt. Si enim unâ medicinâ univerſali omnes morborum ſpecies curarentur, fruſtra Deus tantam remediorum varietatem creaſſet: ſiquidem non tantùm ſingulis morborum ſpeciebus ſua deſtinavit pharmaca; ſed etiam cuivis veneno ſuum oppo-

Univerſalis Medicina non datur.

Lapis Philoſophorum ignis conſumens.

ſuit antidotum & alexiterium, ut *Hellebro nigro, flores & radices nymphaæ albæ, ſemen paſtinacæ cum vino ſumptum: MeZereo, ſcordium; Hyoſcyamo, allium, rutam, urticæ ſemen: Cicutæ apii ſemen, & ſic de aliis venenis diſcurrendo.*

Si ergò tanta cum difficultate præſtantes hæ medicinæ univerſales elaborantur, aut eorum præparatio naturaliter implicat; præſtat, ut, præter medicinas ſuperiore capite enarratas, ad virium conſervationem, vitæque protractionem, iis utamur remediis, quibus excellentis doctrinæ, præſtantisque experientiæ Machaones uſos fuiſſe, novimus. Inter quæ præ reliquis excellere videtur *Aurum*, atque omnia ex eo compoſita. Nam Quercetanus, *in ſua Tetrade, cap. 32.* ex Paracelſo refert, *quòd aurum corpus hominis ad ſummam ſanitatem reducat, omnes morbos curet ac tollat, omnes calores inſtauret, reſtituat & renovet. Præſervat à lepra; quia ex univerſis Elixiriis ſummum ac potentiſſimum eſt, corpus ſervat, & liberum reddit ab omni ægritudine, neque id corrumpi ſinit: corrigit enim & emendat, quidquid non eſt ſincerum.* In hanc ſententiam etiam loquitur Ficinus, *lib. 2. de vita longa, cap. 10.* inquiens: *aurum omnes ante omnia probant, tanquam rerum omnium temperatiſſimum.* Et paulò infra: *ideóque poteſt calorem naturalem cum humore mirificè temperare, humores à corruptione ſervare, Solarem ac Jovialem ſpiritibus ac membris inferre virtutem.* Andernacus, *in ſuo, de veteri & nova medicina, libro, comment. 2. dialog. 5. fol. 192.* verba de Auro faciens, ait: *Aurum metallorum princeps, ut quod maximè omnium temperatum, plurimis, ad tuendam ſanitatem, dotibus præditum, cardiacæ melancholiæ, cordis palpitationi, morbo attonito, comitiali, elephantiaco medetur: atque ſpiritûs animales vitaleſque recreat.* Non minores auro virtutes, utpote metallorum præſtantiſſimo, à Julio Palmario, *cap. 18. de febrib. peſtil.* adſcribuntur, ubi hæc habet: *aurum temperatiſſimum quùm ſit, nec temporis perennitate conſumitur, cardiacæ melancholiæ, cordis*

Auri vires.

dis palpitationi, morbo attonito, comitiali, elephanti & venenis medetur, atque ſpiritûs animales vitalésque mirificè recreat; idq́ purisſimum, vel candens, juſculis & potionibus inſtaurantibus pluries intingitur, vel, in pollinem tenuiſſimum redactum, ad ʒß vel ℈j exhibetur; vel in oleum, ſtillatitiámque aquam, arte Chymicâ converſum, ad tres quatuórve guttas, cum vino, vel aqua cardiaca aliquâ propinatur. Auri pollis, arte novâ, roris Maij beneficio paratus, citra ignis vim, mirificam efficaciam habet adverſus venena; atque cardiacum eſt remedium omnium præſtantiſſimum.

Enim verò, hîc non exigui momenti quæſtio movetur: cuinam auri ſpeciei hæ facultates & virtutes ſint tribuendæ: communi; an Philoſophico, Alchymiſtarum operâ elaborato? Præcipua & maxima Medicorum, Hippocratis Galeniq́ue doctrinam ſectantium, eas de auro in folium redacto, vel in limaturam aut pollinem ſubtiliſſimum comminuto, ſubintelligendas eſſe, ſtatuunt: inter quos eſt Matthiolus, qui, *in commentario ſuo in lib. 5. Dioſcordis, cap. 70.* ait: *Auro, omnium metallorum pretioſiſſimo, præſtantiſſimóque, admirabiles inſunt facultates & virtutes, quibus homines non modò incolumes tueri poſſit, ſed & longævos reddere, ſi auri ſcobs porphyrite lapide diutiùs levigata fuerit, adeò, ut tactum ferè effugiat, & cum aliis medicamentis confortantibus datum fuerit. Bibitur enim ad cordis affectûs, & animi mærorem.* Sic etiam Dioſcorides, *lib. 5. cap. 64.* aſſerit: *quin etiam minutiſſima auri ramenta argento vivo poto egregiè ſuccurrunt.* Serapio quoque, *lib. Aggregat. part. 2. ſerm. titulo proprio,* limaturâ ejus utitur, ad cardiacam melancholiam & cordis debilitatem. Hunc ſequitur Fernelius, qui, *lib. 5. cap. 21.* aurum, tanquam præſtantiſſimum remedium, in ſubſtantia commendat. Sic in Alexandrina antidoto moderni Græci eo utuntur. Ficinus quoque, *lib. 2. de ſtudioſ. vit. prod. cap. 29.* tanquam reſtaurativum ſummum, ac præſtantiſſimum ſenectutis remedium, mirificè aurum foliatum extollit. Avicennas,

Aurū commune medicinæ ſervit.

nas, *lib. 2. tract. 2. cap. 78.* ait: *auri limatura ingreditur in medicinas melancholica. Retentio ejus in ore removet fœtorem oris. & ingreditur limatura ejus in medicinas alopeciæ, ſerpiginis liniendæ, & in eas, quæ bibuntur. Confortat membra anhelitûs & pectoris. Confert doloribus cordis, & tremori ipſius, & malitiæ animæ; & ei, qui ſolus loquitur.* Andernacus quoque, *lib. de veteri & nova Medicina, comment. 2. dialog. 7. fol. 651.* in hanc ferè abit ſententiam, & in ſubſtantia putat eſſe propinandum, dum negare videtur ejus reſolutionem in oleum Philoſophicum, inquiens: *omnes plerique rerum naturalium periti, aquam vel oleum ex auro fieri negant: neque ullus noſtro tempore artifex, vel Chymicus, vel Mechanicus, qui illud affirmat, re ipsâ præſtitiſſe viſus eſt.* Moderni Diſpenſatoriorum ſcriptores variis quoque medicamentis auri folia immiſcent; ut pulveri *Pannonico rubeo*, pulveri *Marchionis, confectioni cordiali Alexandri, ſpeciebus cordialibus temperatis, electuario de gemmis calido, confectioni de hyacintho, lætificanti Galeni, Rhaſis, diathemaron Nicolai, confectioni Alkermes,* atque aliis quàmplurimis compoſitionibus, ad humanarum virium inſtaurationem, à prudentiſſimis Viennenſis, Auguſtani, Noribergenſis Collegii Viris Medicis, inventis; ut virtus earum compoſitionum inſtaurativa tantò fieret excellentior, quantò plus auri foliati admixtum fuerit. Nec obſtat illa Zwelferi, in Animadverſionibus ejus, facta objectio: quòd videlicet hæc auri admixtio alia de cauſa non fiat, niſi ut oculis blandiamur, & conceptam vulgi, ingentem in Aurum fiduciam collocantis, opinionem ſtabiliamus. Plùs enim oculari inſpectioni credo, quàm nimiæ Zvvelferi omnia reformandi & corrigendi cupiditati. Nam Illuſtriſſimam quandam Bohemiæ Comitiſſiam, ex antiqua Comitum de Zaar progenie oriundam, novi, quæ affligentes frequentiùs cordis anxietates alio non pellit remedio, quàm auri foliati ſumptione: ut exinde non minùs ſapienter, quàm providè, præclara illa prædictorum

Zwelferi objectio nulla.

rum

rum Collegiorum commembra egerint, confectionibus ſuis confortantibus immiſcendo aurum. Illud ſiquidem (ut placet Eraſto, *in epiſtola ſua ad Monavium* data, & inter *Cratonis epiſtolas 271.* numerata) ſummam mixtionis perfectionem poſſidet, quam lux & ſplendor ille præfulgidus ſatis patefaciunt, ob quas qualitates ſpiritibus noſtris lucidiciſſimis maximéque temperatis tam cognatum eſſe video, ut facilè credam, aurum, ob illam ſympathiam (quâ homines, ut Magnes ferrum, ſuccinum paleas, in amorem trahit) ſymbolorúmque convenientiam, ſpiritûs conſervare, augere, ac deperditos ſpecificâ proprietate reſtituere. Utrum verò hæc de auro noſtro ſint accipienda; an de Philoſophorum, non ita liquet. Quamvis ego (liceat tamen ſuo cuivis abundare ſenſu) de primo ea accipienda eſſe judicem; quoniam & ipſe Paracelſus, *lib. 1. de præparationibus, tract. 5. de metall.* ex auro puro & à mineralibus ſuis legitimè depurato, cum ſale gemmæ, efficaciſſimum conficit antidotum, ad meliorandam membrorum paralyſin, tollendúmque cordis tremorem. Eodem modo, ex certa foliorum auri liquefactorum portione, & aqua mellis, præſtantis operationis componit remedium; quod in febrium acutarum æſtu, gravem plerunque virium ſtragem inferente, propinat, à ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum. Sic etiam aurum ignitum, & in aqua chelidoniæ extinctum, ad matricis dolores, & peripneumoniam, ſpecialiter commendat. Quin imò, *ex principio lib. 6. Archidoxis* clarè patet, quòd Paracelſus, ſublimis ille Chymicorum Phœnix, aurum ſuum potabile ex auro illo vulgari bene defecato, benèque depurato præparet, ubi dicit: quòd tantum quintæ eſſentiæ pondus ex auro extrahatur, quantum auri calcinati fuit. Nam ut, *lib. de vit. long.* tradit, primò auri ſubſtantia per potentia corroſiva ſolvi debet; cùm, ut inquit *lib. 4. Archidoxis*, implicet, ex metallis quintam eſſentiam abſque corroſivis extrahere. Denique

Paracelſi de auro ſententia.

tam diverſæ ſunt Authorum, de auri exhibendi modis, ſententiæ, tam varii illud præparandi modi, aurúmque potabile faciendi viæ & ritûs, ut tot extent ſententiæ, quot Authorum, hanc materiam tractantium, fuêre capita: tot modorum varietates; quot libri, de hac tractantes materia, ſunt ſuperſtites. Nam alii per ſpiritum ſalis vulgarem aurum potabile faciunt: alii per ſpiritum vini alcholiſatum: alii per acetum commune radicatum: alii per ſalia corroſiva; deinde per ſpiritum terebinthinæ, ſeu olea aromatica aurum ſolvunt, & potabile faciunt; alii certam foliorum auri quantitatem cum ſucco limonum optimè depurato diſſolvunt: alii per oleum juniperi, ſuâ aurum ſpoliari poſſe tincturâ, autumant; quorum denique tot modorum differentiæ paſſim in Chymicorum ſcriptis & libris offenduntur, ut, ſi hoc loci omnes referre vellem, meritò ſubvereri poſſem, ne vel legentibus faſtidium pariam, vel nimiæ notam prolixitatis incurram. Senſum tamen, mentemque, hac ſuper re, meam Lectori benevolo minimè cenſui eſſe celandam; quam dum paucis expono, nihil aliorum opinioni & ſenſui per hoc derogare intendo. Veneror enim & approbo omnium Virorum doctiſſimorum, de hac materia ſcribentium, ſenſûs & opiniones: illorum tamen, præ reliquis, auri reſolvendi modum mihi arridere, ſine diſſimulatione, ſignifico, qui aurum potabile, reliquáſque, ex hoc metallo extrahi ſolitas, medicinas abſque corroſivorum admixtione conficiunt. Summa enim auri præparatio in ejusdem diſſolutione conſiſtit; quæ ſi abſque corroſivorum interventione inſtituatur, credo, firmitérque ſtatuo, magnarum virium extrahi medicamentum, quod aptum eſt ſpiritum quaſi emortuum reſuſcitare & reficere, humidum radicale reparare & augere, totúmque corpus adeò roborare, ut à multorum morborum invaſione præſervetur, vindicetur, atque hâc ratione ſanitas & vita in longiſſimam annorum ſeriem

Diverſi Auri potabilis faciendi modi.

Auri potabilis præparatio.

riem prorogari poſſit: cùm è contra aurum potabile, per corroſivorum acrimoniam & auxilium præparatum, videatur violentũ, & præſentis potiùs veneni, quàm ſalutaris medicinæ naturam redolere; ratione cujus potentiâ pollet, vitam ſanitatémque magis evertendi, quàm conſervandi. Proinde nullam diuturnioris vitæ ac valetudinis conſervationi præparatam, ex auro, medicinam, maximè verò aurum potabile, exhiberi debere judico, niſi à probatæ ſcientiæ, artíſque Chymicæ probè perito Medico fuerit elaboratum. Nam multi quidem, hâc præſertim ætate noſtrâ, dantur carboniperdæ, ſuffiones & pſeudo Chymici (quorum fornaculas, ob impoſtorum ſtrophas, noctuas, ad aucupia crumenarum, magnus ille Scaliger vocavit, *de ſubtilit. ad Cardan. exercit. 23.*) qui neſcio quæ ſecretiorum pharmacorum genera, ad diuturnioris vitæ conſecutionem, ſe elaborare poſſe, mendaciter jactitant; cùm tamen non magis Chymiam calleant, quàm pecus Arcadicum lyræ Muſicam noverit. Quemadmodum enim Medicus perfectus eſſe non poteſt, juxta unanimem omnium Medicorum doctrinam (nam qui, absque Philoſophia, Medicinam addiſci poſſe, ſtatuunt, illi, cum Æſopo, in aëre domos exſtruere velle videntur) niſi qui & bonus eſt Philoſophus: ita etiam implicat, ut ſtupidus quidam, Phyſicæque cognitionis ignarus, ſit veræ Chymiæ peritus: quia implicat, ut aliquid è re extraham, cujus eſſentialem conſtitutionem ignoro: ut, bonum à malo, malum à bono ſegregem, ſi ex principiis Phyſicis non ſciam, quid ſit bonum, aut malum. Unde imperitum hoc Impoſtorum, & Tenebrionum, genus non immerito ad vaſtum illud Cyclopum ablegamus antrum, ut, eandem ibidem aſſiduè incudem tundentes, deinceps diſcant, ne falcem ſuam in alienam, ſibique incognitam meſſem mittant; & millenis fraudum generibus facilè credentium hominum crumenas emungant; malum Chymiæ inurendo nomen; quæ tantæ

Perfectus Medicus.

 alio-

Chymiæ Exiſtimatio. alioquin eſt exiſtimationis, ut nemo præclari Medici nomine dignus, hoc noſtro ſæculo, cenſeatur, niſi ſpecialem Chymiæ cognitionem habuerit, & tam Hippocratis, & Galeni, quàm aliorum antiquiorum Virorum doctinam novis Chymicorum principiis conjunxerit, excellentem videlicet, penitúsque divinam medendi methodum, ab Hippocrate, Galeno; pharmacorum verò genera, eorúmque conficiendi adhibendíque modos à probatis Chymicis mutuaverit.

Unde famoſiſſima illa Medicorum Collegia, Viennenſe, Pragenſe, Auguſtanum, Noribergenſe, Lipſienſe, & alia plura, magno cum labore, multis ab hinc annis, deſudarunt, ut veram illam Hippocratis, Galeníque medendi methodum inter, & Chymicorum pharmaca indiſſolubile quaſi connubium ſtatuerent; videntes, quòd, hoc faciendo, Medicinam ad ſummum perfectionis apicem eſſent evecturi. Vera Methodus. Nam quid, amabo! Hippocratis Galeníque præſervandi & curandi methodo accuratius? quid abſolutius? Illa enim, ut docet Galenus, *lib. 4. method. med.* eſt certa quædam & univerſalis via, ſeu ars, quâ, per indicationes, auxilia deprehenduntur, ut præſens humani corporis ſanitas conſervetur, & amiſſa reſtituatur. Et quid, quæſo, Chymiâ, in ſelectiorum medicamentorum præparatione, excellentius? quid perfectius? Ipſa ſiquidem eſt ars, quâ nativæ concretorum corporum *eſſentia*, *ſpiritûs*, *oleo*, *ſalia*, & *balſama* extrahuntur, purum ab impuro, nucleum à cortice ſeparando, & ſelectiſſima quæque medicamentorum antidota, tum ex vegetabilium & animalium proſapia, tum etiam metallorum regno eruendo. Hac etenim ratione medicamenta, per præclaram Chymiæ artem à ſuis fecibus depurata, in minori doſi offeruntur, cum majori ſvavitate aſſumuntur, faciliùs penitiores viſcerum receſsûs adeunt & pervagantur, peccantes humorum ſuperfluitates adoriuntur,

per

per analyſin vincunt & everrunt; præſentem partium virtutem conſervando, vacillantem inſtaurando & redintegrando, pulsâque ſtomachi, cordis, aliorúmque viſcerum atoniâ, novum iis robur addendo, atque hoc agendi modo citam, tutam, jucundámque curationem efficiendo.

Proinde quemlibet longioris vitæ, & conſtantioris valetudinis cultorem amicè rogamus, ut non tantùm excellentiorum, & ab artis apprimè gnaris Medicis confectorum pharmacorum electioni ſtudeat: verùm etiam ſingula illa ſervet, quæ in hoc noſtro, de vita longa, Diſcurſu obſervanda eſſe, monuimus, atquè Hippocratis, Galeni, aliorúmque graviſſimorum Podaliriorum rationibus, & authoritatibus, quantum poſſibile fuit, ſtabilivimus & confirmavimus. Nec pigeat benevolum Lectorem ſinceræ admonitionis. Qui enim ſalutarem regularis vitæ obſervationem pro ſemente jacit, is cum ſpeciali præpotentis DEI benedictione gratam ſanioris, diuturnioriſque vitæ conſecutionem, utpote ſvaviſſimum hujus mundi fructum, metit.

MANU-

MANUDUCTIONIS PARS III.

Caput I.

De Arthritide.

INter crudeliſſimos atque infenſiſſimos humani corporis hoſtes, omnium penè graviſſimus eſt dolor, omne humanum genus, nullo diſcrimine, laceſſens, incuſansque: quandoquidem *hucusque mortalium extitit nemo*, ut inquit Euripides, *quem non attigit, aut cui peperciſſet dolor.* Ita revera, quemadmodum Seneca & Horatius perhibent, rerum humanarum conditio, & lubrica natura diſpoſita eſt, *ut nihil ſit ab omni parte beatum.* Inter ſæviſſimos enim corporis humani affectûs, adeo vehementer dolor, quacunque in parte obortus, humanum corpus affligit, adeò tyrannicè excruciat, ut multi, ejus gravitate & vehementiâ victi, ſibimet ipſis violentas manûs intulerint, atque è numero vivorum ſemetipſos ſuſtulerint. Sanè Philemon Laodicenſis Sophiſta, articularis doloris vehementiâ agitatus, ſepulchrum vivus ingreſſus eſt, inediâque ſibi mortem accelerare maluit, quàm diutius cum doloribus conflictari. Sic quoque alii, optimæ alioquin notæ, viri, quò podagræ peracerbis toleratu cruciatibus levarentur, à ſpontanea morte remedium quæſiverunt. Hinc Dionyſius Heracleotes, à dolore, quo tenebatur, evictus, magno ejulatu exclamabat: *falſa illa eſſe, quæ de dolore, nondum expertus, ſenſiſſet.* Ideóque à Cleanre, ſuo in Philoſophia quandoque condiſcipulo, interroga-

Dolor.

Miſera naturæ conditio.

Philemon Laodicenſis dolore mortuus.

Heracleotes.

rogatus, cur à ſententia, de dolore quondam habita, tam facili negotio receſſiſſet, reſpondit: *plurimos in Philoſophia transegi annos in laboribus, in tantum tamen expolitus non ſum, ut dolorem, ratione quacunque perſuaſus, tolerare poſſem.* Malum eſt igitur dolor intolerabile, cuicunque mortalium generi. Dolores autem, unanimi Medicorum & Philoſophorum conſenſu, ibi maximi ſunt, ubi ſenſus eſt acutiſſimus: quod ipſum vel podagricorum, vel quarumcunque partium afflictarum teſtantur anguſtiæ ſudoriferæ, miſeri ejulatûs, clamores inſoliti, & ad commiſerationem compoſitæ mortes. Cùm itaque omnis triſtis & dolorifica ſenſatio, in quacunque corporis parte oborta, labore & ſcientiâ medicâ ſit tollenda, aut ſaltem mitiganda, ſpero, me rem neque labore indignam, neque benevolo Lectori injucundam facturum, ſi, in tertia Opuſculi noſtri parte, eas dolorum ſpecies, eorúmque præventionem & curationem attigero, qui, præ reliquis, Marcomanniæ noſtræ incolas gravius affligunt: ut ſunt Arthritis, Lithiaſis, Colica, & Hydrops. Cui rei initium facturus, ad Arthritidem, utpote affectionem pluribus communem, transgredior. Dolor quale malum.

Plurimi, iique doctiſſimi hactenus, in Medicorum ſchola, fuerunt inventi viri, qui de moleſtiſſimo, hominum plerumque artûs, ſeu articulos (propter quod Græcè ἄρθρα dicitur) divexante dolore, diverſas ſcripſerunt opiniones, tam de ejus origine, ſubjecto, generatione, definitione, cauſis antecedentibus, procatarcticis dictis, & conjunctis, quàm ſignis diagnoſticis, prognoſticis, indicationibus præſervativis, & curativis plurimùm diſputantes. Quæſierunt appoſitè iidem, quale ſit malum: an calidum? an frigidum? an à manifeſtis vel occultis oriundum qualitatibus? an contagioſum? an ſine contagio? an hæreditarium? an adventitium? an curabile? vel incurabile? Inter quas quæſtiones tam diverſæ occurrunt Arthritis quale malum.

 dif-

difficultates ; ut præſtet tacere, quàm rerum obſtruſiſſimarum immenſitati ſe committere.

Quia tamen, apud curioſa ingenia, nos operæ pretium aliquod facturos ſperamus: tum etiam, ne, inerti deſidiâ, horas ab ægrotorum neceſſariâ curâ ſubceſivas tranmiſiſſe videremur, perbrevem, de dolore articulari, Tractatum auſpicati ſumus: ad cujus affectûs deſcriptionem, definitionemque jam nunc progredimur.

Arthritidis definitio. *Dico itaque: dolor articularis eſt triſtis ſenſatio partium nervoſarum, articulis proximarum, dependens à ſolutione unitatis.*

Hic affectus, prout diverſas corporis partes occupat, ſic, pro diverſa etiam partium affectarum varietate, varia ſortitur nomina. Si enim circa collum ferociat, *Trochleagra:* maxillam, *Siagonagra*: ſpinam dorſi, *Rachiſagra*: coxam, *Iſchias, ſeu iſchiaticus dolor*: ſcapulas *Omagra*: cubitum, *pechyagra* nuncupatur. Si verò manum, vel ejus carpum, vel externam partem, vel digitorum articulos cruciet, *Chiragra*: ſi genua infeſtet, *Gonagra*: ſi pedes laceret, *Podagra* dicitur. Si demum omnes, aut potiores corporis articulos affligat, *Arthritis* nominatur; tradente Ambroſio Paræo, *lib. 17. Op. Chirurg. cap. 1.*

Diverſa doloris affligentis nomina.

Hîc, antequam ad ferocioris mali cauſas deſcendamus, quæritur: quodnam ſit ſubjectum, ſeu quæ ſit ſedes, doloris articularis? Cui quæſtioni ſatisfacio, dicendo, membranas, nervos, tendines, aliáſque partes ſentiendi vi præditas, ſubjectum eſſe cauſæ formalis, ſeu doloris. Ligamenta verò, & cujuscunquè generis & nominis cavitates articulorum, eſſe ſubjectum cauſæ efficientis, in quas humor influens ſeſe inſinuar, ſpatiáque recipientia implet, dolorem excitando propter diſtenſionem, calorem, frigus &c.

Articularis doloris ſubjectum.

Nota quòd Medici, de cauſis articularis doloris ſcribentes, plurimum inter ſe diſcrepent: in hoc tamen convenientes, quòd ab humore aliquo, ſeu ſenſim, ſeu confertim ad articulos

ticulos affluente, ibidemque ſubſiſtente, ac ſolutionem unitatis inferente, cauſetur. Quænam autem ſit iſta mateтia, & quæ ipſius origo; de hoc adeò diſconveniunt Medici, ut Aretæus fateri cogatur, *veram hujus mali cauſam ſoli DEO cognitam eſſe; probabilem verò, & apparentem ſolummodo ab hominibus reddi.* Divinus Hippocrates, *de affect. articulorum, dolorem ex phlegmate, & bile fieri*, ait. Galenus, *lib. 10. de compoſit, medic. ſimpl. cap. 2. ex pituitoſo humore, aut ex pituita, & bile mixtis plerunque naſci*, refert. Fernelius nullam aliam morbi articularis cauſam vult agnoſcere, quàm *ſeroſum, & pituitoſum humorum.* Aſt prætermiſſis aliorum, hac de re, opinionibus, dico, humorem iſtum non uniusmodi ſemper, ut Fernelius aſtruere conatur, exiſtere naturæ: quia nec dolor articularis ejusdem eſt, apud omnes, naturæ: hi enim graviorem; illi verò mitiorem patiuntur dolorem: & id ob cauſarum majorem vel minorem vehementiam. *Dico* igitur, miſſis aliorum doctiſſimorum Virorum ſententiis: *dolorem articularem provenire ex humorum crudorum, ſalſorum, acrium, ſeroſorum, & copioſo tartaro impragnatorum, in corpore collectorum, copiâ; qui partim ob viſcerum concoctionibus præfectorum, (ut ſtomachi, hepatis, lienis, renum, aliarúmque partium nobiliorum) debilitatem partim ob eſculentorum & potulentorum, qualitate & quantitate, aut etiam præpoſtero utendi modo peccantium vitia colliguntur.* Dum enim viſcera concoctionibus præfecta ſunt debiliora, aut cibi, & potûs copiâ obruuntur, aut talibus onerantur, quæ concoctu ſunt difficillima; contingit, ut chylus in ventriculo, ex aſſumptis alimentis, minùs elaboretur. Quod vitium primæ concoctionis cùm in ſecunda corrigi nequeat, excrementa & cruditates cumulantur; quæ per venas & arterias, utpote per vias fluentibus humoribus aptiſſimas, unà cum ſanguine, ad partes ignobiliores, & à nobilioribus diſtantiores propulſantur, & ibidem, in articulorum cavitates ſeſe inſinuando, & replendo,

Diverſa Authorum ſententia.

Hippocratis cauſa doloris.

Fernelii.

Noſtra, de doloris cauſa, ſententia.

Primæ concoctionis vitium non corrigitur.

immediatam doloris articularis cauſam cônſtituunt, partes acutiſſimo ſenſu præditas, membranas nimirum, nervos, & tendines, ſuâ ſalſedine & acrimoniâ tam diu vellicando, affligendo, usque dum, propriâ Archei potentiâ, aut arte, adjutis, hæc, in articulis, oborta fermentatio, atque naturam inter & cauſam morbificam colluctatio, per unius ſublationem ſiſtatur.

Iſti humores vitioſi, in articulis dolorem abominabilem cauſantes, ejusmodi ſunt naturæ, ut faciant etiam proprium & ultimum alimentum, affectis partibus, pro nutrimento, ſubmiſſum, degenerare; quod degenerans, unà cũ humoribus illis malè coctis, ſeu acidis, aceſcit, ſalſedinem & acrimoniam contrahit, ſicq; dolores articulares promovet, & auget promovendo, augendo nimirùm cauſam: quia omne ſalſum, ſeroſum, acidum, crudum, frigidum, acre, partibus membranoſis, nervoſis & carnoſis ſummè eſt infeſtum: excepto ventriculo, & inteſtinis, quæ, ob commodam acidorum quorundam alimentorum receptionem, vel ingeſtionem, mucore quodam obducuntur. Hiſce itaque, ut jam dixi, & ſimilibus humoribus, in partibus ignobilioribus collectis, præter atrociſſimos dolores, haud quidquam generari poteſt. Qui dolores tam diu durant, donec, beneficio naturæ, & partium affectarum robore, commodáque victus ratione (ut novæ materiæ fluxus impediatur) præſentis materiæ copia, per medicamenta diſſipantia, extrahentia, evacuantia, partesque affectas roborantia, evacuetur, & ita dolor ſedetur.

Cauſa doloris articularis.

Quamdiu dolores durent.

Hîc notandum eſt, quòd multis dolores, abſque omni medicamentorum adhibitione, & nullis reliquiarum veſtigiis apparentibus, ceſſerit: quod inde accidit, quia materia aliquando ſubtilis eſt, & tota evaneſcit, patentibus quàm maximè poris: cùm, è contrà, in nonnullis, poſt paroxysmum, tophi relinquantur; quibus ſcilicet humores tartaro copioſiore ſunt imprægnati. Impoſſibile enim eſt, ut humor ille glutinoſus,

Cur dolores per ſe ceſſent.

noſus, ſalſus, ſeroſus, copioſóque tartaro, aut in ſubſtantiam partium alendarum abeat, ut ſanguis bonus & laudabilis, quem, vi ingenitâ, ad ſui conſervationem trahunt; aut ut per ſudorem diſſipetur: unde ſubtiliori ſucco abſumpto, aut quocunque modo diſſipato, terreſtrior pars relinquitur, exſiccatur & in tophum abit.

Hîc oritur quæſtio: utrum articulorum dolor, podagra nimirùm, aliquando calida; aliquando verò frigida dici poſſit, aut debeat? Et utrum, in hoc ſubjecto, à calidâ; in illo verò, â frigidâ causâ ortum ducat? Siquidem, in individuis diverſis, diverſimoda occurrunt ſymptomata, calidiora, vel minùs calida. Cui quæſtioni paucis repono, quòd calor in hoc, vel illo individuo magis vel minùs affligens, urgentibus v. g. doloribus podagricis, ſit merè accidentalis; quatenus nimirum materia peccans magis, vel minùs acris, & mordax, in hoc vel illo ſubjecto eſt: à quibus ſpiritus partium irritatus, & veluti in furorem actus, majorem vel minorem impetum facit, juxta Hippocratem, qui ſpiritus, impetum faciens, calorem illum accidentalem excitat; cujus caloris beneficio materiam peccantem partibusque moleſtam, promptiùs & citiùs expellere, totamque diſſipare, atque in auram abigere conatur. Ad hæc, ſicciora corpora, hoc morbo affecta, graviores patiuntur dolores, & veluti urentes: non quòd materia morbifica ſit calidior; ſed acrior: & hinc partes, acutiſſimo ſenſu præditæ, ob ſiccitatem ſuam, doloribns magis ſunt obnoxiæ; atque ideò calorem corporibus humidioribus (quorum quicunque etiam dolores mitiores ſunt, verùm diuturniores) majorem perſentiunt.

An Podagra calida, vel frigida.

Hîc notandum, quòd, ſi quis materiam mordacem, & acrem etiam calidam appellare velit, toto aberret cœlo. Experientiâ enim, optimâ rerum magiſtrâ, docemur, quòd commixtio duorum contrariorum, quorum neutrum caloris par-

Materia acris non eſt calida.

ticeps, ſed frigidæ naturæ eſt, maximum excitet calorem: item frigidiſſima naturâ ſuâ, edere in corpore humano effe-ctûs calidos. Proinde ſalſa, acria, & ſimilia, in morbis quam-maximè perpendenda occurrunt, ſuisque contrariis, quan-tum poſſibile eſt, tollenda; utpote cauſæ productivæ & effi-cientes: nequaquam verò, productus calor, vel frigus, quæ, licet ſint qualitates activæ, accidentia tamen, & cauſæ effi-cientes, ſunt materiæ vel ſalſæ, vel acris, vel acidæ, vel craſſæ &c. peccantis.

Cur dolores articulares certò tempore redeant?

Quæres: cur paroxysmi doloris articularis ſtatis recur-runt temporibus, & obſervandis apud quosdam quammaximè periodis? Reſpondeo: hoc ex naturalibus plerumque eve-nire cauſis: ſiquidem primò corpus noſtrum diverſis variis-que eſculentorum & potulentorum varietatibus, per multa quandoque tempora, obruitur, & aggravatur (nam multi, proh Superi! ex nobis, à pueritia, ciborum copiæ potûsque diverſitati ità aſſveverunt, ut hiſce de cauſis non modô va-riis affligantur morbis, ſed etiam non raro à præmaturâ mor-te præveniantur) ſicque neceſſariò etiam copioſus genera-tur ſanguis, concomitantibus, & ſeſe congregantibus pluri-mis humoribus cacochymicis. Et eſto, primò tantùm ſan-guis peccet quantitate, & copioſior in corpore contineatur, quàm natura ſit ferendo: etiam vi hujus peccati, à naturali & benignâ indole degenerare poteſt, & aliis concurrentibus humoribus tenacitatem viſcoſitatem, acredinem, ſalſedinem, & acorem induere. Cùm itaque provida, multumque cor-poris humani conſervationi intenta natura, totius, aut ſaltem partium, nobiliorum œconomiam ſartam, tectamque con-ſervare conetur, ſuperfluos & degeneres humores ad partes minùs nobiles, & à nobilioribus quammaximè diſtantes a-mandat: quod circa æquinoctia vernalia & autumnalia, aut ſolſtitia, maximè hyemalia, contingere ſolet, propter tem-

Natura providentia.

porum

porum analogiam, quæ macrocoſmum inter & microcoſmum intercedit, viſceraque naturalia & vitalia interna, utpote hepar, lienem, renes, cor, pulmones, cerebrum, ab ejusmodi ſuperfluis & malè affectis humoribus liberat. Cùm autem virtus, in nonnullis ſubjectis debilior, non ſufficiat, ut peccantes in corpore humores per poros, aut alias à natura aſſignatas vias, exturbari poſſint; ad remotiores à corde partes transferuntur, unà cum ſanguine, naturali partium nutrimento; ubi, ob diuturniorem moram, aceſcunt, craſſeſcunt, &, ſolvendo partium unitatem, intolerabiles ferè dolores inferunt; ut jam ſuperiùs diximus.

Secundò paroxysmi hujus dolores, ſolâ articulorum, partiúmque extremarum, ab externis injuriis introductâ, vel naturaliter, & à ſemine parentum acquiſitâ debilitate, ſtatis temporibus recrudeſcere & affligere poſſunt. Nam homines in juventute, aut virili ætate, multum frigus, aut alias incommoditates, enervandi potentiam habentes, perpeſſi, omnem etiam inconſtantioris notæ auram notant, & hinc etiam dolores in iis partibus generantur, defluentibus nimirùm humoribus ad partes debilitatas. Sicuti enim mutationes, & alterationes, in macrocoſmo contingunt: ita etiam in microcoſmo, teſtante id Hippocrate, *libris de aëre, aquis, & locis*, ubi non ſemel, ſed bis, affirmat, Aſtrologiam non minimam partem conferre ad rem Medicam, ſed omninò plurimam; cùm unà cum temporibus & ventriculi in hominibus mutentur &c. quod idem confirmatur *aphor. 15. lib. 1.*

Secunda ratio ab externa, vel hæreditaria cauſa deſumitur.

Tertiò, non rarò etiam paroxysmorum recursûs excitantur ab eſu quorundam ferculorum inſalubrium, & largiore vini potu: quod ipſum ego non rarò, oculatus teſtis, vidi. Vidi, inquam, quòd comedentes de carpione cocto immediatè in graviſſimos podagræ dolores; apud alios, ex anatum anſerúmque eſu obortos, notavi. Atque ita hoc hominum genus

Certi cibi dolorem pariunt.

nus ad libitum ſibi podagram procurare poterit, comedendo nimirum cibos, humores excrementitios non modò generantes, ſed & aliorum vitioſorum humorum, jam tum corpus inhabitantium, fluxibilitatem procurantes; qui, dum ad extremas deveniunt partes, & nec per ſenſibilem, nec inſenſibilem tranſpirationem evacuari poſſunt, dolorem articulorum promovent.

Quæres: utrum intentiſſimi doloris articularis cauſas ſemper ad manifeſtarum qualitatum exceſſum referre debeamus, aut poſſimus? Reſpondeo negativè: quia virus aliquando occultum tantæ malignitatis eſt, ut dolores inferat inexplicabiles. Quod videtur agnoviſſe Avicenna, dum *fen. 12. tract. 2. cap. 5.* ait, *arthritidis ſpeciem quandam eſſe, cujus materia adeo acuta, & maligna eſt, ut, ſi aliquando animi irati impetu exacerbetur, ſubitâ morte homini necando ſufficiat.* Ad hæc ipſe Gal. teſte Cratone, *conſilio 235.* ait, *Theriacam, & Mithridatium, podagricis prodeſſe*, non aliâ, dubio procul, de causâ, quàm quòd materiæ podagricæ obtundat malignitatem, teſte Schenekio, *obſerv. 123.* Sic etiam, ob virulentiam, & contagioſam qualitatem, ut alii maligni & contagioſi morbi, per veſtes, lectos, calceamenta, de ſubjecto in ſubjectum transfertur podagra: quod infinitis propemodum exemplis, quæ in Urbe ſaltem Iglavienſi evenerunt, teſtari poſſem. Ob cujus rei certitudinem mos invaluit, ut demortuorum podagricorum relictæ viduæ illorum amoveant lectos, ne novi ſucceſſores mariti juvenes priorum tuſſiculatorum podagræ hæredes fiant.

Cauſa doloris vel manifeſta eſt, vel occulta.

An dolor articularis curabilis ſit, vel incurabilis.

Multi hactenus eximiæ notæ, ſummæque prudentiæ viri, de articularis doloris curabilitate & incurabilitate, multùm diſputaverunt, firmiſſimè pro hac ſtantes ſententiâ, podagram totaliter, & ex fundamento, curari non poſſe: hac perſvaſi & inducti ratione, quòd maximi podagrâ decumbentes Monarchæ,

chæ ab ea planè liberari non potuerint; cùm tamen nec ſumptibus pepercerint, nec minimum eorum omiſerint, quæ ad plenam hujus mali curationem facere creduntur. Hiſce tamen non obſtantibus, veriſſimum, & clariſſimum eſt, hunc morbum, conſideratâ ejus ideâ, causâ proximâ, & remotâ, in ſua ſpecie, non eſſe incurabilem abſolutè; eò, quòd plurimos, hac affectione afflictos, omninò liberatos fuiſſe, teſtentur hiſtoriæ. Sic Agrippam, & Sex. Pompejum, interioris Hiſpaniæ principem, in ultima annorum ſuorum ſerie, feliciſſimo cum ſucceſſu à podagra fuiſſe liberatos, accepimus. Hic enim, ſvaſu cujusdam Medici, repetitis vicibus, in aceto pedes lavando, evaſit: alter, quòd affectos pedes, usque ad genua, tritico immiſiſſet, ita à podagra vindicatus fuit, ut ne minimo deinde podagræ dolore vexatus, integerrimæ vitæ & valetudini ſuperſtes diutiſſimè fuerit. Plurimi item, integros annorum decursûs, à vino & Venere abſtinentes, amiſſum articulorum robur tam integrè recuperarunt, ut ne veſtigia quidem podagræ, atrociter ante graſſantis, remanſerint. Sic Pechius, bonæ familiæ, in Italia, Eques podagricus, per inſidias, ab inimico ſtructas, ſubdolè ad carceres tractus, & per aliquot in iis annos peſſimè tractatus, tandem, per Gallorum, in illam arcem, in qua captivus aſſervabatur, irruentium interventionem, luci & libertati fuit redditus; & immunis quidem ab omnibus doloribus podagricis.

Agrippa & Pompejus curati.

Pechius à Podagra liberatus.

Similis omninò caſus, referente Schenckio, contigit cum Luca Keslin, qui, ſummis deliciis affluens, in duriſſimos podagræ compedes incidit, talem membrorum contrahens torporem, ut à duobus ſemper bajulis portari opus habuerit. Quibus miſeriis diutius affligentibus, eò miſeriarum redactus eſt, ut ad ſtipem rogandam devenerit, &, æris defectu, frequenti humectationi aſſvetæ linguæ, pro vino, continuus aquæ potus in refrigerium ſucceſſerit; ſed eâ felicitate, ut podagræ,

Lucas Keslin Podagrâ evaſit.

ob rigidiorem tractationem, viſum fuerit, ex miſeris Keslini pedibus ad delicatiores migrare, ut eò mollius tractari poſſet: quod lætante Keslinio feliciter ſucceſſit. Hinc clarum eſt, podagram eſſe genuinam Bacchi prolem, & nunquam ferè, niſi quis à parentibus in hæreditatem acceperit, aut per contagium contraxerit, pauperum ingredi caſas, juxta illud Poëtæ:

Podagra Bacchi proles.

Diva beatorum domitrix, inopésque peroſa,
Quæ lautè vitam ducere ubique ſoles:
Et gaudes reſidens alienis invida plantis,
Stant unguenta tuis textáque ſerta comis:
Et larga Auſonii te oblectant pocula Bacchi,
Quorum pauperibus copia nulla domi eſt.
Ergo inopum meritò ſcrupos, loca & aſpera vitas,
Divitis in pedibus ſed, bene culta, ſedes.

Curationis difficultas ex triplici cauſa: vel Medici.

Quòd autem affectus utplurimùm curatu ſit difficilis, id triplici plerumque de causâ accidit: primo, Medici, ideam & cauſam morbi non bene agnoſcentis; &, ſi agnoſcat, medicamentorum appropriatorum defectu laborantis: quæ nimirum, in deperditis viribus, totum corpus penetrare, & extremas partes immutata attingere poſſint; quibus ſi deſtituatur Medicus, palam eſt, parum, vel nihil, efficere poſſe.

Secunda affectorum diſſimulatio.

Secundò, patientes in principio podagræ (dum adhuc curabilis eſſet, exiſtentibus nimirum extremis partibus viribus integris, naturâ necdum aſſvetâ, ad extremas partes moleſtam humorum ſarcinam deponere) diverſis prætextibus artificioſè ſciunt morbum palliare. Nullus vult fateri, ſe habere podagram. Pedes dolent, articuli puncturas ſentiunt: quid porro? calceamenta, ob anguſtiam prementia, accuſantur. Creſcente adhuc dolore, diſſimulant; ut difficiliorem ingreſſum excuſent, ajunt, ſe aut talum extorſiſſe, aut in exercitatione aliqua majorem pedis digitum in lapidem impegiſſe:

pegiſſe: quod dicterium tam diu durat, usque dum affectus altiores radices egerit, & eo detenti, per hebdomadas, molli in lecto jaceant: ubi tandem neceſſe eſt, fateri, gratioſam eſſe podagram. Sic principia, quibus obſtandum erat, negliguntur, podagra ferocior & pertinacior evadit, & hinc curatu adeò difficilis eſt, ut podagra incurabilitatis nomen obtinuerit.

Tertiò, cùm, edicente ſic divino Hippocrate, *aphoriſmorum primo, non ſufficiat, ut ſuum Medicus faciat, ſed & æger, officium, & miniſtri ſuum:* hinc ſæpe contingit, ut patientes Medicorum præſcriptionibus non obtemperent, nolentes vitam vivere miſeram, ut ajunt, ob parcam diætam; & quòd medicè vivere, ſit miſerè vive. Comedam exclamant, quod ſapit; patiar, quod poſſum. Interim omne anile conſilium & auxilium, neſcio ex qua Orbis plaga allatum, aut è rancido aliquo angulo productum, ambabus manibus, quaſi Panaceam à Jove ſibi ſubmiſſam, amplectuntur; poſt habendo medicinas, à viro ſcientiâ & experientiâ cultiſſimo præſcriptas; neſcio quâ phantaſiâ inducti. Quin & dicere audiuntur ad ſuos, ejusdem tribûs, ſodales: Ah! quam bonum & efficax, ab iſta bona domina, mihi datum eſt medicamentum leniens dolorem: cùm tamen, vix duobus menſibus elapſis, ejusmodi medicamentorum genere, eò miſeriarum devenerinr, ut tophos acquirant, & digiti incurvari incipiant. Tertia ægrorum inobedientia.

Hîc quæritur: cur omnium omninò, quoquò verſum te verteris, conſenſu, podagra, ſeu morbus articularis, pro morbo incurabili proclametur; cùm tamen plurimi, hiſce temporibus, Alchymiſtæ, Panaceas univerſales præparent, quæ adverſus omne morborum genus infallibiliter adhibentur? Reſpondeo: non jam nobis de cacophraſteis illis carboniperdis & ſufflonibus eſſe quæſtionem, quibus, ſummo artis cum dedecore, hodie Medici titulus tribuitur; cùm tamen Cur Podagra dicatur incurabilis.

non magis ſint Medici, quàm Cacodæmon Apoſtolus; eò quòd, omnium mendaciorum parentis, Diaboli, veſtigiis inſiſtentes, univerſalibus ſuis chymericis medicinis mundum, decipi volentem, ſolemniſſimè decipiant. Inter quos à nonnullis famoſiſſimus olim Paracelſus, cum ſuis aſſeclis, reputatur; cui malè, ut ajunt, aſſcribitur, quòd graviorum morborum myriades paſſim, veluti falce demetendo, ut ait Helmontius, Herculis clavâ trucidaverit, ſanando lepram, aſthma, podagram, & reliquos incurabiles morbos. Quia*teſtatur Illuſtriſſimus (ſic in hiſtoria, ante multos annos propriâ manu ſcriptâ, inveni) Dominus Bertholdus à Leipa Baro, & Regni Bohemiæ olim Mareſchallus, de Paracelſo, quòd, cùm parens ejus podagrâ laborâſſet, ex Helvetia Paracelſum acceſſiverit, qui ſic ægrum ſanaſſe fertur, *ut totum arthriticum, peractâ curâ, reliquerit, continuoq́ lecto affixerit; cùm ante curam inchoatam liberè obambularet.* Paulò poſt idem Bertholdus altero oculorum affligi leviter cepit, quem ita ſanaſſe refert idem, *ut iſto impoſterum oculo uti nunquam potuerit.* Habetur & in eadem hiſtoria curationum Paracelſi, quòd tormina conjugis Joannis à Szerotin, Baroniſſæ, ita depulerit, ut eâdem, qua curam inchoaverat, die, eam, epilepſiâ ſubintrante, ex hoc mundo, ad campos Elyſios migrare fecerit. *Hinc ergo* (ſunt verba Illuſtriſſimi Bertholdi) *patet, Paracelſum experimenta per mortes duxiſſe: hunc per turbith minerale; alios per nigros globulus ex Mercurio; alios per coralliorum & margaritarum eſſentias, animam exhalare feciſſe.* Hinc ergo clarum evadit, Chymicis univerſalibus non eſſe fidendum: quia doctiores, & veræ, ſumméque venerandæ Chymiæ periti viri, ſummo labore, ſcientiâ, & experientiâ elaboratas medicinas nunquam vendunt pro univerſalibus; licèt iis, in certis morbis, pro ſecretis utantur. De hiſce, *in quæſtione de Panacea,* agemus: hic ſufficiat, negaſſe, dare medicamenta univerſalia, quæ omnibus omnino

Paracelſus Padagram non curavit.

Chymici Univerſales fugiendi.

Univerſale pharmacum non datur.

omninò ſubjectis, omnibúsque, ſine diſcrimine, morbis adhiberi poſſint; maxime podagræ, toties varianti, quoties variatur ſubjectum.

Quæres: utrum Fœminæ, juxta *aphoriſ. 29, lib. 6.* huic affectui non ſubjiciantur? Cui quæſtioni ſatisfacio, dicendo: hunc aphorismum pro noſtris non valere temporibus: quibus tanta copia madidarum ſororum datur, ut multis in locis viros longè ſuperent. Hinc, non immeritò, Seneca in mulieres luxuriâ diffluentes maximè invehitur, eásque pedibus ægras eſſe docet. *Non enim,* inquit, *mutata fœminarum natura, ſed vita eſt; & quùm virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt.* Et paulò pòſt. *Non mirandum eſt maximum Medicorum, & naturæ peritiſſimum* (Hipp. intelligit) *in mendacio deprehendi, quum tot fœminæ podagricæ, calvaq́, ſint. Beneficium ſexûs ſuis vitiis perdiderunt, &, quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus.*

Cur Fœminæ Podagrâ laborent.

Secunda quæſtio: Utrum conſultum ſit, homines hoc morbo afflictos priſtinæ ſanitati, præſidiis medicis, reſtituere? Hîc etiam diverſi diverſas propugnantes ſententias inveniuntur. Alii volunt, quòd hoc conamen naturæ viſcera, naturalia nimirùm & vitalia, ab excrementis liberet, ad extremas partes ea detrudendo; unde etiam natum vult Eraſtus illud: *podagricos longioris eſſe vitæ.* Dum enim principes partes (à quarum vigore noſtrum bene vivere dependet) noxios humores à ſe ad pedes depellunt, robur ſuum arguunt; cui naturæ, bene operanti, contrarium moliri, eſt naturam, quæ aliàs nihil fruſtra facit, invertere, & illi ſe opponere. Ad hæc, ſi, morbum curando, ab extremis partibus materia morbifica retrahatur, neceſſariò ad alias nobiliores partem illam delabi, ac periculoſiores excitare morbos, neceſſum eſt.

An Podagrici curandi?

Quòd Medici officium.

Verùm, hæc in contrarium adducta, parvi ſunt momenti: ſiquidem prudentis & periti Medici officium requirit, ut,

cognito morbo, ejúsque causâ, non ſolùm materiam peccantem evacuet, ſed etiam viſcera interna, humoris peccantis productiva, ita roboret, ne novi deinceps generentur: quod faciendo, nequaquam naturæ contrariamur; quin imò eidem inſufficienti auxiliamur. Denique non revocatur aut repellitur materia peccans ad partes nobiliores, neque ea, à prudentibus Medicis, articulis impingitur: verùm reſolvitur, reſoluta expellitur, &, quoad fieri commodè poteſt, extrahitur.

Licet morbus articularis, juxta jam allata, curatu ſit difficillimus; nihilo tamen minus, experientiâ & authoritate graviſſimorum & doctiſſimorum virorum, edocemur, omnes in hoc affectu occurrentes arduitates diligenti medicinarum, ad affectum facientium, exhibitione, competentique rerum ſex non naturalium adminiſtratione, aut ex integro ſuperatas, aut tamen ita perfractas fuiſſe, ut rariſſimè & mitiſſimè articulos afflixerit. Ut ergo partes, hoc morbo affligi ſolitas, quantum poſſibile eſt, præſervemus, quatuor facienda nobis occurrunt. Primò, ut corpus à gravante humorum excrementitiorum ſarcinâ liberemus, evacuando ſalſos, ſeroſos, & tartareos humores, antequam malignitatem contrahant: præparando item humores viſcoſos, tenaces: quibus, per congrua remedia, præparatis, nova ſuccedat evacuatio; quæ toties repetenda, usque dum corpus à ſaburrâ peccante ſatis mundatum notemus.

In præſervatione quatuor facienda.

Primò.

Secundò. Secundò, omni ſtudio præcavendum eſt, ne, evacuatis vitioſis humoribus, dolores atrociſſimos inferentibus, novi generentur, & cumulentur.

Tertiò. Tertiò, ſummis viribus in id incumbendum eſt, ut dolores, ſæviùs articulos affligentes, per congrua remediorum genera, quantum per artis induſtriam fieri poteſt, citò mitigentur & auferantur.

Quartò

Quartò denique diligenter deſudandum, ut partes, dolorum vehementiâ debilitatæ, in tantum roborentur, ut humoribus ad ſe defluentibus ſint reſiſtendo. Quartò.

Ut hiſce igitur indicationibus ſatisfiat, præ omnibus, bona & temperata requiritur diæta, utpote remedium in hoc affectu adeò præſtans, ut, efficacius inveniri poſſe, nullâ ratione perſvadear. Sicuti enim, per nimiam cibi & potûs ingeſtionem, omnium cruditatum matrem, omnes vitioſi humores corpus ſubintrant: ita per moderatam eſculentorum & potulentorum ſumptionem, tenuémque victûs rationem, omnem materiæ peccantis generationem impedimus, corpúsque ſubintrandi viam occludimus. Cùm itaque moderata diæta multoties ab hoc præcaveat malo, ad illam, tanquam legitimam rerum ſex non naturalium adminiſtrationem complectentem, & uſum, nos conferemus: quia hæ, ritè uſurpatæ, bonam corporis conſtitutionem ſervant, & amiſſam reſtituunt. Unde Gal. *cap. 86. art. parvæ*: cauſas ſanitatis conſervatrices nominat. Bona diæta.

Exordium igitur ab Aëre facimus, dicimúsque, hunc debere eſſe moderatum, nec caliditate, nec frigiditate, nec etiam humiditate excedentem: quia nimia caliditas dolorem auget, alliciendo & attrahendo ad ſe humores; quibus attractis, major ſolutio unitatis oritur; ortâ majore ſolutione, major ponitur dolor, ob mutuam partes inter, & cauſas morbificas, actionem. Hinc aër ſit purus, non craſſus, non fœtidus, non nebuloſus, non pluvioſus, aut fumoſus; nec hypocauſta in hyeme nimium ferveant: quia hic calor humores, in corpore habitantes, colliquat, & fluxibilitatem procurat. Nimis frigidus aër, utpote membranoſo nervoſoque generi ſummè inimicus, non modò dolores articulares generat, poros occludendo, & tranſudationem humoribus præpediendo: ſed facit etiam, ut humores, exitum non habentes, ad Qualis aër.

debili-

debilitatas partes defluant. Hinc ſit moderatus, in frigiditate, aër, corporaque ab aëris frigidioris injuriis muniantur.

Aër humidus. Humidus aër, cane pejùs & angue fugiatur, quia utplurimùm noxius: humectat enim corpora, humores auget, catarrhos & defluxiones promovet, &, per conſequens, articulares dolores generat: unde videndum, ut nimia humiditas arte corrigatur.

Siccus. Siccus aër plerumque utilis eſt, eò quod humoribus exorbitantibus non facilè calcar addat: quin imò ſuâ interventione abſumit, abſumendo minuit, minuendo dolorem tollit, & ſic utilis eſt.

Aëri ſuccedunt Alimenta, ut cibus & potus, quorum uſus, in hoc affectu, tantum poteſt, ut, ſi æger temperatam vixerit vitam, facilè atrocem hunc hoſtem profligaverit: ſi verò intemperans, vinoſus, ventri, gulæque deditus fuerit, neglectâ in cibo & potu ſobrietate; neque purgatione, neque ſanguinis miſſione, neque aliis remediis, huic malo aliàs convenientiſſimis, adjuvabitur.

Temperatæ vitæ effectus.

Cibi regula. Quare cibi ſint boni ſucci, facilis concoctionis, nec qualitate peccantes, id eſt tales, qui ex natura ſua malum ſanguinem generent: nec quantitate excedentes, nec multa excrementa generantes, ne vires opprimant, & obſtructiones pariant.

Victus attenuans. Galenus hanc victûs rationem attenuantem ita commendat, ut, *lib. de attenuante victûs ratione*, aſſerat, ſe multos articulari morbo afflictos eâ curraſſe. Si plures aſſumantur cibi, quàm viſcera concoctioni præfecta ſint ferendo, aut alia aſſumantur, antequam priori menſâ aſſumpta ſint concocta, vel ſuperbatur; concoctiones impediuntur, cruditates malique ſucci cumulantur, & hinc juſtæ intemperantis vitæ pœnæ, morbi nimirum, ſubſequuntur, & quàm maxime dolores articulares.

Hac

Hac etiam de cauſa, multum ad ſanitatis promotionem facit nunquam ſatiari cibis, ſed taliter à prandio recedere, ut notetur adhuc locellus vacuus: ut ſemel, in ſeptimana, cœnæ parcatur, atque ita natura tempus lucretur, omnia, in ventriculo & viſceribus contenta, concoquendi: ut ciborum varietas vitetur: quia multa fercula multos faciunt morbos: & ex ferculis variis, alia facilè, alia difficulter concoquuntur. Si itaquè ſolida ante mollia, aut liquida aſſumantur, hæc putreſcunt, & in peregrinum, ob expeditam, quam admittunt, concoctionem, ſuccum abeunt, antequam ſolida coquantur; hinc illa perdendo, iſta morborum myriades generant. Nunquam ſatiari cibis.

Neceſſe quoque eſt, ut inter prandium, & cœnam, nulla nec potûs, nec cibi, intercedat ſumptio: item, ut veſperi parcè cœnetur, aut prorſus abſtineatur.

Inter carnes, caſtratorum animalium, utpote ſvaviores, concoctúque faciliores, meliúſque nutrientes, approbantur illæ, cujuſmodi ſunt vitulorum, hœdorum &c. Econtra, menſam non videant carnes concoctu difficiles, craſſi, lenti, viſcoſique nutrimenti: ut ſuum, boum, hircorum, vervecum ſenum, reliquæque omnes, quæ ſale conditæ, & fumo induratæ ſunt. Quales carnes.

Ex volatilibus, tam domeſticis, quàm ſylveſtribus, in uſum veniunt, quæcunque inculpabilem ſanguinem præbent, ut pullorum, gallinarum, caponum, perdicum, turdorum, phaſianorum, pipionum, attagenarum, merularum, omniumque avium, quæ montes incolunt; minimè verò carnes anſerum, anatum, & reliquarum avium, paluſtria & aquoſa loca amantium.

Ex piſcibus, omnes ſaxatiles, cum moderamine, in uſum venire poſſunt: ut trutæ, funduli, gobiones, lucii, percæ &c. Proſcribes autem à menſa anguillas & carpiones, tam recentes, quàm ſale conditos, & fumo induratos: ſicuti & omne Piſces.

 piſcium

piſcium genus, quod aquas ſtagnantes & paludinoſas inhabitat; quia ſanguinem crudum, aquoſum & indigeſtum præbent. Denique, pro humorum qualitate, victûs ratio, in quolibet ſubjecto contraria, inſtitui debet: quò prudenti Medico ſemper reſpiciendum.

Potûs obſervatio.

Quoad Potum, magnâ opus eſt mortificatione, præſertim circa vinum copioſiore tartaro imprægnatum: qualia ſunt Moravica, &, ex parte, Auſtriaca. Antiquum, nimiumque generoſum, ſumma corpori damna infert; teſtante Fuchſio, qui dicit: nihil in rerum natura inveniri, quod podagram magis excitet, quàm antiquum & potens vinum, jejuno præſertim ſtomacho hauſtum. Præterquam enim, quòd, magna cum pernicie, nervoſam ſubſtantiam afficiat, & exhauriat, reddit etiam articulos imbecilles, ut humores (qui in primis viis aliàs adhuc manerent) diffluentes aptiùs faciliúsque admittant; quos dum digerere nequeunt, articularem morbum accelerant. Unde rectè dixit Poëta:

Ut Venus enervat vires; ſic copia vini:
Et tentat greſſûs, debilitátque pedes.

Moderatus vini potus.

Hinc circa vinum moderatè procedendum, ne nervi nimio potu enerventur: & tale vinum eligatur, quod nec nimis juvene, nec nimis antiquum eſt; nec nimis debile, nec nimis generoſum: mediocriter aſtringens: tantúmque aſſumatur, quantum ad ventriculi robur ſuſtentandum ſufficit.

Cereviſiæ electio.

Quæritur, quidnam bibendum, in præſervatione à podagra? Reſpondetur: cereviſiam albam, vel etiam hordeaceam, ex aqua fontana ſcaturiente paratam, beneque defecatam, & non nimis lupulatam, omni potui eſſe præferendam: quæ adhuc multò erit ſalubrior, ubi aliquid de baccis lauri, meliſsâ, iva arthetica, chamedry, rore marino, ligno nephritico, cereviſiæ fermentanti in nodulo addiderimus.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. fontan.* ℔iiij *vel v.* Aqua cocta,
Cui immitte *ſacchar. albiſſ.* ℥ij *vel* ℥iiß.
Cinnam. acutiſſ. ʒiij *vel* ℥ß.
Cort. citri recent. exterior. unius pomi,
granor maſtic. ℈j. Coq. per horæ quadrantem,
ſucci citri recenter expreſſ. ℥j.
ſpir. vitrioli q. ſ. pro aliquali aciditate

Signetur aqua pro potu ordinario; de qua bibatur, quantum placet. Hæc aqua ventriculo & hepati maximè conducit, poſsètque penes vinum, extra paroxysmum, bibi, maximè in æſtate. Sin hæc non placeret, accipi poterit ſequens:

℞. *Cinnam. opt.* ℥j.

Aqua Cinnamomi. Craſſiuſculè confracto, & ollæ mundiſſimæ impoſito, affunde aquæ bullientis menſuram unam & dimidiam, in olla bene tecta: frigeſcat aqua; cui deinde addantur *ſacchari albiſſ.* ℥ij. Coletur, addendo *ſpir. Vitrioli*, aut *ſucci Citri* recenter expreſſi q. ſ. Miſce pro potu ordinario.

Exercitium. Exercitium, inter res non naturales, tertium locum obtinens, ſit mediocre, ad præcautionem dolorum articularium, ut calor vitalis & naturalis actuetur: quod ante cibum, teſtante Galeno, *primo de ſanitate tuendâ*, inſtituendum eſt: diligentèrque cavendum, ne juſto ſit concitatius, & ad defatigationem usque ſubſtantiam exhaurientem, muſculorum, nervorum, & vinculorum robur diſſolventem, quæ deinde, refrigerando, articulorum imbecillitati occaſionem præbent, continuetur.

Sumpto prandio, vel cœnâ, ſtandum, & moderatè, inter ſvaviſſimas amicorum converſationes, obambulandum eſt, ut cibus, in prandio, aut cœnâ ſumptus, ventriculi fundum petat, & ſic concoctionem, in eo loco potiſſimè fieri ſolitam, ſubeat.

Quies. Hîc notandum, quòd, uti exercitium, & commotio, modum excedens, obeſt; ſic etiam deſes & ſedentaria vita graviſſimorum malorum cauſa exiſtat. Nimirum calor non excitatur, concoctio, ob altiùs ſopitum calorem, eô, quô deberet, non peragitur modo: hinc cruditates, & copioſorum excrementorum generatio originem ſumit, fluxiones ad partes debilitatas fiunt, corpus totum languidum infirmúmque redditur: ut veriſſimum ſit, quod Ovidius, de Otio, canit:

Ignavum corrumpunt otia corpus.

Hinc corpori competens exercitium, obambulando, equitando, curru pergendo, pila, pyramidibúsque ludendo, non denegetur.

Somnus & vigiliæ, modum excedentes, malum ſunt, ſecundum *aphoriſ. 3. ſect. 2.* ***Quia omne nimium naturæ eſt inimicum.***

Somnus & Vigiliæ. Secundò ſomnus immodicus ſenſûs & motûs privationes corporibus inducit, morbos, ob caloris oppreſſionem & ſuffocationem, producit frigidos. Vigiliæ immodicæ calorem, aliquando fluxionem concitant ad articulos, eos debilitando, & dolores inferendo.

An ſomnus meridianus noceat. Hîc quæritur: num ſomnus meridianus noceat? Reſpondetur quidem, ex *epiſtolarum Cratonis 21. pomeridianum tam parum nocere, quàm nocturnus noceat: quia idem ventriculus in prandio cibis repletur, qui in cœna: idem eſt cerebrum in prandio, quod eſt poſt cœnam: eadem ſomni cauſa.* Si ergo nocturnus non nocet, etiam pomeridianus non nocebit, præſertim ſi conſvetudo dormiendi fuerit: quia *conſvetudini aliquid dandum eſt*; juxta *aphoriſ. 17. lib. 1.* maximè verò ſi ſomnus unâ ſaltem & dimidiâ, poſt ſumptum prandium, contingat hora.

In aſſvetis nocet. Non aſſvetis tamen ſomnus pomeridianus omninò tutus non videtur; quia, à ſomno meridiano reſurgentes, ſingulariter tædioſi notantur, ob cerebrum à vaporibus repletum: ob quam repletionem catarrhi excitantur, reſolutis nimirum, in aqueum

aqueum humorem, vaporibus: & hinc defluxiones ad articulos fiunt, morbique frigidi oriuntur, ut paralyſes, apoplexiæ, &c.

Sit itaque ſomnus moderatus, & potiùs nocturnus, vires reficiens, ſeptem vel octo horas non excedens.

Quintum locum ſibi vendicant excreta & retenta. Opus nimirum eſt, ut illa quotidie excernantur, per vias à natura aſſignatas, quæ ex cibo & potu aſſumpto, in coctionibus, manſere ſuperflua, ut per alvum, urinam, ſudorem, ſcreatum, emunctiones narium. Id enim niſi fiat, magnæ alterationes, & morbi, corporibus eveniunt: unde diligenter attendendum, ut hæ quotidie fiant evacuationes; ſi non naturaliter, arte natura adjuvetur. Excreta & retenta.

Nimia nocet evacuatio, adeoque attendendum, ut aſſumptis correſpondeat; & ſint talia, *qualia evauari oportet: hoc enim confert*, juxta *aphoriſ. 2. lib. 1. contrario eveniente nocet*; quia ſanguinem v. g. evacuare, in quo naturæ robur ſubſiſtit, corpori obeſt, ob virium diſpendium inde futurum. Nimia evacuatio nocet.

Sextum ſibi locum capiunt animi pathemata, quæ ſunt motus morales, inſignem corpus mutandi & alterandi potentiam habentes. Hæ commotiones, plus æquo concitatæ, articulorum promovent dolorem; qualis ira præceps, quæ non modò ſanguinem ſuo fervore accendit, ſed etiam excrementitios humores fluidos reddit; qui, ad partes debiliores delati, dolores excitant, Sic de reliquis animi paſſionibus discurrendum. Animi paſſiones.

Inſtitutâ igitur rectâ vitæ regulâ, attentaque ſobrietate, quæ plurimum cùm ad curationem, tum præſervationem facit, ad ſuperius dictarum indicationum executionem transgrediamur. Hæ in applicatione medicamentorum, ad pertinaciſſimi hujus affectus eradicationem, conſiſtunt; quorum pars urgentibus doloribus (utpote reſolventia, evacuantia) Curatio in evacuatione.

pars extra paroyſmum, circa æquinoctia & ſolſtitia, maximè hyemalia, adhiberi debet: ut humores, dolorem articularem facturi, ſubtrahantur, & ita paroxyſmi inſtantes aut omnino præcaveantur; aut, ſubtractâ materiâ, minùs moleſti & cruciabiles ſentiantur. Initium ergo curæ facientes, à primarum viarum evacuatione incipiamus, quam ſequenti pulviſculo inchoare poterimus:

Pulvis purgans.

℞. *Cremor. tartar. ℈ij gr. v.*
pul. Comit. Warvvich gr. vj.
diagrid. ſulphurat. gr. iiij.
gialap. gr. ij.
ol. aniſi gt. ij.
mac. gt. i. Miſce

Signetur pulvis, pro una doſi, ex aliquot juſculi calidi cochlearibus manè, jejuno ſtomacho, aſſumendus. Hîc advertendum, quòd hujus, uti & omnium purgantium, ſive in pilulis, ſive in potionibus exhibendorum, doſis augeri & minui debeat, juxta corporum majorem, vel minorem movendi facilitatem.

Si verò pulviſculum nauſearet patiens, & pilulas minori cum nauſea capere poſſet, de ſequentibus, pro naturarum conſtitutione, plures aut pauciores exhiberi poſſent:

Pilulæ antipodagricæ.

℞. *Etract. panchymag. Crollii ℈j.*
hellebor. nigr. gr. xv.
magiſt. tartar. vitriolat.
gialap. an. ℈i gr. v.
Mercurii dulcificat. gr. xv.
turbith mineral. gr. v.
theriac. veter. gr. xvi. Miſce.

Fiant Pilulæ ad piſorum majorum magnitudinem, inauratæ dentur in pulvere fœniculi, aut cinnamomi. Signentur. De his pilulis manè, jejuno ventriculo, poſſunt 5. 7. vel 9, unâ vice, aſſu-

aſſumi; idque alternis diebus, bis vel tèr continuando, usque dum primæ viæ à nimio humorum excrementitiorum infarctu ſufficienter liberatæ judicentur.

Si verò & pulviſculus jam ordinatus, & pilulæ, nauſearentur, ſequens Potiuncula, etiam inſigniter humores peccantes, altiúsque radicatos, è remotioribus viis evocans, adhiberi poterit:

Potio laxans.

℞. *Aq. laxativ. ordin.* ℥ij.
el. de tamarind. ℥ij. *vel* ʒiij.
diacartham ʒiß *vel* ʒij.
aq. cinnam. ℥ij aut. q. ſ. pro aromatiſatione: detur, ſignando: potio laxativa, unâ vice, manè tepidè aſſumenda.

Ubi primæ viæ ſufficienter à nimio infarctu fuerint liberatæ, ad medicamenta reſolventia transgredi oportet; quæ nequaquam è vulgari decoctorum penu ſunt accipienda: quia potior eorum vis & nervus, in ventriculo, per coctionem, digeritur, ita, ut nullam, in partibus, attenuandi & reſolvendi potentiam habeant, in quibus ſuam in agendo deberent exercere. Hinc ſummè eſt neceſſarium, ut talia eligantur, quorum vis in primis ſtatim viis alterari non poteſt. Quia morbus articularis ejusmodi eſt naturæ, ut non modò ab excrementis primæ coctionis ſuam mutuetur materiam, ſed etjam à ſecundæ & tertiæ (quæ in quavis parte alendâ contingit) ſuperfluitatibus: uti jam ſuperius fuſiùs eſt demonſtratum. Quapropter ad ſales volatiles, acidos, tanquam ad ſacram anchoram, confugiendum; quia nullum, teſte Schrödero, contrarium fermentum in corpore inveniunt, à cujus potentia priùs arte immutari poſſint, quàm ad extremas usque partes deveniant; in quibus ſuam agendi potentiam exercentes, tam ſecundæ, quàm tertiæ concoctionis ſuperfluitates, partim per urinam, partim per inſenſibilem transſpirationem, ſecum rapiunt.

Reſolventia medicamenta.

Sales volatiles.

Huic

Huic ergo noſtræ intentioni nobiliſſimè inſervit *ſal viperinum;* cujus ego admirandas, non rarò, virtutes, ob feliciſſimum, penes infirmos, ſucceſſum, cum admiratione, expertus ſum. Cujus uſum, adhibendíque modum, ab expertiſſimo Viro, Doctore Schrödero, didici, qui ſal viperinum, *lib. 5. Pharmac. Medic. Chymic. cap. 37. ſequenti modo deſcribit: Sic ſal fixatum medicamentum eſt immutabile, totum corpus permeans. Reſolvit enim excrementa quacunque, eáque abſtergit inſtar ſaponis, ubicunque locorum adhæſerint non aſſimilata, ut facilè & commodè à materia repellantur; vel per ſudorem, inſenſibilem tranſpirationem, aut, quod plerumque fieri ſolet, per urinam excernantur. Propterea in melancholia quacunque, podagra, in renum ac veſicæ calculo, obſtructionibus viſcerum omnibus, ac putredine, præſentiſſimum eſt remedium. In deperditis viribus pertingit ad loca affecta, naturam confortat & adjuvat, reſolvendo excrementa naturæ contraria.*

Sal Viperinum: ejus vires.

Per diligentem hujus nunquam ſatis laudati ſalis uſum, multi à podagra liberati, priſtinis fuerunt redditi viribus.

Sal Viperinum à Podagra liberat.

Adhibetur autem, evacuatâ primâ corporis regione, quotidie, per aliquot ſaltem tempus, manè, jejuno ſtomacho, ex duobus, vel tribus, juſculi caponis, vel vini calidi, ſaccharo bene edulcorati, cochlearibus. Poteſt etiam veſperi, duabus, poſt parcam cœnam, horis, cum jam dictis vehiculis aſſumi.

Quoties adhibendum.

Hîc notandum, fieri nullo modo poſſe, ut hoc ſal ter, vel quater, in tam exigua quantitate aſſumptum, adeò copioſam & viſcoſam materiam, in diverſis corporis partibus morantem, tam citò reſolvere, evacuare, & diſſipare poſſit: quia non eſt medicamentum vehemens, aut venenatum. Hinc opus eſt, ut plurimos dies continuetur, maximè tempore vernali, & autumnali, iiſque temporibus, quibus dolores articulares hoc, vel illud ſubjectum excruciare ſolent.

Notan-

Notandum, ſecundò, aliqua inveniri ſubjecta valetudinaria, in quibus tanta humorum excrementitiorum copia datur, ut, niſi per congrua artis remedia tempeſtivè ſuccurratur, iis citiùs obruantur, quàm natura evincat. Unum ſubjectum impurius altero.

Notandum, tertiò, non eſſe ſatis, præparantia & reſolventia adhibere medicamenta, ſed expellentibus quoque & purgantibus opus eſſe, ut excrementa, per reſolventia diſpoſita, ex corpore educantur. Cui intentioni ſatisfaciunt vomitoria, materiam craſſam, viſcoſam, biliosſam, & circa ventriculum, hepar, lienémque reſidentem, evacuantia, quæ vere, & autumno, quin etiam quovis anni quadrante, propter majorem ſecuritatem, ſummo cum fructu, adhiberi poſſunt. Diſpoſitâ materiâ purgandũ.

Inter vomitiva autem omnium ſecuriſſima ſunt, primò *tartarus emeticus Mynſichti, ſect. 1. de medicam. chymic. fol. 13.* deſcriptis. Cujus uſum, in morbis diuturnis, multúmque confirmatis, & præſertim in morbo articulari, tam præſtantem & efficacem deprehendi, ut, ejus exhibitione, ingentem quandoque materiæ bilioſæ, flaveſcentis, vireſcentis, viſcoſæ, & indigeſtæ copiam evacuaverim, cum tanto ægrorum levamine & tolerantia, ut multis temporibus non modò à podagra liberati, verùm etiam clementiores paroxyſmos perpeſſi, liberiùs reſpiraverint, longéque meliùs in omnibus ſeſe habuerint. Vomitiva.

Secundò, *pulvis emeticus correctus, Doctoris Zvvelferi*, cujus parandi modus extat *Mantiſſæ Spagyricæ parte 2. cap. 8. fol. 363.* Hunc pulviſculum, magnâ hactenus utilitate, in vehiculis competentibus, propinavi, educendo, abſque omni moleſtiâ & difficultate, abſurdiſſima, & fœtidiſſima ſuccorum pravorum genera, quæ circa ventriculum, hepar, & lienem, atque in venis meſaraicis, aceſcentia, miras afflictiones corporibus attulerant. Hanc evacuationem moderatam eſſe oportet, & ideò ſæpius repetendam, ne vires, ſub humorum perverſorum cumulo languentes, à medicamenti Pulvis Emeticus Zvvelferi.

violentiâ magis debilitentur, & corporum ſtatus in pejorem abeat.

Hic pulviſculus, teſte *Zwelfero*, in Appendice ſuâ, ad Animadverſiones, *fol.76* adeò eſt ſecurus, ut etiam infantulis, in competenti doſi, exhiberi poſſit. Doſis à granis quindecim, ad ſcrupulum unum, in adultis, ſe extendit: quæ grana unciis duabus, vel tribus, vini ferventis infuſa, per noctem manent. Quod vinum manè, à ſubſidente pulvere clarum decantari aut filtrari debet, pulvere in fundo remanente. Hæc doſis, pro ſubjectorum varietate, variari debet, propinando nimirùm facilè vomentibus minus; difficulter vomentibus plus: viginti tamen duo grana non excedendo.

Multorum timiditas reprænenditur.

Hîc obſervandum, quòd plurimi Neotericorum Medicorum vomitum non adeò libenter, ob alterationes in eo fieri ſolitas, ut anguſtias, ſudorem, &c. moveant: cùm tamen Antiquitas non modò vomitum ferè omni evacuationi prætulerit, ſed etiam feliciſſimo cum ſucceſſu adminiſtraverit. Hinc Hipp. *4. aphoriſ. 4.* æſtate jubet per ſuperiora purgare: quia, in æſtate, corpora, bile ſurſum vergente, abundant; unde cibi faſtidium, & ſtomachi morſus, & tenebricoſa vertigo, in ore amaritudo; quæ, teſte Hipp. *aphoriſ. 17. lib. 4.* per ſuperiora evacuationem indicant. Quia, jubente Hipp. *aphor. 21. lib. 1 eò eſt natura ducenda, quò maximè vergit:* in hoc paſſu ſurſum vergit, adeoque per os ducenda. Item *aphoriſ. 18. lib. 4 quicunq; ſupra ſeptum transverſum dolores purgatione egent, per ſuperiora purgandi.* Ad hæc, humores per vomitum expurgantur facilè ex ventriculo, hepate & liene; tum ratione ſui, tum ratione loci, in quo ſubſiſtunt, tum ratione naturæ, quâ ſurſum vergunt. Unde fit, ut non rarò ex his locis craſſiſſimi, contumaciſſimi, inſtar carnis prunorum Damaſcenorum, nigerrimi, ſatiſque viſcoſi, alîis medicamentis copioſè, ſed fruſtra adhibitis, fuerint expurgati, tollendo diuturnorum, altiúſque radicatorum mor-

Quò natura vergit, eò ducenda.

morborum cauſas. Hoc mihi, præter alios, cum Patre quodam Societatis Jeſu eximio contigit, cui, datis quibuscunque medicinis, tam digerentibus, quàm evacuantibus, per ſat longum temporis decurſum, preſſuras pectorales pellere haud potui: adeoque ad pulveris emetici, bis repetiti, virtutem recurrens, feliciſſimè rem expedivi, educendo, per vomitum, magnam, primâ vice, humorum bilioſorum, flavorum, viridium, viſcoſorum; & alterâ vice, repetito pulviſculo emetico, ingentem materiæ nigræ, viſcoſæ & fœtentis copiam: ceſſante dein, poſt horum excrementorum evacuationem, dolore premente in pectore, qui ad medium ferè annum optimum Patrem priùs divexaverat.

Hoc eodem prorſus modo diu antè afflictum diversâ medicinarum exhibitione reſtitui Celſiſſimi Principis de Sultzbach Secretarium, quartanâ decumbentem, qui, poſt ſecundam tartari emetici exhibitionem, materiam nigram, coagulatam, magnitudine ovum columbinum referentem, evomuit: quâ ceſſante, ceſſavit quartana, nullo ampliùs propinato medicamento.

Obſervandum, ſecundò, etſi magno cum emolumento emeticorum exhibitio fiat, attendendum tamen cum cautione eſſe, ne hæc, vel illa, ſine omni diſcrimine, emetica offerantur: quia facilè vomentibus conveniunt; difficulter verò vomentibus obeſſe poſſunt: & ideò, jubente Hipp. *aphoriſ. 3. lib. 4.* non tentanda in iis, qui difficulter vomunt, aut à vomitu abhorrent: quia talibus non, niſi à vehementiſſimis cauſis, vomitus poteſt moveri; ideoque timendum, ne, violentiore pectoris motu, venula in pulmonibus rumpatur, ulcúsque, & conſequenter phthiſis, oriatur: quod, multis eveniſſe, teſtantur Obſervationes. Hácque de cauſa, phthiſici, aſthmatici, tuſſiculoſi, colici, apoſtemata interna, obſtructiones inveteratas, hepatis, lienis ſcirrhoſos tumores habentes, per

Emeticorū cautela.

vomitum non ſunt vacuandi; neque oculorum ægritudinem patientes: quia vomitiva oculis adeò nocent, ut quidam, ex uſu eorundem, continuam videndi imbecillitatem; quidam omnimodam cæcitatem contraxerint, ut doctiſſimus magni Hetruriæ Ducis Medicus, Vidus Vidius, in ſe expertus eſt.

Sumpto Emetico, quid fieri debeat.

Obſervandum, tertiò: quòd aſſumptis hiſce emeticis, poſt dimidiæ horæ ſpatium, debeant tria vel quatuor juſculi cochlearia aſſumi, ut vis emetica excitetur: quod poſtea toties reiterandum, quoties vomitus ſubſecutus fuerit: ut ita, concomitante vehiculo, peccantes, in viſceribus, humores eò faciliùs & meliùs evomantur.

Abſolutis iis, quæ circa reſolventium, præparantium, & vomitivorum uſum, exhibendique modum, monenda occurrerunt, ad evacuationem per alvum inſtituendam progredimur, ubi pulverum, pilularum, nodulorum, integræ ſeſe offerunt Officinæ. Aſt ego, omnem doctiſſimorum virorum medicamentis dando reſpectum, illa ſolummodò hîc propono, quæ mihi particulariter uſui eſſe ſolent.

Inter Pulveres mihi uſuales, ſequens primum locum obtinet:

Pulvis evacuans uſualis.

℞. *Fol. ſennæ mundat.*
rad. mechoac.
pæon. mar.
turpeth.
gialap.
cremor. tartar. an. ʒß.
maſtic. el.
lig. aloës, an. gr. xv.
Zzbr. alb.
pulver. Syrii an. gr. vi. Miſce.

Fiat, l. a. Pulvis: qui, in tres doſes æquales diviſus, ter in menſe, Lunâ decreſcente, ex vino aſſumi poterit, manè jejuno ſtomacho.

Do-

Doctiſſimus, ante me, Echinopolitanorum Archiater, Septalius, totidémque annorum podagricus, non tam aliis, quàm ſibi ipſi, ſequentem, tanquam ſpecialem, præbebat Pulverem, ſingulariter miasmata podagrica ſubtrahentem:

Alius Septalii.

℞. *Turpeth. el.*
hermodact.
fol. ſenn. el. an. ʒiij.
diagrid. præp. ℈ij.
corn. cerv. præp. gr. iij.
oſſ. de cord. cerv. gr. xv.
magarit. præp. gr. v. Miſce.

Fiat pulvis: quem divide in octo doſes æquales; de quibus, in ſingulos menſes, unus, ex vino Malvatico, vel Hiſpanico, aſſumatur, tempore matutino: hoc obſervando, quòd menſe frigidiſſimo, id eſt, in ipſo ſolſtitio hyemali, & ipſis Canicularibus, adhiberi non debeat; monente ſic Hipp. *aphoriſ. 5. lib. 4. quia ſub cane, & ante canem, difficiles ſunt purgationes,* ob languentes nimium vires.

Pilulis ſequentibus magnâ cum utilitate, & felicitate, hactenus uſus fui; quibus, ob feliciorem ſucceſſum, & ſpeciale commodum, podagricis præſtitum, nomen pilularum antipodagricarum indidi:

Pilulæ antipodagricæ.

℞. *Hermodact. recent.* ℥j.
agaric. albiſſ. ℥ß.
rad. gialap.
hellebor. nigr. an. ʒij.
aſar. ʒiiß.
cort. med. ſambuc.
ebul. an. ʒij.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥ß.
pulp. colocynth. ʒiß.

ex inciſis incidendis, & contuſis contundendis, fiat, beneficio

ſpiritûs vini, l. a. extractum ſpiſſum, cui adde

extract. aloës ſuccotr. ℥iij.
helleb. nigr. ℥ij.
pæon.
lil. convall. an. ℥j.
ol. nuciſtæ expreſſ.
pulv. maciſticis, an. ℈j. Miſce.

Fiat Maſſa, ex qua formentur pilulæ, majorum piſorum inſtar; quæ, in pulvere cinnamomi, aut alio conveniente, dantur ad uſum. Harum pilularum quinque, ex uno ſcrupulo formatarum, exhibeantur manè; quæ doſis, pro ſubjectorum facili vel difficili commotione, variari poterit. Aſſumuntur, cum utilitate, aliquot, ante novilunium, diebus, conſequenter, manè, jejuno ſtomacho: aut veſperi, duabus, poſt parciſſimam cœnam, horis.

Pilulæ prunis malè induntur.

Hîc obſervandum, quòd pilulæ prunis, cerafis, aut aliis ejuſmodi involucris, involvi non debeant, eò quòd ſæpius, & ſine operatione, & digeſtione, integræ, per alvum reddantur.

Sequentes pilulæ, nullam proſus contrarietatem, in aſſumendo, habentes, cacochymicos humores, profundiùs in viſceribus hærentes, evocant, cum tolerantia, & magno commodo; quas celeberrimus Doctor, Marcus Marci, piiſſimæ memoriæ, ob inſignem operationis virtutem, pro ſecretiſſimis habuit.

℞. *Extract. hellebor. nigr.*
magiſt. ſcammon. an. ℥j.
granor. maſtic. gr. vij. Miſce.

Pilulæ D. Doct. Marci.

Fiant Pilulæ piſorum mediocrium adinſtar; de quibus ſeptem vel novem, unâ vice, manè, aſſumi poterunt.

Pilulis ſequentibus antipodagricis, toti ferè orbi notiſſimis, etiam, non ſine fructu, frequenter utimur; quas hîc non, ut ignotas, addo, ſed, ut quilibet, noſtrum laborem lecturus, videat, quæ addiderimus:

℞. *Ex-*

℞. *Extract. cochiar.* Pululæ antipodagricæ ordinariæ.
troch. alhand.
ſcammon. an. ℈iiß.
turpeth. ℈ij.
hellebor. nigr.
tartar Schröder. an. ℈j.
lign. aloës.
lil. conuall.
pæon. an. gr. v.
reſin. gialapp. gr. xv.
crem. tartar. ℈iß.
tartar. vitriolat. ℈j.
ſalis chamadr.
chamapyth.
veronic. an. gr. ix.
ol. ſuccini.
rut.
ſalv.
aniſ. an. gt. iiij. Miſce.

&, cum aquæ antepil. Lang. ſ. q. fiant Pilulæ; de quibus, tribus, ante novilunia, diebus ſolent, primâ die, tres; ſecundâ duæ; tertiâ una aſſumi. Aſt ego, primâ die quinque, manè, dare ſoleo; ſecundâ quatuor; tertiâ tres: quo procedendi modo, apud illos, quorum pedes adhuc non nimis podagrâ fracti, taliter profeci, ut in veritate dicere auſim, me, ad quatuor annos, immunes ſervâſſe viros, qui aliàs ad minimum annis ſingulis ſemel ex podagra decumbebant.

Nodulum, corpus humanum à nimio humorum peccantium infarctu liberantem, & ſequentem in modum paratum, non rarò, cum optato effectu, ordinavi:

℞. *Rad. artemis.* ℥ß. Nodulus.
ebul.

artic.

artic.
enul. an ℨij.
ireos noſt. ℨv.
mechoac.
ſcyll. præp. an. ℥ß.
aſar. cum tot. ℨiiß.
herb. marrub.
fragar. an M j.
ſoldanell.
gratiol. an. ℨiij.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥j.
flor. ſambuc.
cent. min. an. pi.
ſem. ebul. ℨij.
aniſ. ℨi.
Zedoar.
ZZbis, an. ℈ij.
cort. aurant. ver. ℈iij.
mann. granat. el. ℥ij. Miſce.

Stent infuſa in vini diuretici, non antiqui, & fortis, ſ. q. per diem & noctem, loco calido: deinde adhibeantur ſingulis, aut alternis matutinis, pro operationis varietate, unciæ tres, plures, aut pauciores, tepidè.

Venæ ſectio vernalis. Inter evacuantia medicamentá, venæſectioni, tanquam efficaciſſimo, in hoc affectu, remedio, tempore vernali & autumnali adhibendo, plurimum debetur, tam curationis, quàm præſervationis cauſsâ: quia, teſtante Galeno, *in comment. ad aphoris. 47. lib. 6.* & Celſo, *lib. 4. cap. ult.* multi, unicâ venæ ſectione per annum factâ; alii perpetuò incontaminatæ valetudini ita fuerunt reſtituti, ut nulla deinceps dolorum articularium indicia remanſerint, multóque minùs ipſos dolores: quod

quod de venæ ſectione, aptiſſimo planè tempore adminiſtratâ, intelligi velim. Nec dubium eſt, quin à potiſſimâ morborum ſerie corpora præſervari poſſint, ſi apto ſemper tempore gliſcens morbi cauſa notaretur, eidêmque congruo remediorum genere obviam iretur. Hinc diligenter tempeſtivéque adminiſtranda, tempore jam dicto, venæ ſectio, præſertim iis, qui ſanguine, & humoribus pravis abundant, atque huic actioni, aut potius evacuationi, aſſveverunt. Si ſanguis, ut cauſa principalis, peccet; quod rariſſimè contingit, & ego quidem, inter plurimos degens podagricos, nunquam adhuc obſervavi; mox vena brachii dextri aperienda erit; ſi verò ſanguis, ut cauſa coadjuvans, concurrat; primò ſaphena pedis ſani incidenda venit: quæ ſectio etiam repeti poterit. Nam *ſcio*, inquit Galenus, *lib. de curand. rat. per venæ ſectionem, coxendicum dolores, in una die, curatos, per hanc ex cruribus evacuationem:* quod ego intelligendum puto de morbo jamjam afflicturo: quod cognoſcitur ex prodromis, huic affectui propriis, & inſtantem prope dolorem prædocentibus. Aliàs in vena brachii dextri peragendam judico, maximè ubi ex conſvetudine, & plenioris evacuationis gratiâ, adhibetur. Si verò uterque pes affligeretur, & venæ-ſectio indicaretur, reliquis circumſtantiis permittentibus, deberet in dextro brachio adhiberi: ſi ſiniſter pes ſolus; in ſiniſtro brachio: jubente ſic Mercuriali, *de vitiis articulorum, cap. 3.*

Sanguinis miſſioni aſſvetis prodeſt.

Qualis vena.

Inter evacuantia medicamenta etiam extrahentia computantur; aut iis ſaltem immediatè annecti debent: inter quæ ſcarificationes, cum cucurbitulis, quæ humorem, in parte debilitatâ jam contentum, evacuantes, aut influentem intercipientes, tollunt, quò minùs, ad partes viribus fractas derivati, dolores excitare poſſint. Hinc omnino conſultum judico, ut quotlibet menſibus cucurbitulæ cum ſcarificatione partibus, dolori articulari obnoxiis, applicentur, humoresque,

Pharmaca extrahentia.

Scarificationes proſunt.

que, quocunque modo peccantes, evacuentur, ut ita, ſaburram podagricam ſubtrahendo, dolores præpediamus. Ipſe enim aliquando ſanguis, partibus pro nutrimento ſubmiſſus, ob debilitatam partium nutriendarum virtutem, applicari, & in ſubſtantiam tranſire non poteſt: hinc, initâ cum perverſis humoribus ſocietate, etiam ſanguis, ex natura ſua bonus à ſtatu naturali degenerat, & eodem, quô alii perverſi ſucci, modo cruciatûs doloroſos in articulis generat; quod, uti jam dixi, maturâ ſcarificatione impediri poteſt.

Objectio. Objicitur: ſi ſanguis, unà cum humoribus malignis, ex parte debilitatâ evacuetur per cucurbitulas, attrahetur nova materia: quia hæc actio extractione perficitur, quâ humor humorem trahit, uti annulus annulum in catena. Ad hæc, natura ibi locorum ordinariam exeundi viam quæret; quod valdè incommodum erit: imò, plenioribus, poſt ſcarificationes, paſſibus illuc, à natura ſtimulati, ruent humores, exitum quæſituri.

Reſponſio. Reſpondeo: materia, ex parte debilitatâ extracta, non ita copioſè defluit, ut tam ſubita ſit timenda repletio; quia guttatim colligitur: neque etiam natura aſſveſiet illuc ſe, ut exoneret; quia per congrua remedia partes principes, mandantes dictæ, debent roborari, ut tot non generent: viæ, per quas fit fluxio, ſunt coarctandæ: partes denique debilitatæ, recipientes dictæ, ſunt firmandæ, ne cuilibet defluenti humori hoſpitium præbeant. Hæc fiunt partim *ſale viperino*, jam antea ſat ſuperque deſcripto, partim ſequentibus, tam internis, quàm externis.

Hîc quæritur: num etiam diaphoreticis, in hujus affectionis curatione, ſit locus?

Diaphoretica proſunt. Reſpondeo: multos dari humores, qui per alias vias expelli non poſſunt, quàm ſudoribus, per cutis poros elicitis. Sudores enim corpus non modò liberant ab humoribus in circum-

cumferentia corporis, ex ultimâ digeſtione relictis; ſed etiam ex reliquis corporis partibus evocant; ut venis, arteriis, nervis &c. Multò ergo commodiùs ſudores evacuabunt humores articularem dolorem facientes, qui ſuam, in articulis, inſinuationem ex ultimâ alimenti digeſtione ſumpſerunt.

Inter reliqua ſudorem provocantia, in lecto, ſunt ſequentia, & à Schrödero, *in Pharmacopœja Medico-Chymica, lib. 3. cap. 17. pag. 427.* deſcripta.

Diaphoreticum noſtratibus uſuale.

℞. *Antimon. opt. nitr. pur. an. Exactè mixta calcinentur detonatione (ut in Croco metallorum vulg. dictum) ternâ vicè, ſeu donec detonationem ampliùs non admittat. Poſt ſingulas detonationes materiam edulcorare oportet, edulcoratúmque & exſiccatum denuò cum nitri an. miſcere. Tandem antimonium diaphoreticum candidiſſimum exſicca pro uſu: cujus antimonii granis xxv. adde*
ſalis nitri ℈j. *gr. v.* *Miſce,*

pro una doſi, & ſic pro aliis doſibus, quæ augeri & minui poſſunt, pro ſubjectorum conſtitutione facili, vel difficili. Aſſumitur veſperi, tribus, poſt leviſſimam cœnam, horis: quo ſumpto, tandem blandus ſubſequitur ſudor, qui nullum naturæ faceſſit laborem, nec ullam infert laſſitudinem. Ubi & hoc obſervandum, quòd circa ſecundam, vel tertiam, vel quartam matutinam, aliquot ſedes cauſare ſoleat.

Obſervandum ſecundò, ut, poſt hujus uſum, manè, circa ſeptimam, aliquot juſculi refectivi cochlearia aſſumantur. Vel

Potio ſudorifera.

℞. *Aq. card. benedict.*
ſcorzoner.

fumar. an. ℥j.
rob. ebuli.
theriac. an. ʒß.
antimonii diaphor. gr. v.
ſal. veronic.
card. bened.
cent. min. an. gr. iiij.
ſyrup. acred. citr. ʒvi.

Miſce: fiat potio ſudorifera, quæ augeri & minui poteſt, atquè dari, ut in lecto ſudetur; aut antequam balnea ſudorifera ingrediamur: de quibus paulò inferiùs agemus.

Circa ſudorem obſervatio.

Hîc notandum, ut diligenter attendamus, num vires ſudorem ferant: quia hoc remedium efficax vires requirit robuſtas.

Macilenti difficulter ſudant.

Secundò: bilioſi, calidi, & ſicci, minùs, & non diu, ferunt ſudorem. Tertiò: materia copioſa non patitur ſudoris provocationem. Metus enim eſt, ne humores, ad cutim delati, exigua ejus ſpiracula occludant, & ita putredinem vel gignant, vel etiam augeant. Quartò: omnium optimè ſudores ferunt, qui corporum ſunt obeſiorum. Quintò: nunquam præſtat ſudorem elicere ante univerſalem corporis purgationem; quia, cùm ſudor tenues tantùm humores evacuet, timendum, ne craſſi remaneant, & crudi, in venis contenti, in univerſum rapiantur corpus, multa inferendo incommoda: maximè verò articulares dolores ab his fieri ſolitos.

Balnea artificialia.

De balneorum, tam artificialium, quàm naturalium; humidorum, & ſiccorum, in doloribus articularibus, utilitate, vix condigna referre potero: quia non paucos, magnæ authoritatis, viros, omníſque alterius conditionis homines novi, qui aut annuo balneorum uſu naturalium, aut hebdomadariâ artificialium adhibitione, ſe non modò à doloribus articularibus liberarunt, & etiamnum liberant, & in annos præ-

præſervant: ſed etiam morbum abſolutè depulerunt; penes balneorum uſum, exquiſitum vitæ regimen obſervando. Novi ego viros, tophos in pedum digitis habentes, totos paralyticos ad thermas deportatos, qui deinde ſalvi & incolumes domum redierunt. Cùm autem omnibus balneorum naturalium, ut Teplicenſium, Carolinarum, Hirſchbergenſium, Wisbadenſium ad Rhenum, Badenſium in Auſtria &c. virtus ſat ſuperque conſtet: nos artificiales balneas faciendi, adhibendíque modum proponemus: quorum beneficio materia podagrica emolliri, & extrahi debet, partes confortando; quod tempore vernali, autumnali, quovis anni quadrante, imò ſingulis menſibus, fieri poteſt, peractâ prius purgatione, & venæſectione, in autumno ſaltem & vere: reliquis autem temporibus, liberatâ, per medicinas ſuperiùs dictas, primâ corporis regione, malo medebimur. Quo tempore balnea proſint.

Fiunt igitur hæc balnea ex herbis, lignis, floribus, baccis, articulos, totúmque corpus roborantibus, atque ſuccos vitioſos reſolventibus, evacuantibus v. g.

Species pro balneo.

℞. *Herb. majoran.*
menth. criſp.
artemiſ. cum tot. an. Miij.
origan.
ſerpill.
ſalviæ.
beton.
lavendul.
primul. veris, an. Mj.
flor. camomillæ Mij.
verbaſc.
roſ. ſylveſt.
hyperic.
ſambuc. an. Mj.

bacc. juniper. ℔iß.
laur. ℔ß.

Inciſa, & parum contuſa, dentur ad chartam, pro Balneo.

Qualiter ſpecies coquendæ.

Hîc notandum, quòd iſtæ herbæ citiùs non ſint coquendæ, quàm patiens ſit paratus ad balneum, ne fumus ex herbis evaporet, patientis articulis quàm maximè ſalutaris. Quare, ubi Patiens jam in balneo, ſudoribus eliciendis parato, fuerit, dimidiæ parti jam dictarum herbarum, vaſculo impoſitarum, ſufficiens quantitas aquæ ebullientis affundi poterit, ut ita vapores, ex herbis elevati, ſudorem provocent. Si aqua refrigeſceret ante ſudorem ſufficienter evocatum, igniti chalybis fragmentis ſæpius impoſitis, aqua ad fervorem, copioſumque vaporem cogatur. Ubi ſatis ſudaverit patiens, ad lectum calefactum ſe recipiat, in quo partes debiles ſequentibus oleis inungantur:

Articulorũ inunctio.

℞. *Ol. ſuccin. alb. ſtil.*
juniper.
lavend.
petra, an. quantum placet.

Mixtis his oleis partes debiles modicum inungi poterunt: quia hiſce virtus in partibus claudis & paralyticis excitatur, & priſtino vigori & flexibilitati redduntur partes.

Balneum Juniperinũ.

Tale balneum admirandarum virtutum nobis deſcribit Matthiolus, *lib. 1. cap. 87.* ubi ait: *Paratur, ex juniperino ligno, balneum admirabilis facultatis, ad podagricos dolores, hoc modo: Sumito ligni juniperini conciſi* ℔ *xij. coquito in aqua, in cortina magna, quoúsque tertia tantùm pars ſuperſit. Deinde decoctum, unà cum ligno, in labrum projicito: in hoc ubi deſcenderit æger, ſedeat umbilicotenus, & membra languida foveat. Hoc balneo nonnullos podagricos, in Bohemia, lectulo alioquin mancipatos, perpetuóque dolore vexatos, vidimus adeò revaluiſſe, ut, expeditiores facti, ad negotia redierint, quoquolibet ambulantes, juniperi & lauri, cujusque ſeptena bacca,*

na baccæ, addita caſſia lignea vulgaris drachma una ſemis, cinnamomi drachmam unam. Ubi tamen notandum, quòd ante uſum hujus balnei, quod ſæpius adhiberi poteſt, corpus ab humoribus excrementitiis priùs debeat mundari.

Poteſt etiam balneum ex herbis, floribus, lignis &c. pro inſeſſu, parari ſequenti modo:

℞. *Fol. quercûs,*
heder. arbor.
muſc. de prun. de ſylveſtr. an. Miij.
gland. abiet. ℔iß.

Inciſa dentur ad chartam: ſignentur: ſpecies pro balneo, in nova olla coquendæ. Vel

Aliæ ſpecies pro balneo.

℞. *Roriſmarin.*
lavendul.
majoran.
artemiſ.
hypericon.
meliſſ.
origan. an. Mij.
fl. chamomill.
primul. ver.
betonic. an. Mij.
bacc. juniper. ℥v.

Inciſa & contuſa coquantur ex ſuff. quant. aquæ: quam aquam, ſufficienter coctam, ad vas congruum, & ad inſeſſum aptatum, effunde, cui patiens inſideat ad umbilicum usque tam diu, quàm ſe eſſe ferendo judicaverit. Peracto balneo, lectum calidum, quieturus modicum, petat: ubi & membra oleis ſuperius dictis parum inungere poterit.

Abſolutis evacuantibus, & extrahentibus, proponemus illa, quæ dolorem leniunt, & partibus virtutem addunt, calorem

rem inſitum excitando. Ubi diligenter attendendum, ne, externa minùs circumſpectè adhibendo dolorem lenientia, materiam aut repellamus, aut materiam in partibus debilitatis hoſpitantem in tophum abire cogamus. Unde talia erunt adhibenda, quæ vel extrahendi, vel acrimoniam materiæ peccantis obtundendi, ſive annihilandi, aut etiam furibundum Archeum pacificandi potentiam habent. Quapropter pauca, eaque longo rerum uſu, ratione & experientiâ, à viris doctiſſimis comprobata, hic ſubjungimus:

Cautio in lenientibus.

Cataplasma leniens, dolorem.

℞. *Cretæ pulv.*
bol. Armen. an. ℥j.
pul. croc. Auſtr. ʒij.
vitell. ovor. numero iij.
album. ovor. num. ij.
bene conquaſſ.
panis tritic. ℥iß.
lact. recent. mulct. q. ſ.

Pro Cataplasmate efformando, in mortario ſaltem contundantur. Miſce, fiat l. a. Epithema, podagricis partibus imponendum, quod, evocando foràs humores, dolorem ſedat. Vel

℞. *Sem. cucurb. noſtr. excort.* ℥ij.

Contundatur opt. in mortario, cum ſ. q. lactis, ad pultis mollioris formam: adde

bol. Armen.
cret. pulv. an. ℥iß.
croc. pulv. ʒß.
vitell. ovor. num. v.
album. ovor. conquaſſ. num. iij.
panis triticei ℥iij.
alum. crud. ℥j. Miſce: &

Cataplasma aliud.

Cum

Cum ſ. q. *cremoris lactis* fiat Cataplaſma: applicetur partibus dolentibus. Si quis velit, poterit *camphoræ* ℨiij. in contuſione ſem. cucurbitæ addere. Hæc Cataplaſmata, telæ inducta, partibus applicantur, toties renovando, quoties exſiccantur. Ubi notandum, quòd diebus alternis renovari debeant, eò, quòd lac facilè aceſcat, &, ſic applicatum, mali cauſam augeat. Quoties renovetur Cataplasma.

Oleum ſeptem florum Minſichti, urgentibus nimium doloribus, non rarò, ſummo cum fructu, noſtratibus Echinopolitanis podagricis, quorum reverà magna eſt copia, adhibui, tenuiter articulos inungendo. Non minori cum ſucceſſu adhibui *Ungventum Timæi*, quod, *lib. 5. Epiſtol. 1. de præſervation. & curat. Arthritid. fol. 343.* deſcribit, ſequenti modo:

℞. *Sal. marin. in furn. exſicc.*
& ſubtiliſſ. in marmor. trit. ℥iij.
ol. lumbric. terreſtr.
vulpin.
adipis human. an. ℥j.
ol. coſtin.
nardin. an. ℥ß.
deſt. ſalviæ.
rorismar.
majoran. an. gt. xv.

Miſce: fiat linimentum molle: detur in fictili. Hoc linimento modicum articulos dolentes inunguntur, tam durante, quàm ceſſante paroxyſmo: prodeſtque hîc confortando; ibi dolorem leniendo.

Non minori cum fructu, pauperum podagricorum pedes & articulos, dum acerbiſſimè cum doloribus arthriticis colluctarentur, urinâ humanâ foveri juſſi: tela nimirum ſubtiliſſima madefacta dolentibus articulis applicata, dolorem mitigavit & ſuſtulit: quod vi ſalis ſui volatilis, quo copiosè imprægnata Urina humana.

Ooo eſt,

eſt, facit; quod ita penetrat,ut quamcunq; materiam reſolvat. Unde podagricorum articuli quotidiè urinâ foveri poterunt, curationis & præſervationis gratiâ; relinquendo v. g. pedes, per mediam horam, in urina calida. Sedat etiam, inter reliqua topica, *phlegma urinæ*, quod in ſpiritûs deſtillatione ſecundùm prodit, dolores articulares. Inter externa remedia etiam illud computatur oleum, quod deſtillatione, per retortam, ex oſſibus humanis conficitur: quia, teſte Schrödero, *lib. 5. Pharmac. Chymic. fol. 31. potenter diſcutit, mitigat, & anodynum eſt inſigne antipodagricum.* Non minoris item virtutis & efficaciæ eſt oleum ranarum, à Stokero, *lib. 1. cap. 58.* Praxeos deſcriptum.

Oleum oſſiũ humanorũ.

Magnarum etiam virium ſequens ſemper emplaſtrum fuit:

Emplaſtr. Antipodagricum.

℞. *Emplaſt. diachyl. ſimpl.* ℥x.
diaphoret. Minſicht. ℥v.

diſſoluta miſce, addendo

pul. ſuccin. citrin. ℥j.

Miſce: fiat, l. a. emplaſtrum, quod, telæ craſſiori inductum, parti dolenti applicatur, tam diu relinquendo, usque dum dolor evaneſcat, aut emplaſtrum ſponte decidat. Hoc ego emplaſtro plurimos hactenus ita juvi, ut, primo ingruente dolore, aut omnino acerbiores impediverim; aut, duorum dierum ſpatio, ferociores dolores fugaverim. Quem eundem mecum effectum doctiſſimus Cuttenbergenſium Medicus, Erythræi, non raró expertus eſt: qui hoc emplaſtro, ob inſignem, qua pollet, virtutem, tanquam ſecreto utitur.

Dantur etiam infinita fermè remedia, quæ, intro aſſumpta, doloris acerbitatem non modò leniunt, ſed etiam prorſus auferunt; partim humores reſolvendo; partim auferendo, & novorum humorum fluxionem inhibendo, atque robur partibus debilitatis adjiciendo: quibus nos ſuperſedentes, ea

ſaltem

ſaltem attingimus, quæ, quotidianâ hactenus experientiâ edocti, ad rem noſtram eſſe ſumus experti. Inter quæ, *ſal viperinum* omnibus ferè palmam eripuit; cujus *in ſuperioribus* jam *capitibus*, tam ſolemnem fecimus mentionem, ut hîc locorum ejus recordatione libenter & neceſſariò ſuperſedeamus: pauca tamen ſequentia monentes, ut ſæpius, & ſine intermiſſione, per aliquod ſaltem tempus continuetur, obſervando, ut jam ſuperius dictum, debitam ſalis proportionem, factâ comparatione cum materiæ peccantis & reſolvendæ copia. Impoſſibile enim eſt, ut unica ſalis viperini uncia uncias plures humorum altè partibus inhærentium reſolvat: nam obſtructiones, à paucis quandoque humoribus factas, reſerare, tam ardui & diuturni eſt laboris, ut doctiſſimo Viro, meo olim, Crumlovii Bohemorum, Collega honorandiſſimo, Andrea de Volckshoven, edicente, reſerandis pertinaciſſimis obſtructionibus, vix annus, ſtrenuè deſudando, ſufficiat. Quare ejuſmodi medicamentorum genere pertinacior morbi cauſa ſæpius impetenda; juxta illud Poëtæ: Sal Viperinum.

Gutta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpè cadendo:
Sic homo fit ſanus, non vi, ſed ſæpè iterando.

usq; dum, reiteratis toties congrui medicamenti aſſumptionibus, reſolvantur & educantur humores in corpore peccantes. Obſtructiones tollere, arduum eſt.

Hîc notandum, quòd, in diuturno hoc labore, quilibet ferè Medicorum, etiam doctiſſimus, longaque rerum experientiâ & obſervatione cultiſſimus, in tales plerumque nominis ſui dilacerationes & diſpendia incidat, ut ſæpius, poſt annuos labores, pro rudi, indocto, peſſimóque proclametur, & vendatur: atque Patientes, inveteratiſſimis, pertinaciſſimiſque obſtructionibus detenti, præ nimia impatientia, ordinarium ſuum mutent Medicum, implorando Juvenum, vix ſcholarum limites egreſſorum, auxilia, aut etiam (quo nihil ſub ſole nec turpius, nec abominabilius invenitur) ad circumforaneo- Levitas quorundam hominum.

 rum,

rum, & planè vetularum demurmurationes, amuleta, periammata ſuperſtitioſa, tanquam ad ſacram anchoram, confugiendo: & ubi tales, in fine evacuationis, à viro doctiſſimo, per longum temporis decurſum, factæ ſuperveniunt, ſuccedente valetudine, non tantùm plenis marſupiis, laudibus infinitis, litteris & atteſtationibus, cum majoris ſigilli appenſione, recedunt: ſed etiam pro ipſo venduntur Æſculapio; cùm tamen non plus operæ & auxilii contulerint, quàm pulex Patientis dorſum, ſuo ſaltu, excrucians.

Intrinſecis medicamentis, mirâ virtute dolorem articularem mitigantibus, humores peccantes auferentibus, obſtructiones reſerantibus, & partibus debilitatis robur addentibus, illud ego adjungo, quo hactenus, doloribus articularibus graviùs divexatis, non rarò ſuccurri, quod conficitur ex radicibus *artemiſiæ* (de qua doctiſſimus Crato dicit, quòd cibis, adinſtar *radicis petroſelini*, incocta multos ab articulorum dolore liberaverit) *ſcorzoneræ*, *cichorii*, *petroſelini*, *Chinæ*, *de lumbricis terreſtribus*, ſequenti modo:

Sententia Cratonis.

℞. *Rad. artemiſ.*
ſcorzoner.
cichor.
petroſel. an. ℥ß.
lumbric. terreſt. ter vino diligenter lotorum, deinde parum contuſorum, num. iij.

Decoctum Caponis.

Coque cùm quarta parte *caponis*, ætate duos annos non excedentis, usque dum caro ab oſſibus decidat: effunde juſculi hujus, adhuc ebullientis, ad alteram ollulam mundiſſimam uncias circiter decem, cui juſculo, quaſi adhuc ebullienti, infunde

Chinæ raſinos. & in tenuiſſimas taleolas conciſ. ℥j. *vel* ℥iß.

tegendo ollulam, ut ne quidem fumus exire poſſit, totaque nocte,

noꝺe, in loco calido relinquendo; manè, factâ unicâ ebullitione, colaturæ adde parum *ſalis marini coagulati, v. g. gr. v. florum mac. gr. iij.* detur Patienti pro una doſi, & hoc per quatuor ſeptimanas continuas.

Ubi obſervandum, quòd hæc cura univerſalem corporis evacuationem prærequirat. Notatur primò.

Secundò: ut, ſeptem dies aſſumpto juſculo, octavâ die leni medicamento corpus purgetur, quò humores peccantes, ad evacuationem, per hoc decoctum, diſpoſiti evacuentur. Secundò.

Hoc juſculo, ex jam prædictis ſpeciebus parato, plurimis, ut jam dixi, ſolatio & auxilio non modo ego fui, ſed etiam doctiſſimus Renodæus, Pariſienſium Medicus, qui hunc procedendi modum non modò mihi particulariter commendavit, ſed etiam aliis commodando, plurimum ſe profeciſſe fatetur. Ad hæc, *China* hoc modo propinata, teſte celeberrimo quondam Nicolao de Monardis, Hiſpalenſi Medico, in ſuo, *de China*, capite, ad varios morbos utilis eſt, quia *luem Veneream, cujuscunque generis vulnera & ulcera antiqua curat, tumores ſcirrhoſos diſcutit, articulorum dolorem ſolvit, & qualemcunque podagram, coxendicis præſertim, tollit, inveteratos capitis & ſtomachi dolores mitigat, defluxiones omnes ſiſtit, bonum colorem conciliat, icterum ſolvit, omnémque hepatis intemperiem emendat, ad quam valde celebratur; paralyſim, & omnes nervorum morbos ſanat, atque veſicæ, frigidis omnibus morbis, & melancholicis, medetur; ventriculum roborat, & omnes flatûs diſcutit, febribus diuturnis quotidianis, & erraticis prodeſt, ſudoris inſigni provocatione: quam etiam in peſtilentibus febribus utilem quidam arbitrantur.* Vires radicis Chinæ.

Laudana opiata, diligenter riteque præparata, ad doloris mitigationem etiam non parum faciunt; maximè ubi, ob dolorum vehementiam, vigiliæ modum exceſſerint: quia non ſolùm languentibus ſomnum ferunt, ſed etiam humorum fluxionem ſiſtunt. Talia ſunt *laudanum opiatum Zvvelferi*, in Laudani Opiati vis.

Pharmacopœa Regia, deſcriptum fol.82. *electuarium mitigativum, ſeu anodynum*, fol.185. de quo veſperi, ad ingreſſum lecti, drachma una & dimidia, vel drachmæ duæ capi poſſunt: vel pilulæ ſequentes etiam cum fructu capiuntur.

Electuariũ mitigativũ.

Pilulæ Anodynæ.

℞. *Myrrh. rub. ſel.* ℥ij.
extract. croc.
laudan. opiat. an. ℈ß.

Cum *balſamo Peruviano* miſce: fiant pilulæ numero XXXX deauratæ dentur, ſignando, de his pilulis, alternis diebus, noctu, horâ ſomni, numero quatuor aſſumantur, nihil ampliùs ſupra bibendo, quæ placidum inducent ſomnum, doloresque nimium urgentes ſedabunt.

Hîc quæritur: utrum in doloribus podagricis etiam ſit locus clyſteribus; quia hactenus eorum nullam audivimus mentionem? Reſpondeo affirmativè: quia Hipp. *3. aphoriſ. lib. 1.* de evacuationibus ritè inſtituendis, ait: *Corpora ſi quis purgare voluerit, ea fluxilia faciat, oportet*: inteſtinorum majorum nimiam obſtructionem & infarctum clyſteria commodiſſimè tollunt; ſicque omnem facilitant evacuationem, adeóque, ſummo cum fructu, articulari morbo colluctantibus adhibentur.

Enematum commendatio.

Secundò *clyſteres in coxendicum, ſupernarúmque partium, malis efficaces ſunt*, dicente ſic doctiſſimo Bruele, *de curatione morbi articularis: quia revellunt, placidoq; calore, qui membris ab oleis communicatur, refocillari contingit partes languentes.*

Enemata partes confortant.

Tertiò requiritur, ut alvus, morbo articulari decumbentium, ſegnior arte ſolvatur quotidiè; quod commodiùs haud fieri poterit, quàm enematibus, craſſa inteſtina, ut dictum eſt, exonerantibus: quibus exoneratis, excrementa in tenuioribus retenta, ad majora deſcendunt, cum inſigni afflictarum partium refocillatione. Quia flatûs, per inteſtina, exitum, ob materiæ impedientis copiam, non habentes, totum oberrant

Flatûs retentio.

rant corpus, fluxiones faciendo, & dolorem augendo; docente ſic Divino Hippocrate, *lib. de flatibus*.

Obſervandum hîc, quòd vehementes, in ipſo paroxysmo, clyſteres locum non habeant: quia lenitionis, & non purgationis causâ injiciuntur. Secundò fortes, nimis potenter, à partibus remotioribus trahendo, poſſunt fluxionem ad partes afflictas, ſicque dolorem promovere: adeóque emollientibus, leniterque alvum ſubducentibus quieſcendum v. g. Fortes clyſteres nocent.

Enema.

℞. *Decoct. emoll. & carminat.* ℥x.
mel. roſ. ſimpl. ℥ij.
ol. chamomill. ℥j.
amygd. dulc.
butyr. recent. an. ℥ß.

Miſce: fiat enema, unâ vice injiciendum.

Enema ſecundum.

℞. *Juris carnium, cum*
flor. chamomil. Mj.
parat. ℥x.
mel. roſat. ſimpl. ℥iiß.
ol. com. ℥ß.
ſalis com. ʒiij.

Miſce: fiat enema, unâ vice injiciendum.

Hoc clyſteriorum genus citò, tutò, & jucundè operatur, multa excrementa ſubducendo, & levamen toti corpori afflicto adferendo.

Abſoluto paroxysmo, & doloribus jam ablatis, poterunt etiam partibus debilitatis tam externa, quàm interna adhiberi medicamenta. Inter externa eſt *Emplaſtrum nervinum*, ſequenti modo paratum:

Emplaſtrũ nervinum.

℞. *Terebinth. clar. odorat.* ℥iij.
in qua liquefiat
pulv. gum. ſagapen.
tacamahac.
anim. an. ℥j.

his

his exactè unitis adde

ceræ nov. odorat. flav. ℥iiß.
colophon. clar. ℥j.

Miſce: fiat l. a. Emplaſtrum, quod alutæ caninæ, aut telæ inductum, debilitatis articulis applicatur; quos confortat, ſuperfluos in iis humores attenuando, diſſipando, & evocando: adeoque nonnunquam deponendum, ut, ab humoribus, per poros extractis, mundetur.

Qualiter, abſoluto paroxyſmo, per balnea artificialia, naturalia, ſudores, inunctiones, pedes, & articuli, confortari debeant, auferendo fermentum podagricum, ſuperiùs ſat fusè dictum eſt. Interiora confortantia non modò articulos debilitatos, verùm & viſcera concoctionibus præfecta, morbi diuturnitate mirum in modum debilitata, nimirum ventriculus, hepar, lien, &c. eò ſpectare debent, ut competenter confortentur, calor in iis excitetur, ne, ob jam dictarum partium languorem, mala ſequatur concoctio; concoctionem malam, nova perverſorum humorum collectio; collectionem, novi dolores.

Cur viſcera per interna confortanda?

Huic igitur intentioni ſatisfaciunt diverſa medicamenta, *tum electuaria, & mixturæ pretioſæ; tum pulveres, ſeu tragea, & ſpiritûs; ut confectio alkermes, tragea groſſa cephalica Zvvelferi, cum, vel ſine moſcho & ambra, in Pharmacopœa Regia, fol.126.* deſcripta: *morſuli* ejusdem, *fol. 125. in eadem Pharmacopœa* deſcripti: *morſuli Imperatoris Auguſtanæ, tinctura proprietatis Minſichti,* in Theſauro Medico-Chymico, *fol. 47.* deſcripta: *oleum, ſeu ſpiritus perlarum ver.* qui ſummum, à Schrödero, *lib. 3. fol. 30.* ſecretum in podagra dicitur.

Ego, magnâ cum utilitate, magno cuidam viro ſequentem ordinavi Tragæam:

℞. *Sacchar. albiſſ.* ℥x.

Tragæa confortans.

Solvatur in ſ. q. decocti *radicum pimpinellæ* clarificati, & ad juſtam

ſtam conſiſtentiam tabulati coquatur: cui ab igne remoto, & competenter refrigerato, adde

Ambræ gryſ. ver. minutim contritæ ℈iß.

ſolvendo in

ol. cinnamom. opt. ℈iiß.

Debitè omnia commiſcendo, pulveriſentur, reponendo ad vitrum: ſignentur: de hac tragea pretioſa, cum particula panis albi aſſati, & optimo vino denuò emolliti, quovis die duos vel tres cultri mucrones, manè, & horâ quartâ poſt prandium, accipi poterunt. Plura alia hîc addi poſſent, verùm, cùm doctiſſimorum virorum libri iis abundent, ſufficiat hîc ſaltem ea attigiſſe, quæ nobis particularia fuerunt. Ex quibus prudens Medicus ea ſeligere poterit, quæ patienti quàm-maximè profutura cognoverit; partim juxta naturalem ejus conſtitutionem; partim juxta cauſam morbificam.

Univerſale morbi articularis remedium, hiſce temporibus, miris laudibus, ſchola Medica deprædicat: *lactis* nimirum uſum: cujus opportunâ exhibitione plurimi, qui aliis medicamentorum, aliàs in hoc affectu efficaciſſimorum, generibus juvari non potuerunt, integræ fuerunt reſtituti membrorum ſaluti. Alii è contrà, intempeſtivo, & non ſatis præmeditato, lactis uſu, ante tempus, fatis conceſſerunt: qui nimirum, non ſufficienter expurgatis è corpore vitioſis humoribus, & reſeratis obſtructionibus, lac ſumpſerunt: apud quos concrevit, & coagulatum eſt, genus venoſum obſtruendo, cloacam humorum peccantium augendo; quâ prævalente vires exolutæ fuêre, ſubintrante, ut jam dictum, morte. Quare lac, ſummâ cautelâ, & non, niſi ſufficienter evacuatâ perverſorum humorum cloacâ, & reſeratis pertinaciſſimis obſtructionibus, ad divinum penitùs medicamentum procedendum. Quia *lac* non in omni arthritide convenit; partim ob rationes jam allatas; partim quia non omnibus, ob nauſean-

Uſus lactis.

Lac non omnibus prodeſt.

Bene purgatis lac conducit.

 tem

tem ventriculum, lac conducit: quibus ſi illud violenter intruderemus, magis eos læderemus, quàm juvaremus. De quibus fuſiùs, & de induſtria, tractantes videre Authores quilibet poterit. Horum præſidiorum uſu Medicus facilè ſuum aſſequetur intentum, ſi æger, & aſſiſtentes, ex parte Medici erunt. Æger igitur, ut Medico abſolutè obtemperet, neceſſe eſt: aliàs, ut docet Hipp. *lib. de flatibus*, mortem ſibi adſciſcet. Aſſidentes verò, ut ſint fideles & periti, requiritur; quò omnia ritè proponere & adminiſtrare valeant, juxta prudentis Medici præſcriptiones. In hiſce verò, quia miniſtri & ægri, obtemperare nolentes, plurimum peccant, etiam pauciſſimi curantur. Unde pulcherrimè Aretæus, de podagricorum intemperantia, ait: *ſi diſcrimen evaſerint ægri, tanquam ab inferis elapſi, laxiorem vitam degunt, incontinentes, otioſi, avari, & in victu molles, ac delicati: idcirco verò tanquam mortem rurſus ſubituri, licentiosè præſenti vitâ fruuntur.*

Æger obedire debet.

Cur pauci à Podagra curentur.

Unico ut dicam verbo, totus Orbis congruâ, in rebus ſex non-naturalibus ſubſiſtente, diætâ præſtantius, in arthritide, remedium non habet: quam ſi quis induſtriè obſervaverit, à morbo articulari ſe tuebitur, &, ſemel curatus, non facilè recidivam patietur. Hanc, cùm ex millibus vix unus obſervet, etiam pauciſſimi ab hoc malo liberantur.

Optimum Podagræ remedium.

CAPUT II.

De Paſſione Colica.

DOloribus Arthriticis ad Lydium veritatis lapidem, capite præcedenti, probè diſcuſſis, alios nunc, prioribus longè crudeliores, hominiquè magis fatales, in præſentem diſceptationem advocamus. Illi ab ea humani corporis parte, quam noxiè afficiunt, inteſtino videlicet colo, ſuum ſortiuntur nomen, paſſimque *dolores Colici* nuncupantur.

Quàm

Quàm verò efferati atque immanes ſint, haud obſcurè ex Amato Luſitano licet colligere, qui, *Curat. medicinal. centur. 3. curat. 38.* tam crudè horridequè ægros ab iis quandoque torqueri aſſerit, ut, ſui velut impotes, eodem conſiſtere loco nequeant, imo, tanquam inſani, aut, ex doloris vehementioris impatientia, in rabiem acti, incedant, nec raró, ſuccumbente tantis cruciatibus naturâ, tandem vitam cum morte penitùs commutent. Cum verò experientiâ uſuquè validiſſimis teſtibus conſtet, colicam, in Marcomannia noſtra, ſuam, in Incolas, tyrannidé nimis quàm frequenter exerere, Marcomannósque, ob ſpecialem eſculentorum & potulentorũ ſementem, iis à terræ fermento impreſſam, ſæpius & vehementiùs, quàm vellent, colicis doloribus infeſtari; idcirco, ut publicæ totius Marcomanniæ ſaluti, pro muneris mei ratione, conſulam, accuratam, *de Colica paſſione*, diſſertationem inſtituere, ejúsque naturam, cauſas, ſigna, malósque effectûs haud levi brachio excutere, ac tandem proficuam tum præſervandi, tum medendi methodum adnectere decrevi.

Colici doloris crudelitas.

Principium diſſertationis à natura paſſionis colicæ duco: quam quidem nullo alio judicio rectiùs, quàm ex recta ejus definitione, cognoſcemus. Eam ego, adductis priùs aliorum Authorum placitis, tandem ſubjungam.

Definitur itaque paſſio colica à Jonſtono, *lib. 10. cap. 2. artic. 2.* quòd *ſit dolor inteſtini Coli, à rebus continuum ſolventibus exortus.* At, cùm definitio ſit oratio ignoti manifeſtativa, ſuoquè definito clarior eſſe neceſſariò debeat; Jonſtonus verò non ſatis explicet, quænam illæ res continuum ſolventes ſint, à quibus dolor inteſtini coli oritur: acquieſcere definitioni allatæ (bonâ tamen illius pace) neutiquam poſſum.

Jonſtoni definitio non placet.

Aliam Doctiſſimus Vir, D.D. Hertodt, Collega meus honorandiſſimus, *in Tartaro Maſtigis Moraviæ, part. 2. cap. 3.* ſequentibus verbis adfert: *Nos definimus colicam eſſe dolorem inteſtino-*

Definitio D. D. Hertodt.

ſtinorum, nunc vagum, nunc fixum & vehementem, ortum à tartaro mucilaginoſo, ſalino-nitroſis particulis impragnato. Alii plures adhuc alias colicæ paſſionis definitiones allegant. Sed quia ferè in jam allatas recidunt, nec multum ab iis diſcrepant: idcirco ab iis hûc apponendis cenſui ſuperſedendum.

Noſtra definitio malignam includit proprietatem.

Nos, qui, ſuo quemvis in ſenſu abundare, haud ægrè ferimus, ſperamus, nos etiam ab aliis haud gravatè ferendos, dum, ab eorum ſententiis tantiſper recedentes, hanc, quæ maximè arriſit, colicæ definitionem ſtatuimus. *Nos itaque aſſerimus, quòd paſſio colica ſit triſtis ſenſatio inteſtini coli, ab humoribus pituitoſis, acidis, ſalſis, bilioſis, acribus, flatulentis, & malignâ interdum qualitate ineſcatis, inteſtiniq; unitatem ſolventibus producta.* Dicimus: *malignâ interdum qualitate ineſcatis:* quòd omnes facilè humores, in fluxuoſis inteſtinorum anfractibus diutiùs hærentes & putreſcentes, præter manifeſtas haſce qualitates, ſalſedinem, acredinem, caliditatem, flatulentiam, &c. etiam malignam interdum proprietatem, inteſtinis ſpecialiter inimicam, contrahant; vi cujus dolores colici vehementer aliquando intenduntur, & inexplicabiles cordis æſtûs & anxietates, copioſum vultu toto ſudorem prolicientes, gravèsque reliquorum membrorum virium ſtrages inferunt.

Colica ab aëre peſtilenti.

Adhæc Hieronymus Mercurialis, *lib. de infimi ventris affectibus, cap. 26.* docet, poſſe ab aëre peſtilenti induci colicam. Ita enim ſcribit: *Dico, ex peſtilenti aëris conſtitutione generari putridos humores, qui, demiſſi in inteſtina, ſuâ qualitate putridâ & venenatâ, inteſtinorum facultatem magnopere lædunt, & poſtea faciunt illos dolores. Nam compertiſſimum eſt, non ſolùm hujusmodi materias & humores decumbere in inteſtina; ſed etiam in caput: unde cauſant epilepſias, paralyſes &c.* Si ergo virulentia peſtifera poſſit humores ita corrumpere, ut, eorum adminiculo, graviſſimos coli dolores inferat; cur non idem poterit de ea virulentia affirmari, quæ in eſculentis & potulentis abdita corpus ſubintrat?

Quem-

Quemadmodum enim (ut loquitur Helmontius, in ſuo Tractatu, *à ſede animæ ad morbos, num. 10. & 11.*) *Apoplexia, Paralyſis, Epilepſia, Podagra,* aliique hujus notæ affectus, à ſuccis, ſigillari charactere, id eſt, abdita proprietate, infectis oriuntur: ita etiam intolerabiles illi inteſtini coli dolores ab humoribus, malignâ qualitate tinctis, eidémque inteſtino clandeſtinâ virulentiâ contrariis, interdum producuntur. *Si enim* (ut diſcurrit Helmontius, loco jam citato) *acor ſtomachi digeſtivus degeneret, ſéque aſſociet veneno opiato, cum penetratione verſus ſedem animæ, ſtatim adeſt Epilepſia. Sin autem ſuboriatur mucilago putida, ad amarorem prona, vertigo, & fortiùs inſurgens Apoplexiam ſuſcitat. Sin verò ſtomachi acor excitatur præter naturam, & cibo, aut potui connectitur, adſunt dolores colici.* Sententia Helmontii.

Hoc autem de eo cibi potúſque genere accipiendum eſt, quod, ob occultam malignitatis tincturam, cum degenerati acoris natura ſymboliſat, talémque aptitudinem habet, ut venenatam degenerati acoris indolem excitet, inſtauret, & ad affectum dolorificum, in inteſtinis excitandum, ſtimulet. Hanc autem cibus & potus virtutem ex gravido diverſis facultatibus terræ utero mutuantur. *Nam in terra* (ut tradit Divinus Hippocrates, *in principio lib. 4. de morb. ſect. 5.*) *ſunt innumeræ virtutes. Quædam enim ſunt magis virulenta; quædam magis humida; quædam dulciora; ſicciora quædam; aſperiora etiam quædam; aliáque ſexcenta aliter ſe habent.* Alimenta inficiuntur à fermento terræ.

Quin imò talis eſt terræ, tam mira variaquè progerminantis, fœcunditas, ut ſemet à ſe ipſa diverſam, diverſis in locis, exhibeat; & ut, benevolam, quibusdam in regionibus, matrem ſe præſtat, ſaluberrima homini pharmaca proferendo: ſic in quibusdam novercam agere videatur, mera toxica & aconita protrudendo. Nec opus eſt longis terrarum tractibus & intervallis; cùm ſæpè eâdem in Regione, & eodem propemodum ſub Jove, hîc ſalubres & vitales; alibi Mirabilis terræ conſtitutio.

noxios & lethiferos fructûs ab omniparente terra in lucem edi, ſagaciores naturæ interpretes, cum Hippocrate, *lib. 4. de morb. ſect. 5.* probè adverterint. Quæ tanta fructuum, tam diſparium, diverſitas, cùm non ſolùm in Solem refundi poſſit; concedendum omnino eſt, terram noxiis æquè, ac ſalubribus gravidam eſſe ſeminibus, è quibus poſtea tam diverſæ facultatis germina enaſci conſpiciuntur. Et, ne longiùs eamus, ipſa nobis luculentus hujuſce rei teſtis exiſtit Marcomannia, quæ, licet arctis concluſa ſit limitibus, adeò tamen diſpares ſuppeditat fructus, ut eadem vitæ mortíſque miniſtra eſſe videatur. Quis neſcit, generoſum, notæque melioris merum ab ea fundi alibi; alibi vappam propinari? Hic mel; illic fel è vitibus exprimi? Hoc loco vitæ balſamum; alio morborum mortíſque prodromos, ſulphur, calcem, & alias id genus noxias fæces, ex eodem ejusdem Marcomanniæ utero progerminare? Credere poſſis, Rebeccæ Moraviam, & quamvis propè terram, non eſſe abſimilem, diverſos & inter ſe duellantes fœtûs uno in utero continenti, piloſumquè Eſau, & glabrum Jacob, eodem partu profundenti.

Diverſum terræ ſemen.

Marcomanniæ mirabilis conſtitutio.

Si itaque ex jam allatis, atque Hippocratis, aliorúmque Virorum, authoritate pollentium, doctrinâ roboratis ſit luculentum, quòd diverſa penitùs ſit terræ conſtitutio: atque monſtraverimus, quòd heterogeneæ prorſus, & nonnunquam virulentæ, è terræ viſceribus, particulæ eſculentorum & potulentorum (ſive illa mediata, ſive immediata fuerint) ſubſtantiæ miſceantur: nemo mihi facilè negabit, alimenta, è Marcomanniæ noſtræ terra prodeuntia, præter manifeſtas qualitates, etiam occultis dotata eſſe, quæ, nervoſo maximè, & membranoſo generi inimicæ, frequentes Incolarum noſtrorum coli, renum, & articulorum dolores pariunt, & epilepſiam, alióſque malè-feriatos morbos producunt. Implicat enim, tam vehementia, eáque frequentia, in Marcomannia noſtra, oriri

Heterogeneitas alimentorum.

oriri mala, etiam in iis, qui ceteroquin valetudinem ſuam diligenter curant, niſi cauſæ eſſent vehementes; & cum eſculentis & potulentis corpora humana ſubintrarent. Ex quo tamen non ſequitur, quòd omnia corpora hujusmodi affectionibus paſſim oporteat affligi; ſiquidem, ad hujusmodi morbo-borum productionem, alimentorum occulta qualitas non ſufficit, niſi ſpecialis quoque corporis diſpoſitio accedat. Sic non omnes, eodem cibo veſcentes, calculo laborant: ſed illi ſolummodo, quibus, præter materiæ coagulari valentis, aptitudinem, ſpecialis corporis diſpoſitio ineſt, ad calculi efformationem requiſita.

Specifica Moravicæ terræ qualitas.

Cur non omnes eodē afficiantur morbo.

Quòd autem Epilepſia, aliique hujus conditionis morbi, ab occulta quadam vi generentur, id, cum Sennerto, *lib. 2. Inſtitut. part. 3. ſect. 2. cap. 7.* Jonſtono, *lib. 8. cap. 7. artic. 2.* Fernelio, *lib. 2. de abditis rerum cauſis, cap. 11.* teſtatur Avicenna, *lib. 3. Fen. 1. tractat. 5. cap. 8.* ubi dicit: *ut plurimùm accidit Epilepſia à phlegmate: & Hippocrates quidem dixit, quòd plurima oves patiantur epilepſiam: cúmque in cerebris ſuis anatomizantur, inveniter in eis humiditas mala, fœtida, ut omnis cauſa epilepſiæ; ex qua procedit qualitas venenata, quæ nervis imprimitur, ſicuti imprimitur punctura ſcorpionis ſuper nervos.*

Epilepſia à vi occulta.

Avicennæ ſententia.

Sed nunc ad orbitam, & ad eam, à qua tantiſper digreſſi ſumus, paſſionem colicam revertamur; cujus definitione ſat (ut opinor) jam ſtabilitâ, reſtat, affectionis adeò noxiæ cauſas accuratiore indagine inveſtigare. Non eadem porrò eſt, in aſſignandis colicæ paſſionis cauſis, Authorum mens, atque ſententia; ſed, ut ipſi varii ſunt, ita ſuas quoque variant opiniones. In hoc tamen potior & ſanior Medicorum pars convenire videtur, quod alias colicæ cauſas occultas; alias notas evidentesque ſtatuunt. Et evidentes quidem, ſive externæ, procatarcticæ dictæ, ſunt, quæ in ſiniſtra rerum ſex non-naturalium ſubſtantia & adminiſtratione ſubſiſtunt. Si enim cibi

Varietas ſententiarū.

Cauſæ procatarcticæ.

cibi & potûs ſubſtantia eſt malignis, aut ad putredinem inclinantibus particulis imprægnata, nec reliquæ res non-naturales eo eveniunt modo, quo evenire debent, non poſſunt non mali ſucci in viſceribus generari. Siquidem (ut inquit Galenus, *lib. de evchym. & cacochym.*) *dulces cibi, craſſiq́; ſucci, jecinoris ac lienis obſtructiones faciunt:* & (ut loquitur idem, *lib. 11. meth. med.*) *obſtructionem ſequitur ſymptoma, ipſa tranſpirationis cohibitio: quam rurſus humorum putredo excipit.* Adeò, ut, hoc modo alimenta internam corporis œconomiam ſubintrantia, atque in eâdem, ob naturalem ſuam diſpoſitionem, putreſcentia, internæ cauſæ rationem induant: quæ bifariò diviſa, vel cauſa proxima & immediata, vel mediata, ab Authoribus nuncupatur. Immediatam, ſeu proximam, colici doloris cauſam unanimis Medicorum conſenſus continui ſolutionem ſtatuit.

Obſtructionis incommoda.

Cauſa interna.

Continui ſolutio.

Illa autem materia, diſtendendi, aut extendendi potentiâ prædita, cauſæ mediatæ & internæ nomen obtinet; ſive illa pituita, vel bilis degenerata; ſive fœces induratæ; vel flatûs, aut vermes fuerint. Nam, quòd à pituita copioſa, frigida, inſignêmque viſcoſitatem, lentorem, & craſſitiem habente, atque inteſtinorum parietes ab invicem diſtendente, aut exceſſivè frigefaciente, atroces coli dolores oboriantur, id, præter omnium Medicorum, artis probè peritorum, experientiam, habemus ex Galeni *lib. 2. de different. febr. cap. 6.* ubi ait: *eſt una pituitæ ſpecies, vitro fuſo perſimilis, usque adeò perfrida, ut, quum detinetur alicubi, dolores acerbiſſimos excitet. Tales dolores vocati colici excitantur, ubi frigidiſſimus aliquis humor (qualis ille eſt, quem Praxagoras vitreum nominat) in quopiam inteſtino craſſiori eſt impactatus: quibus adeò torquentur ægri, ut videantur, circa infimum ventrem, & ureterum regionem, terebrâ perforari: id quod mihi etiam olim contigit; ubi, ab injecto rutaceo, cùm id paulò pòſt conarer excernere, exerevi humorem, vitro fuſo perſimilem;*

Cauſa mediata.

Pituita colici doloris cauſa.

milem; aſſerente eodem, *lib. 2. de loc. affect. cap. 2.* Idem Galenus, *lib. 6. de loc. affect.* dicit: *probabile eſt, frigidum, eúmque craſſum, & viſcoſum humorem, aut flatuoſum ſpiritum, in corpore craſſo, denſóque genitum, ſed egredi non valentem, dolorem in colo excitare vehementem.* Ex quibus (ſi aliæ quàmplurimæ rationes deeſſent) ſat clarè patet, quantæ acerbitatis dolores colici à pituita, ſtatum ſibi naturaliter debitum deſerente, producantur.

Quòd verò doloroſiſſima hæc coli paſſio etiam à bile, ob aduſtionem viſcoſiore factâ, multumquè à ſtatu, ſibi naturaliter debito, degenerante naſcatur, id ex Galeni *lib. 12. meth. med.* fit manifeſtum; ubi refert, quendam mordentes in inteſtinorum tunicis habuiſſe ſuccos, qui cùm aloë purgatus fuiſſet, illicò dolores coli ceſſaverint, evacuatâ nimirum bilioſorum ſuccorum, continuò inteſtina rodentium, farragine. Dum enim bilis à cauſis ſuis præter modum cumulatur, & ab exceſſivo hepatis, aliorúmque viſcerum calore aſſatur, non modò rodentem, mordacem & corroſivam, ſed etiam diſtendentem, inflammantem & malignam contrahit qualitatem, quæ, continuo fermentationis motu, aut ad ſinuoſas coli cavitates derivatur, vel etiam intra ipſius tunicas ſeſe inſinuat, aut exterioribus coli ſuperficiebus adhæret, atque ſola, aut degeneratæ pituitæ mixta, tam intenſos coli dolores excitat, ut non rarò intolerabiles evadant, atque ægri, præ doloris immanitate, violentas ſibi inferant manûs, teſtante ſic Galeno, *lib. 2. de compoſit. med. ſecund. loc.* ubi aſſerit: *Ob vehementem capitis dolorem, nemo unquam, animi deliquio comprehenſus, mortuus eſt, neque ſeipſum occidit; quemadmodum quidam, coli dolore vexati, fecerunt.*

Colica bilioſa.

Bilis degenerantis qualitates.

Ego ipſe fateri cogor, quòd aliquot magnorum ſtemmatum Barones & Comites (ut de plurimis inferioris conditionis hominibus taceam) ab immani hujus affectûs cruciatu liberavim, qui, cùm, propter calidam & ſiccam corporum ſuorum

rum diſpoſitionem, ad bilioſorum, acrium, & mordentium ſuccorum generationem maximè proclives eſſent, in tam horrendos coli dolores inciderunt, movente videlicet bilem ad inteſtina, iisquè adjacentes membranas, irâ, ut partes ex lectica, in qua decumbebant, canum furioſorum adinſtar, arroſerint; qui dolores priùs non fuère ſedati, quàm ingens bilioſorum, acrium, & malignâ proprietate infectorum, copia, per vomitum ac alvum fuiſſet expurgata. Ut hac ratione ſit vero verius, colicam non ſolùm ab humorum frigidorum, pituitoſorum, & flatulentorum copia, ſed etiam bilioſorum, acrium, malignâque proprietate tinctorum multitudine generari.

Horrendi colicæ paſſionis effectus.

Cur flatûs graves colicas excitent.

Quàm enormes verò coli cruciatûs à flatibus producantur, dum copioſiores in inteſtinorum ductibus, tanquam proprio ſuo receptaculo, colliguntur, &, propter exſiccatas induratáſque alvi fæces, erumpere nequeunt, id ſatis effari nequeo: ſiquidem flatûs, ob altiorem inteſtinorum obſtructionem, non ſolùm in abdominis cavum penetrant, ibidémque peritonæum violenter diſtendunt; verùm & inteſtinum copiâ & vehementiâ ſuâ tantoperè diſtendunt, ut Fernelius (referente ſic Schenkio, *lib. 3. obſervat. de colo, obſervat. 174.*) *lib. 6. pathol. cap. 10.* in ſequentia erumpat verba: *cohibendi flatûs conſuetudine non paucos diſſectione animadvertimus, quibus dilatatum colon inteſtinum brachii amplitudinem adæquabat: alios, quibus ex imo ventre flatus, toto anfractu in ventriculum reſiliens, ructu emittebatur; & quibus pro crepitu ructus erat: alios quoque, aliis ex caucauſis, hoc ſymptomate continenter affligi, ut his plures ructûs, quàm verba eſſent.*

Flatuum effectûs.

Ego, paucis ab hinc ſeptimanis, Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Generalem, Comitem Rabatta, intenſiſſimâ colicâ, à flatibus cauſatâ, decumbentem curavi, qui tantis premebatur doloribus, ut jacere quietus non valeret, erectus ambu-

lare

lare non poſſet, reſpirare ſufficienter nequiret, &, præ nimiis cordis anxietatibus, moribundorum inſtar, ſudaret. Tales, quin & longè majores, flatuum immanitates ſuſtinuit Paulus Schüſſel, Apothecarius Echinopolitanus, qui, anno 1677. tam crudeli colicâ flatulentâ detinebatur, ut eundem à violento flatuum impetu ſæpè ruptum iri arbitraremur. Tantopere nimirum remeantes ab inferioribus corporis partibus flatûs, impediebant ſtomachi dilatationē, & diaphragmatis motum, totum penes corpus diſtendendo & inflando. Sed quid hoc mirum? *quoniam flatus* (ut habet Hippocrates, *lib. de priſca Medicina*) *inteſtina ſubiens, increſcit, robuſtior efficitur, & impetu in id, quod obluctatur, fertur; verùm quando obſtaculum ſuum perfringere nequit, graviſſimi creberrimiq́ dolores in iis excitantur.* Gravis colica. Hiſtoria colici doloris à flatu.

Quòd à fæcibus alvinis, præter modum induratis, colica frequenter accidat, id, præter Petrum Poterium, *lib. obſervat. & curat. cap. 25.* & *26.* teſtatur Avicenna, *lib. 3. fen. 16. tractat. 3. cap. 6.* ubi ait: *Colica propter fæcem ſiccam oritur, & hæc fæx ſicca eſt, quùm ipſa fæx ciborum ſiccorum eſt ſicca: aut quia remanet longo tempore, & ſiccatur in tantum, ut lapideſcat:* qualiter fieri, obſervavit Petrus Foreſtus, *lib. 21. obſervat. in ſchol. obſervat. 4.* ubi dicit: *ex lapide, in inteſtinis generato, quandoque fit, ut colicus dolor inducatur, vel extendendo, vel ſolvendo continuum, vel prohibendo exitum ventoſitatis: quod evenit Domicellæ Vanderanæ, ſtercore rotundo in lapidem concreto.* Colica ab induratis fæcibus. Colica ex lapide.

Eâdem penitùs ratione, à Vermibus, inteſtinorum latera pungentibus & divellentibus, oriri acerbiſſimos coli dolores, præter Mercurialem, *lib. de infimi Ventris affectibus, cap. 26.* confirmatur ab eodem Foreſto, *lib. jam citato, in ſchol. obſervat. 6.* ubi dicit: *Nos ruſticum præ manibus habuimus, qui ultra triginta vermes, in colico dolore, ejecit, & à me probè curatus fuit.* Colica à vermibus.

At ego gregarium quendam militem, è legione pedeſtri Collonelli Jung, curandum ſuſcepi, qui, ſub finem Aprilis,

Anni 1666. atroces præter modum coli dolores paſſus fuerat. Huic ego primùm quidem illa pharmaca propinavi, quæ colicæ paſſioni quàm maximè mederi ſolent; ſed non alio effectu, quàm quòd, ad tempus ſopiti, non verò penitùs abacti dolores colici viderentur: quorum radicem atque originem ne levi quidem indicio aſſequi licebat. Variis quidem priùs tentatis mediis, pharmacum tandem certum, purgando corpori habile cùm obtuliſſem, æger, eo ſumpto, poſt exiguum temporis intervallum, ingentem ranarum minutiorum copiam per alvum egeſſit, iisque vix egeſtis, doloribus colicis è veſtigio liberatus fuit. Miranti mihi tam fœcundam ranarum progeniem, cauſámque illius variis quæſitis percontanti, miles aſſignare aliam haud volvit, quàm largiorem aquæ, ex piſcina hauſtæ, potum. In mandatis, inquiebat, habebam, literas majoris momenti, ad Collonellum ſpectantes, curſu, quàm poſſem velociſſimo, deferendi, non ſine ſpe præmii, acceleratione itineris referendi. Spes hæc alas addidit, ut volare potiùs, quàm ambulare viderer. At iſtâ curſûs feſtini concitatione cùm immodicè incaluiſſem, &, areſcentibus calore faucibus, vehementer ſitiviſſem, ſitis impatiens, è proxima, quam viator tranſibam, piſcina aquam eâ copiâ hauſi, quam ſiti caloriquè immodico reſtinguendo tunc credebam ſuffecturam. Hauſtum hunc, etſi tunc oppidò ſapidum, parum tamen mihi conduxiſſe, paulò pòſt facilè obſervare potuiſſem, ſi voluiſſem; cùm necdum diurni itineris ſpatio ſtomachi inteſtinorúmque gravamen ſenſerim, atque, ab itinere redux, evoluto paucorum dierum ſpatio, his ipſis, quos vehementiſſimos paſſus ſum, inteſtinorum doloribus afflictus fuerim.

Colica à ranis in corpore genitis.

Generatarum ranarū cauſa.

Verùm, ſi non aliquantò horribilius, admirabilius tamen eſt, quod Samſoni Schleier, Civi Echinopolitano, & chartarum luſoriarum pictori, accidiſſe, indubiâ fide, compertum habeo.

habeo. Senſit hic acerbos ſæpiuſcule inteſtinorum dolores; qui, cùm ſemel adeò ingraveſcerent, ut iis ferendis impar videretur, vicinum è domo, ſuæ propinquâ, balneatorem Weckerum accerſiit, accerſitúmque precibus ſummis obteſtatus eſt, ut aliquod dolorum lenimen, aut levamen, ſine mora, adferret. Balneator, copioſos flatûs colici doloris cauſam ratus, iis diſcutiendis clyſterium, *ex emollientibus & carminativis* compoſitum, injecit, rejectóque enemate, bonam *electuarii de baccis lauri, & Theriacæ*, quantitatem ægro propinavit. Sumpto hujuſcemodi pharmaco, dolores non modò nihil remiſiſſe, ſed magis exaſperati videntur fuiſſe; æger verò, quamvis ad ſeceſſum ſtimulari ſe ſenſiſſet, naturæque laboranti magno niſu collaboraſſet, nihil tamen egerere valuit, præter albicantem quandam particulam, ex ano prominentem, quæ craſſitie & longitudine minorem digitum exæquabat. Amici, ægroto adſtantes, ipſa inteſtina jam egeri per alvum rati, Balneatorem rurſum querulis vocibus, mœſta inter lamenta, advocant, utque ægro, ſi poſſit, opituletur, efflictim rogant. Subdubitabat primo aſpectu balneator ipſe, quidnam eſſet ea, ex ano dependula, particula: at, ubi manibus, num ductu facilè ſequeretur, exploraſſet, ſenſimque ſine ſenſu traxiſſet, lumbricum ſe extraxiſſe comperit, ſeptem Viennenſes ulnas longitudine excedentem. Attoniti ſtupuêre, cum ægro, amici, útque lumbricum eſſe viderent, induci non poterant, priùsquàm, aquæ tepidæ immiſſum, hinc illinc repentem ſuismet oculis conſpexiſſent. Malo hoc hoſpite ex abditis inteſtinorum penetralibus excuſſo, æger mox convaluit, omnisquè, quem antehac in colo vehementiſſimum paſſus fuit, dolor ſubſidit, peſſimâ illius radice ſtirpitus evulſa.

Hiſtoria.

Lumbricus ſeptem ulnarum extractus.

Præter cauſas jam relatas, & colicam paſſionem producentes, adhuc alia à Doctiſſimo Viro, D. D. Hertodt, Collega meo obſervandiſſimo, ſtatuitur, tartarus videlicet mucilaginoſus

Tartarus Moraviæ colicæ cauſa.

noſus, ſalino-nitroſis particulis imprægnatus: ubi per tartarum aliud non intelligit (prout ex clariſſima ejusdem Viri, ad Lectorem præfatione, in Tartaro Maſtigis luculenter patet) quàm inutilem heterogenearum, & ex alimentis reſultantium particularum portionem, quæ ubi æquò diutiùs corporis cavitatibus immoratæ fuerint, pro varia naturarum ſuarum varietate, aptæ fiunt producere morbos. Ita enim ſcribit: *Sciendum, nos hîc per tartarum intelligere miſcellam heterogeneam, quâ omnia tam vegetabilia, quàm animalia, ſive ea in cibum, ſive potum à nobis aſſumantur, ſcatent. Hæc ubi naturâ, vel artis beneficio, è corpore noſtro non ſeparantur, ſucceſſu temporis morboſa producta, eáque cuiquè terræ propria, ac magis familiaria efformant, juxta variam primordialis ſeminis miſcellam, ita à ſummo, & Divino illo Architecto ordinatam. Sic in Styria, & Carinthia, ob potum præprimis aquarum crudarum & nivealium, ſtrumas, &c. in Moravia, ob diverſi tartari miſcellam, imprimis verò calcis & nitri, quibus hæc regio donata eſt, arthritidem, calculum, colicam, epilepſiam, & affectionem hypochondriacam, generari obſervavimus.*

Quid tartarus?

Cibus & potus tartaro ſcatet.

Unde Strumæ.

Verùm enim verò, an hic *tartarus*, *ſalino-nitroſis particulis* donatus, cum mucagine ſua coagulante, ad colicæ paſſionis, Marcomanniæ noſtræ Incolas tam frequenter & vehementer affligentis, productionem, absquè ſpeciali, nobisquè incognito, terræ fermento ſufficiat ſolus, id ego, qui fundatam Doctiſſimi Viri ſententiam veneror, hîc loci diſputare nolo: hoc ſaltem Experientiſſimi Viri pace mihi notare liceat, quòd morbi endemii, id eſt, unam regionem ſolùm, aut locum, ſemper, vel potiſſimum infeſtantes, à ſpecifica terræ ſemente provenire ſoleant. Exhalatio quippe nobis incognita, ab inferioribus terræ viſceribus adſcendens, eſculentis & potulentis miſcetur; quæ deinde, cum alimentis, humani corporis viſcera ſubintrat, &, ſi analogam ſibi humorum diſpoſitionem inveniat, colicas, aliasquè peſſimæ notæ affectiones cau-

Morbi Endemii à ſpecifica qualitate.

Alimenta infecta morbos ſibi ſimiles faciunt.

cauſare ſolet. Id quod optimè agnoviſſe videtur Joannes Crato, dum, *lib. conſil. medicinal. conſil. 169.* Vinorum Moravicorum uſum diſſvadet, dicens: *Vina Moravica noxia ſunt, & nativum quiddam, quod hunc morbum conciliat, in ſe continent. Hinc tot colicos in Moravia videmus.* Quòd verò Carinthii, Styri, aliarumquè Provinciarum cultores, abſurdiſſimis illis colli ſtrumis affliguntur, id nequaquam ſoli aquarum nivealium cruditati tribuendum eſt; ſiquidem illæ, dicente Jonſtono, *lib. 9. titul. 2. cap. proprio, ab aquis, Mercurium in ſe continentibus, accidunt.* Sed quis nunc ſuam Mercurio vim deleteriam, absque graviſſima Paracelſi, Quercetani, totiusquè Medicorum Scholæ, indignatione denegaturus eſt?

Vina Moravica mala.

Strumarum cauſa.

Secundò, juxta unanimem Chymicorum calculum & mentem omnia corpora *è ſpiritu, ſulphure, ſale, aqua & terra conſtant.* *Atqui* (ut placet Schrödero, *lib. 4. Pharmacop. Med. Chym. claſſ. 2.*) *tartarus conſtat partibus potioribus aquæ, terræ & ſalis;* remiſſioribus verò ſpiritu & ſulphure: quia tartarus eſt crudior imperfectior rerum productarum portio, ſeu miſcella heterogenea, vi cujus ubique terrarum illos deberet effectûs edere, quos in Marcomanniæ inquilinis à tartaro edi videmus, niſi occultum quoddam, nobisquè incognitum, tartaro noſtrati ineſſet fermentum. Proinde optimè fieri judicarem, ſi jam ſæpius citatæ Excellentiſſimi Authoris ſententiæ illæ adderentur particulæ, quòd videlicet miſcellæ iſti heterogeneæ, ſeu tartaro Moraviæ, ſpecifica quædam & abdita virtus inſit, vi cujus inteſtinis, renibus, nervoſo membranoſoquè generi maximè contrariatur, colicas paſſiones, epilepſias, arthritides, & calculos producendo.

Unde corporũ compoſitio.

Tartaro quid occulti adjungitur, in Moravia.

Diſcuſsâ (ut reor) ſufficienter colicæ paſſionis naturâ, ejusquè cauſarum differentiis examinatis; reſtat nunc, ut ad ſignorum fontes deſcendamus: quorum tres plerunque claſſes ab Authoribus aſſignari ſolent. Nam alia eſt ſigno-

Signorum fontes tres.

rum

rum diſtinctivorum, alia diagnoſticorum, prognoſticorum alia, claſſis.

Signa diſtinctiva.

Signa diſtinctiva illa dicuntur, quæ morbum à morbo, colicum, v. gr. dolorem à nephritico, aut dyſenterico diſtinguunt. Quibus Galenus, *lib. 6. de loc. affect. cap. 2.* uſus, inquit: *Ut doloris colici, nephriticiq́; diſtinctio in initio difficilis eſt; ſic circa id tempus, non ita magna præſidiorum differentia deſideratur. Cæterùm & nauſea, & vomitus, per id genus affectus urgent: ſed multò graviores & magis aſſidui, dolente colo. Evomúntq; ita laborantes pituitoſa quædam, atque corrupta: hac in re longè ſuperantes nephriticos: ac retinent etiam magis excrementa, ut ne flatum quidem, neque etiam ructum, excernere poſſint. Sæpenumero veluti circuire videtur dolor; modò hanc, modò illam partem infeſtans. Nephritici verò dolores, eodem in loco ſtabiles, infeſtant jugiter. Cùm itaque dolor in loco fuerit altiore renibus, manifeſtum colicæ indicium portendit: ſi verò circa ſedem renum infeſtet, urinæ conſiderandæ ſunt. Nam nephritici ab initio dilutas puráſque reddunt urinas: dein, ſequentibus diebus, craſſum aliquid in ipſis ſubſidere videtur: demum arenoſæ minguntur. At in colica, ſi quid ab alvo dejicitur, id flatuoſum quodammodò eſt, & ſæpenumerò aquæ ſupernatare conſuevit, ſimilem habens bubulo ſtercori conſiſtentiam. Quin etiam cruciatûs colici, quàm nephritici, magis lenientibus mitigantur clyſteribus.*

Diſtinctio inter nephriticum, & colicum dolorem.

Intenſio & extenſio colicam à calculo diſtinguunt.

Vult nimirum Galenus, quòd dolor colicus in extenſione, nephritico ſit multò vehementior; & nephriticus intenſione ſuâ, colico longè ſuperior exiſtat: cùm calculus ureterum principium & ſubſtantiam acutiſſimè pungat, in eodem affectæ partis circulo fixè ſubſiſtendo: dolor verò colicus diverſos diverſorum viſcerum meatûs oberret, & ſenſibiles eorum parietes lancinet ac affligat. Ut proptereà jam vagus, jam fixus non malè nominetur: ſiquidem jam ſiniſtram; jam verò dextram inteſtinorum rgeionem occupat: nunc ſupra, nunc

nunc infra renes tyrannidem ſuam exerceat; ſtomachum aliáſque inteſtinis adjacentes partes in conſenſum trahendo, nauſeam, appetitûs dejectionem, pituitoſi humoris vomitum concitando. Ad hæc, in colicis cruciatibus aridiora, multóque ſicciora & duriora ſunt alvi excrementa, quàm in nephriticis afflictionibus; & ab emollientium enematum & pharmacorum injectione molleſcunt, atque ad eductionem apta fiunt; iisque emollitis & eductis, dolores ceſſant; quod in nephritica affectione fieri, nemo affirmabit; ſiquidem, expurgatis etiam alvi fæcibus, nephritici dolores continuant, plus diureticorum, quàm purgantium medicamentorum viribus cedentes.

Signa colici doloris.

Qualiter autem Iliaca paſſio à colica diſtinguatur, id ab eodem Galeno, *loco jam antè citato*, ſat luculenter patet. Aſſerit enim: *dolor ille acerbiſſimus, quem Ileon, Volvulum, & Chordapſon vocant, ſublimiores inteſtinorum partes infeſtat, adeoq; impellit ad vomitum, ut nonnulli, ſtercus per os reddentes, miſerrimâ tandem morte moriantur. A quo affectu vix aliquis unquam evadere potuit.*

Colicæ & Iliacæ paſſionis differentiæ.

Diſtinguitur videlicet Iliaca à Colica paſſione: quòd hæc majorum; illa minorum inteſtinorum ſubſtantiam afficiat: Colica infra; Iliaca ſupra umbilicum plerunque affligat, &, ad præcordia aliqualiter aſcendendo, inſignem reſpirationis difficultatem inferat: alvi excrementa, ob nimiam inferiorum viarum coarctationem, remoretur: vomitum tam frequentem pariat, ut nec cibus, nec potus retineri valeat: quin & ipſa non rarò excrementa, per alvum evacuari ſolita, per os rejiciantur, ſingultus ſuperveniat; qui ſuperveniens peſſimi fati nuntius eſſe ſolet; ut patet ex Hippocratis *aphoriſ. 10. ſect. 7.* ubi ait: *ab Ileo vomitus & ſingultus, & deſipientia, & convulſio, malum*: quia hæc malorum ſeries nunquam accidit, niſi ægri pernicioſè ægrotent, fæcéſque alvinæ, inverſo planè re-

Ab Ileo vomitus cur malus?

 rum

rum ordine, ſurſum remeent, orificium ſtomachi, eidémque inſertos nervos, vellicando, & fatales rerum eventûs procreando.

Signa diagnoſtica.

Alia ſunt ſigna diagnoſtica, id eſt, ipſam colicæ paſſionis cauſam nobis, quaſi digito demonſtrantia: ut, ſi à quadam pituitæ præternaturalis ſpecie coli dolores oboriuntur, non modò alvus obſtructa languet, propter impeditam, ab induratis alvi fæcibus, facultatem excretricem; ſed etiam dolor eſt fixus, ſtabilis, aut pali modo infixi perforans & perterebrans, & à violenta inteſtinorum diſtenſione generatur: frequens inſuper affligit vomitus, ob conſenſum illum, & correſpondentiam, quæ inteſtino cum ventriculo intercedit: neque tenax malum injectis per alvum medicamentis, aut per os aſſumptis pharmacis, facilè cedit; eò, quòd pituita, ob ſingularem ſuam viſcoſitatem & lentorem, difficulter è ſinuoſis inteſtinorum cavitatibus eruatur.

Signa pituitoſæ colicæ.

Eodem planè modo colica, à bilioſorum, acrium & mordentium ſuccorum multitudine producta, nobis ab æſtuante totius corporis habitu intimatur, à ſiti inextinguibiliter urgente proditur, à languentis ſtomachi nauſea, bilioſórumque humorum, per vomitum, rejectione inſinuatur, à vigiliarum, continuò urgentium, pertinacia manifeſtatur. Dum enim corruptæ bilis præternaturalis ſpecies nimium cumulantur, præter modum concitantur, in ventriculum ac inteſtina, è folliculo fellis, effunduntur; ubi efferveſcentes, blandum earum partium humorem depopulantur, & inde ſitis: æſtuantes, per totam corporis regionem, fuligines emittunt, inde caloris, univerſam omnium partium temperiem evertentis, vehementia, & moleſtarum vigiliarum pertinacia. Et quantò hi malignantis naturæ humores diuturniorem in inteſtinorum ductibus moram faciunt, tantò magis degenerant & incaleſcunt, adeò, ut etiam eorundem inflammationem, ingenti-

Signa colicæ bilioſæ.

Sitis cauſa.

Vigiliarum cauſa.

gentibus coli doloribus junctam pariant. Hanc autem inflammationis dolorísque colici differentiam ex pulſante inteſtinorum dolore, febri acutâ, ſiti vehemente, ardore, vomitu, ægrum nequaquam ſublevante, cognoſcimus. Inflammationis ſigna.

Simili prorſus ratione eas doloris ſpecies, quæ ſuam à Flatibus trahunt originem, cognoſcimus. Dolores ſiquidem, à flatibus nati, inſignem inteſtina dilatandi & extendendi potentiam habent: quod apparet, dum ventrem vehementer inflant, atque univerſam quandoque abdominis regionem velociſſimo impetu oberrant, illud taliter extendendo, ut ſint, qui ſe, præ nimia inflatione, aut ruptum, aut, præ doloris vehementia, ad inſaniam redactum iri verentur. Et qui hujusmodi malæ notæ colicâ enervantur, ii ex ructibus levamen ſentiunt: quorum tantam aliquando copiam emittunt, ut non rarò ructuum frequentia ſuperet oris verba. Signa colicæ à Flatibus.

An coli dolores ſuum à Vermibus ſumpſerint initium, id ex eo cognoſcitur; quòd patientes, ante colici doloris inchoationem, vermibus fuerint obnoxii. Ad hæc ex ventris diſtenſione, inflationéque, murmuri conjunctâ, nec non exacerbationis tempore colligitur. Nam urgente fame recrudeſcere ſolent coli dolores, eò quòd vermes, novi alimenti cupidi, illud in locis ſuæ habitationis quærant, inteſtina pungendo & rodendo. Signa colicæ à Vermibus.

Sed qualiter eam doloris colici ſpeciem cognoſcere oporteat, quæ à calculo, aut fæcum retentarum induratione cauſatur, id rem diligenter ſecum ponderanti facilè innoteſcet. Si enim aliquot dierum ſpatio, ante doloris invaſionem, aut tempore affligentis doloris, alvus non fuerit ſoluta; ſignum eſt, retentas, multúmque induratas, alvi fæces eſſe colici doloris cauſam. Plura de his volentem ad alios ablegamus Authores. Signa colicæ à Fæcibus induratis.

Alia denique ſunt ſigna prognoſtica, quæ nos de futuro colicæ paſſionis eventu vaticinari faciunt: quorum alia ab Hippocrate, *aphoriſ. 7.* & *40. ſect. 6.* item *aphoriſ. 22. ſect. 7.* præſcribuntur: alia verò ab Avicenna feruntur, *lib. 3. fen. 16. tract. 3. cap. 8.* ubi dicit: *magis incolumis eſt colica, in qua retentio non eſt adeò vehemens, ægrotus etiam adhibitis clyſteriis ſentiat ſe levari: ſin minùs, & ſi graviora accedant ſymptomata, ut vomitus ad vomitum, ſudor frigidus; colica paſſio vix curationem recipiet.* Hoc idem videtur agnoviſſe Hippocrates, dum, *aphoriſ. 26. ſect. 7.* ſcribit: *propter vehementem dolorem partium, ad ventrem attinentium, extremorum perfrigeratio, malum;* ſiquidem hæc partium perfrigeratio aliis de cauſis evenire non facilè ſolet, niſi propter inflammationis viſcerum magnitudinem, aut animi defectum; qui ex caloris nativi reſolutione, aut ſuffocatione accidit.

Signa prognoſtica.

Denique, ut perbrevi ſermone prognoſtica de colico dolore perſtringam, illud periculoſiſſimæ colicæ paſſionis indicium eſſe ſtatuimus; ſi quando ab inteſtinorum inflammatione ſuum trahat originem; eò, quòd non tantùm in iliacam affectionem facillimè transeat, ſed etiam præcipitem inteſtinis gangrænam minetur. Hac colici doloris ſpecie, illa curatu longè facilior eſt, quæ à flatibus inducitur; modò remedia flatus diſcutientia & evacuantia ritè adhibeantur, atque à flatibus recipiantur. Si enim colica flatulenta aut malè tractatur, aut aptorum pharmacorum auxilium non admittit; valdè periculoſa eſt, juxta Hippocratis *aphoriſ. 11. ſect. 4.* ubi inquit: *quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter ſolvitur, in ſiccum hydrops firmatur.* Plurimum etiam in curatela negotii faceſſere illa colicæ paſſionis differentia ſolet, quæ à pituita, præſertim lenta, produci conſvevit; quâ longè faciliùs illa tollitur, quæ à bilioſo humore oritur; omnium verò mitiſſima,

Colica periculoſiſſima quæ?

Colicæ aliæ plus, aliæ minus periculi habent.

ſima, quæ ab obſtructione inteſtini cavitatum oritur, ſive ea à fæcibus induratis, ſive aliâ causâ, ortum duxérit.

Cùm itaque dolot colicus omnem virium energiam, ſpirituumquè vitalium robur, facili negotio diſſolvat; atrocis hujus mali curatio, à quacunquè demum cauſa id productum fuerit, non eſt procraſtinanda; eò, quòd à loco malè affecto aut nobiliores corporis partes facilè in conſenſum trahantur, cum aliorum adhuc longè graviorum morborum generatione; aut quòd affectus ipſe, diutiùs neglectus, tam altas agat radices, ut vel in alios morbos tranſeat, vel infirmum crudeliter jugulet. Quare ad curationem accedentes, omnes imprimis illas cauſas, ab extrinſeco advenientes, quæ eviſcerantem hanc paſſionem produxerunt, aut promoverunt (ut cibus & potus) ad extremas orbis oras ablegamus, & ad magis urgentes indicationes curativas nos conferimus. Quare colica cito curanda.

Cùm autem, conſvetum naturæ curſum ſpectando, implicet, ut ceſſet effectus, niſi auferatur cauſa; diligenter peccantem, in inteſtinis, materiam conſiderare oportet; ut ibidem hoſpitantem, doloréſque colicos efficientem convenienti pharmaco exturbemus. Quandoquidem verò pharmaca curativa, vel à Pharmacia, vel Chirurgia, vel Diæta neceſſariò petenda ſunt; diligenter attendendum eſt, ut, ſi ex ſignis, antea enumeratis, cognoſcamus, quod pituitoſum, v. g. craſſum lentúmque excrementum in inteſtinorum ductibus redundet, ingentémque coli dolorem pariat, juxta Hippocratis præceptiones, *lib. de flatib.* & *aphoriſ. 21. ſect. 1.* extantes procedamus, & id per contraria tollamus, atquè per eas evacuemus vias, ad quas maximè vergere videbitur. At humor pituitoſus, in inteſtini coli cavitate deliteſcens, per aliam viam commodiùs evacuari non poteſt, quàm per alvum. Nam (ut placet Foreſto, *lib. 21. obſervat. in ſchol. obſervat. 6. pars affecta ex ſitu monſtrat uſum medicamentorum: debere ſcilicet ea per* Remedia colicæ unde? Quâ viâ pituita educenda.

ſedem injici: quoniam ex ea parte magis eſt proxima; & ſic plus per injecta, quàm ebibita, juvabitur. Quare clyſteres, ad hujus mali ablationem proficuos, moderatè calefacientes ſequenti modo præſcribere ſolemus:

Clyſterium primum.

℞. *Fol. malvæ,*
parietar.
mercurial.
rut. an. Mj.
flor. chamomill.
melilot. an. Mß.
ſambuc. Mß.
ſummit. anethi Mß.
rad. altheæ,
malvæ, an. ℥ij.
ſem. anethi,
bacc. lauri, an. ℥iß.

Coque ex ſ. q. aq. communis. Colatur. ℥x. adde
el. benedict. laxativ. ℥j.
diaphænicon. ʒij.
ol. chamomill. ℥iß.
rutac. ℥j.
ſal. gemm. ʒj.

Miſce fiat Enema. Vel

Aliud Clyſterium.

℞. *Decoct. emollient.*
& carminat. ℥xi.
elect. diaphænic. ℥j.
ol. anethi,
chamomill. an. ℥i.
ſal. commun. ʒi.

Miſc. fiat Enema.

Joannes Crato, *lib. conſil. medicinal. conſil. 169.* mirum in modum commendat clyſteres ex herba *Veronica* paratos: dicitquè, ſe expertum, quòd nobilis hæc herba *à ſpecifica virtute colicæ paſſioni medeatur.* Eapropter hanc herbam non tantùm cum juſculis caponum decoctam, per os aſſumere, ſed etiam ex ea clyſteres, ſequenti modo, parare jubet:

Clyſteres ex Veronica laudantur.

℞. *Herb. veronic. M iij.*
flor. ſambuc. M j.
Decoquantur vel in lacte, vel, quod melius eſt, in jure capi:
in colaturæ ℔ *iß.*
diſſolve ſacchar. ℥ *iij.*
aloës ʒ *iß.*
myrrhæ ʒ *j.*
Ebulliant rurſus, & applicentur.

Eodem modo, eam cum vino Malvatico coquere præcipit, & clyſterium parare jubet. Inquit enim: *Veronica coquatur: cui, in juſculo gallinaceo, & libra juris decocti adjiciatur vini Malvatici* ℔ *ß. myrrha* ʒ *ß. & tanquam clyſter imponatur. Rectè etiam decoctum Veronicæ ex vino, cum dimidio ſcrupulo myrrhæ, per ſuperiora, inchoantibus & urgentibus doloribus, datur.*

Clyſterium cum vino Malvatico.

Ubi notandum eſt, quòd clyſteres in principio lenes adhibere competat: cùm fortiores injecti, ſæpiúsque reiterati, materiam non evacuent, ſed potiùs exagitent: hinc plus nocumenti, quàm emolumenti adferunt; qui, ſi calidiores fuerint, pituitoſam, in inteſtinis degentem, materiam, ad copioſiorum flatuum productionem aptam reddunt. Proinde medium in clyſteriorum injectione tenere competit.

Clyſteres lenes in principio dandi.

Alii adhuc ſunt, qui dolores colicos, à flatu, aut pituita corrupta, oriundos, per clyſterem, ſequenti modo paratum, calidéque applicatum, miraculi inſtar ſanari, perhibent.

Clyſterium ex Malvatico aliud.

℞. *Vini Malvatic.* ℥ *iij.*
olei nucis. ℥ *ij.*

aq. vit.

aq. vit. ℥j.
ol. juniper.
rutac. an. ʒiiß.
Miſc. F. clyſter.

Verùm licèt innumeros propè, colicâ affectione miſerè excruciatos, reſtituerim; hujus tamen pharmaci virtutem necdum ſum expertus: quoniam nunquam adhuc ad calidorum hujusmodi uſum deſcendi; eò, quòd tutiorum pharmacorum auxilio meos, qui curandi mihi occurrerunt, patientes amiſſo corporis valori reddiderim.

Nec ſufficit, materiam, in inteſtinis ſtabulantem, per frequentiorem enematum injectionem, reſeratis videlicet obſtructionibus, imminuere, niſi opportunâ quoque cathartícorum, pituitam evacuandi potentiâ donatorum, exhibitione exceſſivam ejus redundantiam detraxerimus. Clyſteres enim injecti à flatibus, pituitam, tanquam matrem ſuam, fideliter comitantibus non raró ita repelluntur, ut penitiores inteſtini coli receſsûs aut non adeant, aut non ritè purgent. Hinc ſæpius accidit, ut, plurimis etiam enematibus injectis, dolores colici non cedant, qui uni, eique leviſſimæ, potiunculæ laxativæ victrices porrigunt manûs. Hoc modo cum illo Riverii Patiente accidiſſe videtur, cujus, *centur. 2. obſervat. 1.* ſequentibus recordatur verbis: *Sarretus correptus eſt graviſſimo dolore colico, qui neque clyſteribus laxantibus, & carminantibus, etiam cum aqua benedicta; neque fomentis & ſemicupiis ſedari potuit, ſed ſequentibus pilulis mox adjutus fuit:*

Cur purgantia dari debeant.

Hiſtoria Riverii.

℞. *Aloës optim. ʒj.*
diagrid. gr. viij.
laudan. opiat. gr. v.

Miſce: fiant pilulæ ſex deauratæ.

Quod doctiſſimus Riverius cum ſuo obſervavit Patiente, id mihi, ante ſex circiter annos, cum Reverendiſſimo Celeberri-

berrimi Bohemiæ Monaſterii Syloënſis Domino Abbate Præmonſtratenſi obſervare contigit, qui, dum ſæviſſimâ, eâque longiſſimâ affligeretur colicâ, illicò omnem clyſteriorum injectioni, & aquæ dulcis balneo, ſpem & fiduciam dedit; quibus tandem non juvantibus, quin imò malo, de die in diem, in deterius vergente, ſequentem eidem potiunculam laxantem propinavi:

℞. *Mann. el. in ſ. q. juris capon. diſſolut.* ℥ij. Potio purgans.
ſyr. de cichor. c. rhab. ℥j.
el. diaphanicon. ʒij.
diacartham. ʒj.
aq. phyſogon. ʒß.

Miſce: fiat potio, unâ vice mane aſſumenda. Mirum dictu eſt, quantam pituitæ copiam hæc potiuncula ex optimo Viro expulerit; vix enim ſex horæ elapſæ fuêre, & ultra tres peſſimi ſucci menſuras egeſſit, ſuccedente de momento in momentum valetudinis ſtatu.

Utrum verò pituitoſæ colicæ ablationi emetica conveniant, id non ſatis liquet: cùm alii affirmativam; alii negativam tueantur ſententiam. Inter quos Hieronymus Mercurialis, *lib. 3. de infimi ventris affectibus, cap. 26.* tradit, quòd *primò alvus ſit lenienda; id quod fit tribus modis: vomitu, clyſtere, & medicamentis. Vomitus & clyſteres, in hoc caſu, præferuntur medicamentis.* Petrus Bayrus, *lib. 13. prax. cap. 10.* ait: *quando ſentitur punctio in ſtomacho, & triſtitia cum abominatione, ex indigeſtione corruptarum materierum,* quæ moventur, ut expellantur à corpore, per ſeceſſum, aut per vomitum, aut per utrumque; *tunc curandum eſt, ut materiæ illæ per vomitum expellantur.* Benè quidem, ſed non ſat clarè, Bayrus mentem ſuam explicat, ut proinde & noſtram, hac ſuper re, ſententiam ſubjungendam arbitremur, dicentes, quòd, ſi indicationes vomitum poſtulantes abſint, pituitoſâ colicâ decumbentes vomitoriis non

An Emetica dare liceat?

Quando emetica ſerviunt, & non.

non ſint tentandi: ſi verò continua ventriculi nauſea vomitum inſinuet, ægerque facilè vomat, leviori emeticorum genere vomitus elici poſſit. Tale eſſe poterit vel ſequens, vel eidem ſimilis potiuncula, ut:

Potio emetica.

℞. *Aq. centaur. min.* ℥ij.
ſyr. emetic. Angel. Sal. ℥i. *vel* ʒvi.
aq. cinnam. ʒß. Miſc. F. potio,

quæ, pro patientis exigentia, augeri & minui poterit: & præſtantem revera operationem faciet.

Liberatis nonnihil, per clyſteres, & levia catharticorum genera, inteſtinis ab oneroſa corruptæ pituitæ ſarcina, mihi, præ reliquis medicamentis laxantibus, maximo uſui eſſe ſolet: decoctum Galli veteris, ſequenti modo paratum:

Decoctum Galli veteris.

℞. *Rad. curcum.*
doronic.
aſparag.
polypod. querc.
fœnicul. an. ʒj.
*herb. veronic. M*ij.
mentha,
betonic.
*agrimon. an. M*ß.
flor. borragin.
chamomill.
*meliloti, an. p*j.
*ſambuc. p*ij.
ſem. aniſi.
fœnicul. an. ʒß.
cort. aurant. ℈i.
fol. ſenna ſ. ſ. ʒx.
agaric. trochiſc. ʒij.

myroba-

myrobalan. chebul.
emblic. an. ʒiß.
gialap. ʒi.
maſtic. ℈i.

Cum his ſpeciebus, ritè inciſis incidendis, & contuſis contundendis, impleatur gallus vetus benè mundatus; qui, affuſis priùs *aqua fænicul. fumar. an.* ℥vi. decoquatur vaſe rite clauſo: ubi ſufficienter coctus fuerit, contundantur, fortiſſimèque exprimantur: in cujus expreſſo jure ſolvantur

Mannæ Calabrin. ℥ij

quod deinde, per telam mundam colatum, cum *aqua flor. aurant. absque vino* ℥iß. Miſce, & in vaſe mundiſſimo ſervetur ad uſum. Hujus decocti omni mane ℥iij vel ℥iiij, plures aut pauciores, aſſumuntur, prout ſubjecta faciliùs, vel difficiliùs moventur; hoc vero decocto aſſumpto, tribus vel quatuor horis ab ulteriori juſculorum aſſumptione abſtinetur.

Quales colicas, hanc tenendo methodum, in Marcomannia noſtra curaverim, id fidem ſuperat: & Deum teſtor, quòd per octodecim annorum praxim non, niſi tres mei, ex colica, patientes, membrorum metaſtaſi fuerint correpti; cùm tamen centenos, diverſæ conditionis & ſexûs homines, colicâ paſſione graviſſimè laborantes, habuerim. Sed hoc quid mirum? quoniam (ut Meſue, *lib. 1. de ſimpl. medicam. cap. de jure galli veteris*, tradit) *jus galli antiqui calidum eſt, propter nitroſitatem & ſalſuginem; & eſt lavativum, & ſolutivum natura.* Hinc pituitam lentam attenuat, & ad evacuationem idoneam reddit, flatûs diſcutit, & vi medicamentorum, cum hoc jure decoctorum, blandè omnino purgat, ſuâ pinguedine eroſa inteſtina oblinit, atque ad priſtinum vigoris ſtatum reducit; maximè ſi, cum blandis laxantium pharmacorum ſpeciebus paratum, duodecim dierum curriculo continuatum fuerit. Deinde verò, absque eorum admixtione, cum

Cur decoctum galli colicis conducat.

ſola veronicâ, floribus ſambuci, & China reſinoſa præparatum, per trium ſeptimanarum tempus, manè, à convaleſcentibus aſſumatur. Quòd ſi veſperi etiam, ad ingreſſum lecti, è mente atque conſilio meo, ſequentis tragææ quatuor cultri mucrones quotidiè ſumantur; multò adhuc citiùs feliciusquè colica paſſio curabitur, & ſperata ſalus obtinebitur.

Tragæa ſtomachalis.

℞. *Sem. aniſi,*
fænicul. an. ℥i.
pulv. rad. acor. ſyl.
bacc. juniper. an. ℥iß.
anthos,
cinnam. el. an. ʒß.
ſpec. diarrhod. Abbat. ℥i.
diacalaminth. ℈ij.
ſacchar. albiſſim. q. ſ. ad bonam ſvavitatem.

Miſce: fiat l. a. Tragæa: ſervetur uſui quotidiano.

Medicamēta ſpecifica.

Præter medicamenta jam enarrata, dantur adhuc alia, quæ ſpecificâ planè virtute colicæ paſſioni, à pituitoſis humoribus productæ, mederi aſſeruntur. Inter hæc *inteſtinum lupi, in pulverem redactum,* numeratur; cujus ℥*i. cum vino albo* propinata, teſtatur Riverius, *centur. 1. obſervat. obſervat. 59.* aliisque in locis, ſe plurimos colicâ miſerrimè excruciatos, incantamenti inſtar, curaſſe, qui nullo etiam præſtantiſſimorum pharmacorum apparatu ſanari potuerunt. Alii *oleum Zedoariæ*, à guttis iiij, v, vel vj ad ℈j. aſcendendo, in vehiculo competenti offerunt. Alii *balſamum ſulphuris aniſatum* vehementer laudant: *Theriacam* alii: alii *extractum calami aromatici* valdè commendant. Joannes Crato, *conſil. 170.* ſequentem mixturam divinarum propè virtutum aſſerit, quæ ex *oleo amygd. dulc. ſpermate Ceti, pulvere corticum aurantiorum, radicis Zedoariæ, & vino Malvatico* componitur.

Diverſa Anticolica.

An verò in ſæviſſimis hiſce doloribus colicis, qui à pituita præ-

præternaturali generantur, ad *narcoticorum* uſum tutò tranſgredi liceat, id à Doctiſſimis in utramque partem acerrimè diſceptatur. Et alii quidem omnem eorum uſum improbant, hâc præſertim ratione moti, quòd pituita à *narcoticorum* vi magis inſpiſſetur, contumaciores obſtructiones reddat, & ad crudeliores colo dolores inferendos magis armetur. Inter quos Mercurialis, *lib. 3. cap. 20.* ait: *Sic ego ſentio, in his caſibus vel rariſſimè, vel nunquam, refugiendum eſſe ad ſtupefacientia; quia dolor, à cauſa frigida factus, nunquam adeò vehemens eſt, ut cogat Medicos ad hæc remedia deſcendere.* Jonſtonus quoque, *ab opiatis in totum deſiſtendum,* aſſerit.

An narcotica colicis conveniant.

Alii negant.

Verùm contrarium tuentur Bayrus, Hollerius, Riverius, Rondeletius. Nam hic, *in ſua medendi methodo morbis, cap. 26.* aſſerit: *Si dolor, poſt ſumpta narcotica repetat, lavetur æger balneo, ex iisdem medicamentis, ex quibus clyſteres parantur, ſcilicet emollientibus.* Bayrus, *lib. 13. cap. 9.* inquit: *in forti dolore da* ʒß, *vel* ℈ij, *vel* ʒj. *philonii Romani, per horas duas, poſt cœnam; involvendo in hoſtia madefacta vino.* Hollerius, *lib. 1. de morbis internis, in Schol. cap. 29.* monet, *ut, ſi à nimiùm violentis doloribus periculum immineat, narcotica exhibeantur; ſenibus verò, pueris, mulieribus gravidis, imbecillo calore & viribus præditis, non dentur.* Riverius, *obſervat. centur. 1. obſervat. 12.* aliisquè in locis, narcoticis nihil frequentiùs porrigit. Scribit enim: *Variandæus colico dolore acerbiſſimo torquebatur ab aliquot diebus. Ipſum inviſens, ſtatim præſcribo, ad immanem dolorem coërcendum, quem vix ſuſtinere poterat, laudani opiati gr. vj. quibus intra duas horas dolor omnino ſedatus fuit.*

Alii affirmant.

Horum ego virorum opinioni ſubſcribens, dico, in colica affectione, tum à pituita, tum bile præternaturali genita, narcoticis nec eſſe præſentius, nec tutius remedium; modò alvus minorante quodam pharmaco priùs fuerit reſerata, quàm narcotica ægris fuerint propinata. Nam quòd atro-

Fluente alvo, narcotica conveniunt.

ciores coli dolores omnem edendi appetitum ſternant, ſingulares cordi anxietates generent, & ſomnum quàm maximè ab oculis arceant; id nemo ſanioris mentis homo mihi inficias ibit: quàm verò vehementem, quamquè velocem omnium virium ſtragem vigilatæ continuò noctes inferant, id omnibus præſtantioris experientiæ Medicis probè perſpectum eſt, omnésque, ab immanioribus coli cruciatibus divexati, patientes noverunt informare: ſiquidem multi ab ægritudinis immanitate eo miſeriarum nonnunquam rediguntur, ut, ceſſante dolore, aut ambulare vix valeant, aut, planè membrorum paralyſi correpti, manuum ſuarum operâ uti nequeant.

Colici doloris effectus.

An ergo non præſtet, liberatis priùs à nimia peccantium ſuccorum mephiti inteſtinis, ad narcotica potiùs deſcendere, ſomnum procreare, dolores lenire, & integras penè ſervare vires, quàm, iis turpiter neglectis, ea ſolummodo ſcrupulosè adhibere, quæ nec dolores leniunt, nec refectivum virtutis ſomnum inducunt, nec roboris vigori ſervando ſufficiunt, ſed potiùs ad ſummas valetudinis ærumnas deducunt?

Cur narcotica danda?

Nec obſtat illa Galeni doctrina, quam, *lib. 3. de temperament.* habet, quòd nimirum *opium à corpore noſtro ne vel paululùm demutetur, & ſit frigidum, ut aqua;* proindéque, *lib. de Theriaca* prohibeat, ne eo facilè utamur, quia, ut inquit, *potum per ſe admodùm pernicioſum exiſtit, ut hominem jugulet.* Reſpondeo enim, quòd, ſi æquâ rationis bilance opii virtutem accuratiùs trutinaverimus, illius vim nequaquam frigefactivam, ſed potiùs calefactivam deprehenſuri ſimus. Nam primò: quæcunque ſudorem movent, ſunt calida; ut placet Jonſtono, *lib. 3. cap. 5.* ſed, opium ſudorem elicere, quotidianâ docemur experientiâ, in iis, quibus, ſomni inducendi causâ datum, præter ſomnum allatum, etiam inſignem ſolet cauſare ſudorem. Secundò: ipſo etiam dictante Galeno, *lib. 5. de ſimpl. medic.*

Opium nocet.

Opium calefacit.

medic. facult. cap. 18. anodyna ſunt calida, & tenuium partium, non verò frigida. Inquit enim: *quæ reverà ſunt anodyna, partium ſunt tenuium & calidiora, neceſſe eſt; ut ſcilicet evacuent, digerant, rarefaciant, attenuent, concoquant, & æquabile reddant, quidquid partibus doloris eſt cauſa.* Si ergo vera anodyna ſunt talia, qualia ea eſſe ipſemet tradit Galenus; etiam tale erit opium: cum illud ſit veriſſimum & omnium anodynorum efficaciſſimum.

Nec valet quorundam objectio, qui dicunt, quòd opium frigiditate ſuâ ſomnum conciliet, eóque durante, calor, revocatus ad interiora corporis viſcera, juvet concoquendorum digeſtionem; quódque, hâc probè peractâ, ſudor naturaliter erumpat. Nam utrunque claudicat membrum. Nec enim opium frigiditate ſuâ ſomnum conciliat; nec, quia ſomnum conciliat, ſudorem movet. Prius confirmatur ab ipſo Galeno, *lib. 1. de ſympt. cauſis circa finem*, ubi dicit: *ea, quæ duntaxat humectant, non abs re ſomnifera nominantur: quæ verò refrigerant, ea nec ſomnum conciliare, nec indolentiam inducere, verè dicentur.* Poſterius ex ipſa oculari inſpectione habemus, quando videmus, quòd opium etiam vigilantibus ſudorem moveat. Ad hæc, ſi à calore, ab exterioribus corporis partibus ad interiores revocato, cauſaretur ſudor, ſemper ſomni tempore deberet erumpere ſudor; ſiquidem ſemper calor intro revocatur. Nec ſatisfacit hæc objectio, quòd non ſemper debito modo fiat concoctio; proindequè, vacillante concoctione, non poſſit excitari ſudor. Reſpondeo enim ex Hippocratis *aphoriſ. 41. ſect. 4.* nunquam ſudorem in ſomno excitari, niſi adſit repletio ciborum: atqui à repletione concoctionem impediri, haud ullus ignorat Medicus.

Objectio. Reſponſio. Reſponſio ſecunda.

Sed nec illi quorundam Medicorum opinioni ſubſcribo, qui perperam aſſerunt, fieri poſſe, ut opium eo modo ſudores excitet, quo frigida, tempore æſtivo hauſta, à concentrato ſcilicet

Objectio ſecunda.

Reſponſio. ſcilicet calore fortiùs inſurgente. Nam & hic reſpondeo, me libenter concedere, quòd à frigidis nonnunquam rebus poſſit moveri ſudor; modò mihi admittatur reciprocè (quod negari haud poteſt) hoc non fieri, niſi per accidens, prout in noſtro, *de potûs glacie frigefacti*, *tractatu* fieri probavimus.

Opium per ſe ſudorem movet. Opium autem movere ſudorem per ſe, id imprimis ipſius recenter aſſumpti manifeſta qualitas calida teſtatur, & ipſiusmet Galeni doctrinâ, *lib. 3. de temperamentis* confirmatur; ubi clarè docet, medicamenta eâ qualitate agere per ſe, quæ primò percipitur: primam autem ejus qualitatem eſſe caliditatem ex ſiti, quam infert, fit manifeſtum: prout etiam ex mira ejusdem aſſumpti, per univerſam corporis regionem diſperſione. Mox enim, ut aſſumptum fuit, ejus odor adeò velociter, per univerſam omnium venarum, arteriarumquè ſe effundit propaginem, ut ab aſtantium olfactu ejus odor excipiatur; quod ipſum evidentiſſimum eſt argumentum, ſudorem ab opio per ſe provocari.

Denique, ut rem paucis perſtringam verbis, tantum abeſt, ut narcotica, ex opio præſertim præparata, aliquod vitæ periculum comminentur; ut potiùs vitæ propagandæ plurimùm commodent.

Ex opio facta vitam prorogant. *Nam* (ut teſtatur Fragoſus, Philippi II. Regis Hiſpaniarum, Archiater) *vulgatiſſimus eſt apud Affricanos & Aſiaticos opii uſus, ſiquidem ejus eſui ita aſſveverunt, ut etiam abſtinere ab eo nequeant, ſine vitæ periculo. Quod admiratione non caret. Utuntur eo quidam, ad levandam laſſitudinem, contractam ex laboribus, & ad inducendam oblivionem curarum. Quantitas porrò, quam capiunt, eſt à viginti, usque ad quinquaginta grana hordei.*

Opii uſus præſtans. *Fuit tamen quidam Secretarius Regis NiZomoxa, qui comedebat quotidie plusquàm unciam opii: &, licet ſtupidus & dormitabundus ſemper videretur, aptiſſimè tamen res tractabat. Tantum conſvetudo potuit. Narrat Bellonius, lib. 3. obſervat. cap. 15. opium abundantiſſimè cogi ex papavere candido totâ Paphlagoniâ,*

Cappa-

Cappadociâ & Ciliciâ; apudq́; Turcas & Perſas ſummo eſſe in uſu: illius enim eſu animoſiores ſeſe exiſtimant, neque belli pericula formidare: ut nullus ſit, etiamſi aſperum ſolum haberet, qui ejus dimidium in opium non impenderet; quod pace & bello ſemper circumfert. Unde tantarum virium opium ſtatuo, ut ejus uſum non tantùm fructuoſiſſimum proclamem; ſed etiam tot ſæculis, ob antiquatos nonnullorum Veterum errores, è campo Medico proſcriptum & exulantem, jure meritiſſimo revocandum, & inter celebratiora hujus ſæculi pharmaca recondendum eſſe judicem. Quoniam jure jurando affirmare tutò poſſum, quòd tantas opii, aut ex illo compoſitorum remediorum, vires hactenus ſum expertus, ut eorum beneficio plurimos vel ob curas, aut colicos dolores dormire non valentes, aut catarrhoſis defluxionibus vehementiùs obnoxios, non tantùm reſtituerim, ſed etiam ad annos à ſuis miſeriis immunes fecerim. Inter narcotica pharmaca ſequentes quoque *Pilulas* ſtatuo:

Pilulæ narcoticæ.

℞. *Myrrh. rub. Sil.* ʒij.
extract. croc.
laudan. opiat. an. gr. xij.
extract. vitriol. narcotic. gr. xviij.
balſam. Indici q. ſ.

Miſce: Fiant pilulæ xxxx. Deaurentur, & quatuor, quinque, 6 vel 7. noctu, ante decubitum, alternis diebus, exhibeantur.

Verùm urgentibus potentiùs coli doloribus aut ſingulis, aut alternis diebus, veſperi ad ingreſſum lecti (evacuatis priùs, per clyſterem, à nimia fæcum copia, inteſtinis) ſequentem ſoleo dare *Bolum*, qui dolores colicos non ſolùm compeſcit, ſed etiam ſvaviſſimum adfert ſomnum:

Bolus ſomniferus.

℞. *Conſ. roſar. rub.* ʒij.
confect. alkerm. ʒj.
laudan. opiat. gr. iij vel iv.

(plus aut minus, prout patientis conditio poſtulârit)

ſpir. nitri gt. ÿ vel iÿ.

Miſce: detur horâ ſomni, unâ vice.

Verùm enim verò hiſce omnibus longè melius, longequè fructuoſiùs operatur ſequens noſtra *Maſſa anticolica*, quam nobis, hactenus ſecretam, publico omnium colicorum bono revelatam cupimus.

Maſſa contra colicam.

℞. *Opii Thebaici, leni igne à ſulphure ſuo l. a. depurati, & ſucc. citri extract.* ℈iiÿ.
croc. Auſtriac.
cinnam. elect.
maſticis, an. ℈iiiß.
nuc. moſch. opt. ℈ÿ.
rad. ireos Flor.
pæon. mar. an. ʒi.
magiſt. ocul. 69.
corall. utriusque,
perlarum, an. ℈i.

Ex omnibus ritè pulveriſatis, probéque inter ſe mixtis, cum ſ. q. vini albi optimi, fiat Maſſa, quæ reponatur ad uſum.

Quanta ſit hujus maſſæ anticolicæ, in ſedandis coli doloribus, efficacia; quanta, non ſolùm in ſvaviſſimi ſomni inductione, virtus; ſed in dyſentericis etiam alvi profluviis poteſtas, id ſufficienter exprimere nequeo. Nam tales coli dolores hâc noſtrâ maſsâ anticolicâ curavimus, quales nulla medicamentorum antidota, per multa etiam ſeptimanarum ſpatia continuata, ſanare poterant. Somnum enim ſvaviſſimum, citra ullam cerebri perturbationem, infert, dyſentericis alvi profluviis tantâ virtute reſiſtit, ut iis, ante duos annos, populariter graſſantibus, mihi nec unicus fuerit mortuus, cui hoc antidoto contigit obviare. Datur autem pulveriſata à granis 5. 6. ℈ß. ad ℈iß, usque ad ʒj. aſcendendo,

Dyſenteriæ curatio.

cum

cum ſ. q. vini albi antiqui, prout natura fuerit magis vel minùs robuſta, & ætas maturior vel immaturior; quamvis tamen rarò ʒß. ſoleam transgredi. Ubi hoc notandum occurrit, quòd maſſa, per duas horas vino infuſa, ſuum ita characterem imprimat, ut vinum, à maſſa decantatum, per ſe aliquando tam ſvaviter dolores demulceat, dyſenterica alvi profluvia ſedet, & dulciſſimum oculis ſomnum inducat, ut ipſius maſſæ propinatione non ſit opus.

Præter jam allatas pharmacorum ſpecies, etiam externa multa adhibentur, quæ viſcoſæ, lentæ & tenacis pituitæ reſolutioni, inciſioni, attenuationi, flatuúmque, ex corruptâ pituita prodeuntium diſcuſſioni plurimum ſerviunt. Talia, ex oleis, ſunt: *chamomillæ, anethi, rutæ, amygdalarum dulcium, lini, lauri, carminativum Mynſichti &c.* Vel — Anticolica externa.

℞. *Ung. dialthea compoſit.*
ol. chamomill. an. ℥ß.
aneth.
rutac. an. ʒij.
de laterib.
laurin. an. ʒi.

Unguentū Anodynum.

Miſce: fiat linimentum, quo bis de die, ad carbones, inungatur regio dolens.

Pituitam quoque corruptam, & in coli inteſtino hoſpitantem, acerbiſſimóſque dolores parientem, refrenat *emplaſtrum de baccis lauri;* quod alutæ inducitur, & facto in medio alutæ foramine, umbilico imponitur. Huic quoque intentioni plurimum prodeſſe illud Sylvii emplaſtrum, expertus ſum, quod, *lib. 1. prax medicæ, cap. 14.* ſic deſcribit: — Emplaſtrum de baccis lauri.

℞. *Gumm. galban.*
bdellii,
ammoniac. an. ℥ß.

Emplaſtrum Sylvii.

thuris maſcul.
myrrh. rubr. an. ℨij.
opii Thebaici ℨi.

Diſſolve in *acet. ſquillino*, iterumquè inſpiſſatis adde

ceræ citrinæ,
colophoniæ, an. ℨiij.
balſam. Peruvian.
ol. Philoſophor.
hypericon. an. ℨi.
carvi ſtill. ℈ß.
terebinth. Venet. q. ſ.

Miſce: fiat, ſ. a. Emplaſtrum. *Hoc emplaſtrum* (ut ait Sylvius) *extendendum ſuper alutam, eámque formatam priùs ſecundum tumoris, aut loci dolentis, amplitudinem, & figuram, charta ei impoſitâ & diſſectâ obſervandam.*

Diverſi etiam, hunc in finem, ſacculi, ex diverſis ſpeciebus compoſiti, ægræ inteſtinorum regioni imponuntur, ut

Sacculi Carminativi.

℞. *Rad. alth.*
leviſtic. an. ℥ß.
Imperator. ℨiij.
fol. malv.
menth.
origan. an. Mj.
flor. chamomill.
hypericon. an. Mj.
ſem. cumin.
fœnicul.
aniſ. an. ℨiij.
nigellæ. ℨij.
cortic. aurantior. ℨiß.
ſummit. anethi ℨi.

Omnia

Omnia contuſa & inciſa ſacculo indantur, & ex ſ. q. *vini albi* coquantur, & regioni malè affectæ applicentur, ſæpiùs reiterando.

Hîc oritur quæſtio: cur ſæpiùs accidat, ut colica, à pituita corruptâ producta, nullis omnino cedat remediis, etiam ſummâ Medicorum induſtriâ & arte adhibitis: quin eodem ſemper modo affligat, usque dum, pereuntibus omnino viribus, ægrotus, inter atroces inteſtinorum dolores, miſere fatis concedat? Reſpondeo: id diverſas quidem ob cauſas evenire poſſe; maximè tamen vel ob inteſtinorum ad ſcrotum prolapſum; quæ dum violenter, aut infelici fato, reponuntur, aliquando complicantur, unde ingentes naſcuntur dolores, inflammationes: quibus miſeriis correptos neceſſum eſt mori: aut propter materiam, exterioribus inteſtinorum tunicis adhærentem, quæ, continuò fermentans, inteſtinorum tunicas, acutiſſimo ſenſu præditas, inceſſanter rodit, dolores ſinè mitigatione infert, &, licet alvus emolliatur, fæces in inteſtinorum cavitatibus commorantes everrantur, flatúsque prorumpant; malum tamen non miteſcit, usque dum materia peccans, ſucceſſu temporis, à natura digeratur, aut cauſa, digeſtionem & evacuationem non admittens, planè emori faciat: qualiter eveniſſe conſtat, ex obſervationibus, à clariſſimo Chomel Annonæenſium Archiatro, Doctiſſimo Riverio communicatis, *obſervat. 4.* ubi ſcribit: *Puella quadam, annos nata quatuordecim, laborabat colico dolore atrociſſimo, cum ventris inflatione, qui neque clyſteribus, neque potionibus purgantibus, vel lumbricos enecantibus ſedari poterat; ſed tantùm balneo tepido ſopiebatur, ſed egreſſæ à balneo recurrebat, donec, intra viginti dies, ægram de medio ſuſtulerit; per biduum, ante mortem, magnam ſanguinis nigerrimi copiam per alvum excrevit. Diſſecto cadavere, inventa eſt multa pituita vitrea, externæ inteſtinorum tunicæ adhærens, & per totam eorum longitudinem fruſtillatim diſperſa, magnitudine*

Quæſtio, cur aliqui moriantur colicâ?

Reſponſio.

Colica in externis inteſtinorum tunicis cauſata.

tudine variâ; ut quædam fruſtula fabæ, alia avellanæ magnitudinem æquarent. Ubi notanda eſt ſedes materiæ, colicum dolorem efficientis, & Authoribus non expreſſa: nempe externa inteſtinorum ſuperficies.

Colicæ à flatibus curatio.

Eodem ferè modo illa colicæ paſſionis ſpecies curatur, quæ ſuum à flatibus habet initium; ſiquidem copioſiſſimi à pituita ſola, aut bili commixtâ, flatûs generari ſolent, qui non tolluntur, niſi cauſa eorum productiva fuerit ablata. Unde iisdem penitùs innitendum eſt remediis, quibus nos inniti debere, in allegata jam colicæ paſſionis, à pituita productæ, curatione intimavimus; niſi quòd iis majoris operationis carminativa, &, ſi pituitæ bilis commixta fuerit, cholagoga commiſceri debeant. Quòd ſi autem, ſublatâ ex inteſtinis materiâ peccante, flatulenti nihilominùs in colo dolores non ceſſarent, oporteret ventoſam magnam, cum plurima flamma, umbilico imponere; ſiquidem hæc, incantamenti inſtar, dolorem à flatu ortum ſedat; teſte Galeno, *lib. 12. meth. med.* ubi aſſerit: *quia à ſolo ſpiritu flatuoſo cruciantur, illicò, cucurbitâ admotâ, tum à dolore liberi, tum omnino ſani redduntur; in quacunque corporis parte dolor ſit excitatus.* Ubi tamen, *lib. 13. meth. med.* monet: *Vacuari tamen priùs totum corpus expedit;* quoniam (ut idem, *lib. 12. meth. med.* tradit) *ſi non ſpiritus flatuoſus ſolus, ſed etiam humor, unde is oritur, ventris dolorem excitat, iis illicò ad tempus dolor ſedatur: redit tamen vel in ſequenti nocte, vel poſtridiè, vel etiam tertio die, ſimilis dolor. Quare vacuandus humor, infuſo per ſedem aliquo pharmaco calefaciente ſimul & attenuante.* Nam (ut idem Galenus, *lib. 14. meth. med.* habet) *ſcopus omnium inflationum communis eſt, ut, quod præter naturam eſt, vacuetur; in quacunque corporis parte id contineatur: proprius verò, ut tenuiſſimis & calidis poteſtate medicamentis. Atque in inflatis viſceribus, oleum, quod tenuium ſit partium, quódque rutam habeat incoctam, aut ſemen cumini, aut opii, aut petroſelini, id præſtabit.*

Ventoſa magna.

Unde

Recidiva Colicæ.

Eodem

Eodem modo, ſi dolor colicus à fæcum diutiùs retentarum exſiccatione & induratione prognata fuerit; victu emolliente & humectante utendum eſt, juſculis videlicet carnis cum *ſpinachia, beta, mercuriali, floribus malvæ, radicibus althaæ &c.* præparatis emolliri debent: aut decoct. *prunor. caſſ. fiſtul. pulp. tamarindor, manna cum ol. amygd. dulc. &c.* ſæpiùs per diem aſſumi debent. Clyſteres quoque emollientes, ſæpius, de die reiterati, præ reliquis, in hoc affectu locum habent, eò quòd integri, & immediatè, ad locum affectum pertingant. Talis autem, vel ei ſimilis, eſſe poterit:

Colicæ ab induratis fæcibus curatio.

Clyſterium emolliens.

℞. *Rad. malv.*
alth.
lil. albor an. ℥iij.
herb. malv.
parietar.
bismalv.
mercurial.
branc. urſin. an. Mj.
veronic.
violar. an. Mß.
flor. chamomill.
malvæ, an. Mj.
ſem. lini,
fœnigræc. an. ℥ij.
cydon.
malv. an. ℥i.
fænicul. ℈iiij.

Coque ex ſ. q. aq. Colaturæ ℥xij. adde

ol. diaphanic.
benedict. laxativ. an. ℥v.
ol. amygd. dulc. ℥i.

lil.

lil. albor.
chamomill. an. ℥ß.

Miſc. f. Clyſter: applicetur unâ vice, non nimis tepidè: vel, quod mihi, in hoc caſu, maximè eſt uſuale:

Clyſter cum jure vervecino.

℞. *Decoct. capit. vervec. q. ſ.*
quo cum ebulliant
rad. althææ ℥ß.
malvæ ʒiij.
herb. malvæ
branc. urſin.
parietar. an. Mß.
veronic. Mj.
flor. violar.
malvæ, an. Mß.
chamomill. Mi.
ſem. lini ʒiij.
cydon. ʒiß.
Colaturæ ℥xij adde
elect. diaphænic. ℥*i.*
ol. amygd. d. ℥*i.*
chamomill.
rut. an. ℥ß.
vitell. ovor. num. 1.

Miſce: Fiat Enema, & injiciatur, ut moris eſt.

Fæces, in flexuoſis coli cavitatibus induratæ, externis quandoque fotibus emolliuntur, v. g.

Fotus.

℞. *Rad. altheæ,*
malvæ, an. ʒiij.
herb. parietar.
mercurial.
malvæ, an. Mß.

menthæ,

menthæ,
origan.
pulegii, an. Mj.
flor. malv.
chamomill.
melilot. an. Mj.
ſem. aniſ.
fœnicul. an. ꝑij.

paretur, cum ſ. q. aq. & vini Cataplasma, &, inunctâ priùs umcilici regione ſequenti Linimento, apponatur:

℞. *Ol. amygd. dulc. ℥ß.* Linimentum.
chamomill.
anethi
laurin.
rutac. an. ʒi.
ung. dialth.
Agripp. an. ʒiiß.

Miſc. inungatur venter: & vel jam præſcriptum Cataplasma, vel Sacculi, ex rebus pro Cataplasmate ordinatis formati imponantur: vel omentum hædi, aut agni, aut vituli calefactum, vel ſupra craticulam, donec pinguedo diſſolvi incipiat, parum toſta & ventri impoſita valde proſunt; in iis præſertim doloribus, qui à fæcibus, emollitionem difficulter ſuſcipientibus, ortum ducunt.

Tali quoque ratione in eâ coli paſſione procedendum eſt, quæ à bilioſis inducitur excrementis, quali in iis coli doloribus faciendum eſſe inſinuavimus, quæ à corruptis pituitæ fæcibus producitur. Utriusque enim curatio in cauſarum ablatione, & doloris mitigatione, conſiſtit. Si ergo contingat, ut dolorosus hic affectus ab acri, bilioſo, penitúsque mordaci humore procreetur, diligenter examinandum venit, an dolor Colicæ bilioſæ curatio.

colicus affligat cum febri; vel ſine febri. Si cum febri deſæviat, conſiderandum erit, utrum febris colicum dolorem; utrum verò colicus cruciatus febrim produxerit. Nam ſi febris eſſet cauſa doloris colici; ad eam totus curationis ſcopus dirigi deberet: ſi verò à colicæ paſſionis ſævitia febris ſuam haberet originem; totus curationis obex colici doloris cauſæ eſſet opponendus. Utrumque autem tali medicamentorum apparatu peragi debet, ut humoris bilioſi, colicam paſſionem cauſantis, acrimonia tollatur, & dolor mitigetur: quod primò refrigerantibus, humectantibus, anodynis, bilioſorum & mordacium ſuccorum copiam expurgantibus perficitur clyſteribus, v. g.

Quid in hujus cura ſpectandū.

℞. *Rad. althaæ,*
malv.
cichor.
acetoſ. an. ʒij.
liquir. raſ. ʒiij.
herb. endiv.
lactuc.
violar.
parietar. an. Mß.
flor. chamomill. Mj.
melilot.
malvæ,
ſambuc. an. Mß.
ſummit. anethi piij.
ſem. lini ʒiiß.
cydon. ʒiß.
fænicul. ʒi.
Coq. ex ſ. q. aq. fontan. Colaturæ ℥xj adde
elect. diaphænic. ℥i.
de pſyllio ʒiii.

Clyſter leniens.

ol. amygd.

ol. amygd. dulc. ℥i.
chamomill.
aneth. an. ℥ß.
ſal. gemmæ. ʒi.

Miſc. f. Enema, cujus doſim, pro ſubjectorum curandorum majore vel minore capacitate, augere, vel minuere licebit. Si nihilominùs contingeret, doloris colici vehementiam abſque remiſſione continuari; etiam aliud enema, magis anodynum & abſtergens, componi poſſet ſequens, quo fructuosè ſemper utor:

℞. *Rad. alth.*
lil. albor.
malv.
liquirit. an. ℥ß.
fol. malvæ Mj.
flor. chamomill. Mj.
melilot.
ſambuc. an. pij.
ſem. anethi ʒij.
rut. ʒj.

Clyſterium Anodynum

Coque ex ſ. q. *Lactis recenter mulſi, vel decocti capitis Vervecini.* Colaturæ ℥xj. adde

mell. roſ. ſol. ℥iß.
ol. violar. ℥ß.
ſacchar. Thom. ℥iß.

Miſc. applicetur, ut moris eſt.

Liberatis, per hujusmodi remedia, primis viis, à nimio bilioſorum & mordacium humorum infartu, ad pleniorem evacuationem procedendum eſt; quæ aut per potiones, alvum blandè ſubducentes, inſtituitur, aut pilulas, aut bolos, aut pulveres: ad quos tamen raró deſcendendum, eò, quòd bilioſi plerunque ſint graciles; quorum corpora pulveribus

Pulveres nō competunt in colica.

plus lædi, quàm juvari ſolent. Ad hæc colicos dolores augere ſolent, inteſtinorum parietibus adhærendo, & continuò lancinando. Unde potiones eligendas judico, qualis ſequens eſſe poterit, aut ei ſimilis:

Potio laxativa.

℞. *Rad. alth.*
polypod. q. an. ℥ij.
herb. cichor.
endiv.
lactuc.
flor. cich. ſyl.
ſambuc.
chamomill.
malvæ, an. pj.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥ij.
rhabarb. el. ℈iiiß.
paſſul. min. exacinat. ℨii.
tamarindor. ℨiß.

Coque ex ſ. q. aq. & poſt coctionem ſtent infuſa per noctem, manè, repetitâ levi ebullitione, colatur. ℥iiß vel ℥iij adde
mannæ elect. ℥iß.
ſyr. de cich. cum Rhab. ℥i.
elect. diaphanic. ℨii.

Miſc. f. Potio unâ vice tepidè capienda. Vel

Potio ſecunda.

℞. *Aq. laxat. Viennenſ.* ℨiiß.
ſyr. roſar. ſolut. ℥i.
elect. diaphanic.
tamarindor. an. ℨii.
aq. cinnam. ℨi.

Miſce: pro una doſi, manè, tepidè capienda. Si verò accidat, ut Patientes medicamenta nauſeent, gratiſſimi ſaporis ſequentem exhibere ſoleo:

℞. *Mann.*

℞. *Mann. granat. opt.* ℥iiß. Potio tertia.
cremor. tartar. ℈v.
aq. cichor. ℥iß.
cinnam. absq; vin.
fænicul. an. ℥ß.

Contunde in mortario vitreo, ſenſim affundendo aquas, deinde filtretur per chartam emporeticam; cui adde *reſin. ſcammon. cum ſem. melon. ſubact. gr. vij.* (plura, aut pauciora accipi poterunt) Miſc. Fiat Potio, quæ tam ſvaviter bilioſos ſuccos evacuare ſolet, ut tormina, ſi quæ priùs urſerunt, tollantur, & Ægroti amiſſo valetudinis ſtatui reddantur. Si alicui Bolus placeret, ſequentem aſſumere poſſet:

℞. *Elect. diaphanic.* Bolus laxans.
de pſyll. an. ℥ß.

Miſc. detur unâ vice, plus, aut minùs, prout patientis purgandi vires, morbíque cauſam, requirere notaverimus.

Si cuidam, præ reliquis medicamentis, placerent Pilulæ, eò, quòd, ob ſingularem ſtomachi nauſeam, aliis remediis uti non poſſit, huic ſequentes, aut iis ſimiles, pro rei exigentia, exhiberi poſſent:

℞. *Extract. cholagog.*
rhabarb. Pilulæ.
hellebor. nigr. an. gr. vij.
diacatholic. gr. v.
pul. Warvvich gr. iij.

C. ſ. q. *ſyr. roſar. ſolut.* Miſc. f. Pilulæ num. ix. inauratæ dentur pro una doſi.

At hîc ſuboritur quæſtio: an in colica paſſione, à bilis præternaturalis ſpeciebus cauſatâ, conducat vomitus? Ratio dubitandi ex illa procedit diſtantia, quæ locum affectum inter, & vomitionis viam, intercedit. Nam difficile, imò verò impoſſibile videtur, ut birioſa illa excrementa, in inteſtini coli An vomitus conducat?

cavitatibus ebullientia, ad ſtomachum revocentur, & per os evacuentur. Ad hæc alia datur evacuandi via, colo ſtatim contigua, per quam humorum, colicam bilioſam producentium, ſarcina commodiſſimè deponitur: ergo vomitus in colicis cruciatibus locum non habet. Hiſce tamen non obſtantibus, Bruële, *in ſua, de colica paſſione, methodo*, dicit: *Vomitus ante cibum, ſi quis facilè vomat, in colici mali principio potiſſimum fiet.* Mercurialis, *cap. de colico dolore*, aſſerit, in colica paſſione clyſteribus & emeticis remedium non eſſe præſentius.

Quando vomitus proſit.

At nos, in hujus quæſtionis reſolutione, dicimus, opus eſſe diſtinctione. Si enim tantus adſit bilioſorum acriúmque humorum apparatus, ut aut toto redundent corpore, aut potioribus ejus partibus, & (ut loquitur Hippocrates, *aphoriſ. 17. ſect. 4.*) *adſit ciborum faſtidium, oris amaritudo &c. purgatione per ſuperiora opus eſſe, ſignificat.* Si verò bilioſum hoc malæque indolis fermentum, tantùm in inferioribus corporis partibus hoſpitetur, per proximos quoque, utpote magis capaces illarum partium ductûs, inutilem hanc humorum cloacam expurgare competit; mandante ſic eodem Hippocrate, *aphoriſ. 21. ſect. 1.* ubi aſſerit: *quæ educere oportet, quo maximè vergere videbuntur, ducito, viis ac locis utiliter eò ferentibus.* Si itaque bilis in inteſtino colo, eique immediatè adhærente regione dominetur, coliquè paſſionem excitet; per inferiora evacuantibus utendum eſt; eò, quòd inteſtinum colon, ano vicinum, moleſtam humorum copiam, per hanc viam, facili planè negotio deponat. Si verò corrupta hæc bilis excrementa in prima etiam corporis regione, utpote ſtomacho, illique adjacentibus viſceribus, exorbitent; commodiùs evacuari non poſſunt, quàm per vomitum: ſiquidem, fluente etiam alvo, colici dolores citiùs non ſiſtuntur, quàm materia peccans è tota corporis regione evacuata fuerit. Nam bilis continuò ad inteſtina motu deferrur, malum recrudeſcere facit, ut habet Joan-

Joannes Crato, *Conſil. 173.* inquiens: *ideo paroxyſmi colici diutiùs durant, & toties recrudeſcunt, quòd ſubinde nova fiat effuſio humorum ex venis in inteſtina, quæ quia imbecilliora ſunt, ideoque recipiunt ad ſe miſſa.* Ego affirmare poſſum, quòd præſtantis doctrinæ, magnorum ſtemmatum, alióſque quàm plurimos habuerim, utriusquè ſexûs, homines, qui, graviſſimis coli doloribus excruciati, aut unico vomitu & purgatione fuerunt ab iis liberati; aut, ſinè vomitûs concitatione, graviſſimis coli tormentis non potuerunt vindicari: tantarum nimirum eſt virium aliquando vomitus, ſi opportunâ occaſione, in colica paſſione, fuerit excitatus. Emetica autem in colica paſſione, à bilioſis ſuccis oborta, cujusvis ad vomitum diſponendi naturæ accomodari debent; ita, ut facilè vomentibus leviora; difficiliùs, vehementiora dentur. In hoc caſu mihi uſualia eſſe ſolent: Cauſa recidivæ in colica.

℞. *Summitat. centaur. minor.*
flor. chamomill. an. pij.
rad. aſari,
ſem. raphan. an. ℈ij.

Inciſa & contuſa coquantur ex ſ. q. aq. ad remanentiam ℥ij. quibus colatis adde

ſyr. emetic. Angel. Sal. ℥ß.
tartar. emetic. Zvvelfer. ℈ß.

Potiones vomitum concitantes.

Miſce: plus, aut minus, pro majori vel minori patientis exigentia dari poteſt, ſignando: Potio emetica, tepidè aſſumenda. Vel

℞. *Aq. centaur. min. ℥iiß.*
ſyr. emetic. Angel. Salæ ℥j.

Miſc. pro una doſi. Ubi notandum occurrit, quòd poſt duos vel tres vomitûs ſit bibenda cerevíſia tepida, cum butyro recenti; aut aliud competens juſculum, vomitûs promotionem facili-

faciliтans, quod tribus peractis vomitibus toties eſt reiterandum, quoties vomitus contigerit.

Si, vomitu & purgatione peractâ, nondum ceſſarent colicæ paſſionis cruciatûs, ob materiam totum corpus occupantem, & ſenſim ad inteſtina deſtillantem, ad digerentium pharmacorum ſuppetias transeundem eſt, qualia ſunt ſequentia:

℞. Rad. cichor.
althaæ,
polypod. quer.
acetoſ. an. ℥iij.
herb. endiv.
veronic.
lactuc.
portulac.
cichor. an. Mj.
flor. cichor. ſyl. piij.
violar.
malvæ, an. pij.
ſambuc.
bugloſſ. an. pj.
paſſul. min. exacinat. ℥j.
tamarindor. ℥ij.

Apozema deoppilativum.

Coque ex ſ. q. aq. fontan. Colaturæ ℔iß. cum album. ovi clarificat. adde

ſyr. byzantin. ℥iiß.
de duabus radic.
endiv. ſimpl. an. ℥ij.

Miſc. divide in ſex doſes æquales: & omni mane propinetur una. Poſt hujus decocti uſum, ad pleniorem corporis evacuationem deſcendendum eſt: quæ aut ſuperioribus allegatis, aut iis ſimilibus purgantibus inſtitui poterit; prout pru-

prudens artiſque Medicæ probè peritus Medicus judicaverit.

Si denique (quod tamen, in Marcomannia noſtra perrarò evenire, obſervavi) coli dolores ab ejusdem inflammatione, aut apoſtemate generarentur, aut ſanguis in colico dolore vehementer peccaret, haberètque rationem cauſæ principalis, aut ſine qua non; mox venæ-ſectio celebranda foret, niſi quid obſtaret, quod eandem prohiberet. Hujus mecum ſententiæ, inter alios, eſt Hollerius, qui, *lib. 1. de morb. intern. cap. 39. in ſchol.* ait: *Phlebotomia conceditur, ſi febris adſit; etiam ſine hac, ubi acutiſſimus dolor, & omnia, conſentiunt; ſed angusto foramine, paucâ vacuatione.* Hanc venæ inciſionem maturè quidem, ſatisquè largiter non unâ tamen (ſi malum hoc aut à ſanguine ſuam trahat originem, aut ab illo foveatur, & integræ patientis Vires conſtiterint) ſed repetitis vicibus, faciendam arbitror: primò, quod inteſtinum colon, ileo adnatum, graviorem eidem affectionem ſuam facili negotio communicet. Ileo verò, à coli inflammatione, etiam præter naturam affecto, & in conſenſum tracto, non modò periculoſiſſimus redditur affectus; ſed ſæpiùs etiam, oboriente vomitu & ſingultu, & deſipientiâ, & convulſione mors velociſſimo ſuccedit greſſu: de quo aliâs jam actum eſt. Secundò largiter quidem, ſed paulatim, venæ inciſionem faciendam eſſe, ſtatuo, ut ſanguinem, ad affectum locum impetuoſiùs ruentem, cum moderamine revellamus, nimiúmque calentes inteſtini coli tunicas ſucceſſivè refrigeremus, integrúmque virium robur ſervemus; *Extrema ſiquidem evacuationes ſunt periculoſæ;* ut inquit Hippocrates, *aphoriſ. 3. ſect. 1.* Proinde in hac colica paſſione, ab inteſtini coli inflammatione productâ, ſi venæ ſectione opus fuerit, largiter quidem, ſed per repetitam in brachio inciſionem, ſanguinem emittendum judico. Ubi hoc notandum eſt, quòd, ſi hoſce coli dolores ab inflammatio-

Inteſtinorum inflammationis cura.

Venæ-ſectio.

Venæ-ſectio moderatè facienda.

matione accidere contingat, à purgantium exhibitione ſit cavendum; eò, quòd per purgationem humores magis concitentur, ad inteſtina defluant, & acrimoniâ ſuâ calorem inflammationémque augeant.

Diæta colicorum. Diætam, in colicis doloribus, genericam, aut univerſalem determinare, admodum difficile eſt; quia, uti ex jam dictis patet, nunc à cauſa calida, nunc frigida, producuntur; jam à vermibus, fæcibus induratis, aut inflammatione generantur: adeò, ut diæta toties variari debeat, quoties cauſa colicam paſſionem excitans variatur. Si igitur hæc paſſio à bilioſis, calidis ſiccíſque cauſis fuerit producta, neceſſe eſt, ut aëre curetur frigido & humido, cibo pauco, qualitatibus ſibi contrariis prædito, liquido magis quàm ſolido. Proinde nonnulli, in hac cauſa, curationem ab alimento medicamentoſo auſpicantur; ut eſt, *ptiſana*, *endivia*, *cichorium*, *lactuca*, *&c.* Galenus commendat *erinaceum*, alióſque laudabilis ſucci cibos, corruptionis nævo non facilè obnoxios. Loco *vini* bibatur *decoctum hordei & tamarindorum*, *julepo roſarum*, *aut ſyrupo acredinis citri*, *&c.* edulcoratum, addito *aquæ cinnamomi* modico, ſvavioris ſaporis gratiâ: ubi tamen omnia eſculentorum & potulentorum genera ſunt excludenda, quæ calefaciendi, ſiccandique vi ſunt prædita.

Diæta colicæ à cauſa frigida. Si verò intolerabile hoc coli malum à frigida cauſa ortum ſuum habuerit, oportet, ut cibus calefaciendi & attenuandi potentiâ ſit donatus: &, ſi flatulentiam quandam, aut frigiditatem ſapiat, aromatibus calidis, & incidendi vi præditis ſunt condiendi: *ut zinzibere*, *cinnamomo*, *mace*, *&c.* Eadem flatulentæ coli paſſionis eſt methodus, niſi quòd eſculentis & potulentis ea ſint miſcenda, quæ flatus diſcutiunt: ut *ſemen aniſi*, *fæniculi*, *carvi*, *cymini*, *petroſelini &c.* Non minùs in ea colici doloris ſpecie, quæ à vermium, continuò rodentium, & dolores excitantium, præſentia oritur, ad alimentorum ſelectio-

ctionem reſpiciendum. Attendendum enim eſt, ut talis exhibeatur cibus, ex quo bonus reſultet ſuccus, quique, ſine faſtidio ſumptus, occultâ quadam proprietate vermium tollat robur ſenſimque, ob occultam qualitatem, eos necet: tales ſunt cibi dulces, quibus *cornu cervi præparatum*, aut *corallina* immiſceri poterunt. Vinum offeratur tenue & aquoſum &c. Et hæc de diæta monuiſſe, ſufficiat. Diæta vermibus opposita.

Abſolutis iis, quæ de colica paſſione, ejúsque differentiis, dicenda eſſe judicavi; obſervandum adhuc occurrit, quòd colicæ affectioni, diutiùs præſertim duranti, extremorum reſolutio, ſpecialis gutturis raucedo, quin & totius corporis contabeſcentia, nonunquam ſuccedat. Quorum accidentium cauſam omnes plerunque Authores pituitoſis, à capite ad ſubjectas eidem partes muſculoſas delabentibus, adſcribunt. Nam, præter Foreſtum, *lib. 10. in obſervat. 82. ſchol.* Joannes Crato, *conſil. 173.* ait: *Ubi maxima pars in inteſtina effuſa, per alvum excreta, & per paroxysmos abſumpta eſt, ut jam quodammodo miteſcere, & rariùs invadere colica videatur: tum reliqui humores, & præſertim qui in capite ſunt, propter dolores, inediam, vigilias, calidorum & incidentium uſu &c. attenuati, relictâ priori conſvetâ viâ, ad propiorem viam declinant, & ita ſecundum nervos & muſculos, & ſic ad manûs, & pedes contendunt. Natura quoque, ſe exoneratura, mavult reliquias illas attenuatas in propinquum locum deponere, quàm in locum tam remotum amandare, præſertim cùm non, ut priùs, tantis cruciatibus irritetur, & minor fiat à dolore attractio. Ita laxantur artûs, naturâ ſe exonerante, & detrudente materiam in extremos artûs. Et quia natura mavult hûc, quàm ad inteſtina, procul diſſita, humores mittere; ideo mitiùs inteſtina afficiuntur, ac quaſi dolore liberata videntur.* Alii dicunt, quòd ideò inducatur membrorum reſolutio, quòd natura exiſtens fortis, ſuæ ipſius ſolicita conſervationis, ad remotiſſimas corporis partes moleſtam humorum ſarcinam ſoleat deponere, qui, copioſio- Paralyſis colicæ cauſa. Alia Paralyſis cauſa.

res facti, altiùs ab ipſis nervis & muſculis imbibuntur, ita haſce partes relaxando, ut à natura ampliùs regi non poſſint.

Verum enim verò ego, ſalvis tantorum Virorum judiciis, dico, quòd in vehementiſſimis coli cruciatibus exteriores corporis humani partes non ſolùm à calore ſuo deſerantur, ſed ipſe etiam calor (ſive influens, ſive nativus ille fuerit) à doloribus colicis mirum in modum debilitetur & enervetur; quod agnoſcens Galenus, *lib. 1. de arte curandi ad Glauconem cap. 14.* ait: *ex dolorum vehementia virium diſſolutiones accidunt.* Hinc exteriores partes, utpote brachia & pedes, ſuo defraudantur robore, humores in hiſce partibus hoſpitantes, ſive naturales, ſive præternaturales ii fuerint, non elaborantur, ſed potiùs ſtagnantes aceſcunt, & in ſe putreſcunt, & lentorem quendam, tendinibus, nervis ac muſculis ſpecialiter adverſantem contrahunt; qui, dum penitùs ab eorum ſubſtantia imbibuntur, obſtructiones in iis pariunt, ſpirituum animalium in nervos influxum impediunt, partium immobilitatem pariunt, quin & viſcerum calori prævalentes, perniciosâ ſuâ indole non tantùm paralyſes pedum & manuum generant, ſed omnimodam quandoque totius corporis contabeſcentiam inferunt, & loquelæ difficultatem producunt, ob laryngis, ejúsque muſculorum, reſolutionem.

Noſtra de hac paralyſi ſententia.

Quòd autem hæ extremarum partium ægritudines, à delabentibus, ad ſubjecta capiti membra, humoribus mirum in modum promoveantur, id ego non facilè negavero: cùm & Galenus, *lib. 1. de compoſ. med. ſecund. loc.* tradat, quòd *omnis dolor humores irritet, & fluxionibus occaſionem præbeat*: & ſit naturale, ut gravia, pondere ſuo, petant imum, atquè ad eas potiſſimum vergant partes, quibus aut nulla, aut exigua penitùs ineſt reſiſtendi facultas.

CAPUT

CAPUT III.

De Calculo.

AD cruciatûs, ſuperioribus capitibus enarratos, & humanorum corporum œconomiam importuniùs nonnunquam perturbantes, valetudinem vitámque non raró crudeliùs abbreviantes, adhuc ingens dolorum agmen accedit, quod Heraclitus (ut eſt apud Laërtium, *lib. 5. cap. 2.*) eximiæ quondam notæ Philoſophus, ad unguem, ut dicitur, ſecum perpendiſſe videtur, dum, in continuum lacrymarum profluvium reſolutus, dixit: *ſive enim primum, è latebris uteri materni, ingreſſum in mundanam hanc ſcenam reſpiciam, ingreſſus eſt flebilis;* cum ob labores, & primos dolores, in angiportu puerperæ toleratos; tum ob inſvetum aëris occurſum: *ſive totum vitæ curriculum, & finem mecum perpendam; omnia ſunt lacrymis*, ob dolores, omni ex parte urgentes, *circumfuſa*, adeò, ut veriſſimum ſit illud Poëtæ: Lacrymoſa Orbis conſtitutio.

Principium vitæ lacrymæ; mediumquè dolores:
Dicere vis finem? dixeris, heu! lacrymæ.

Inter hoſce dolores, robuſtæ humani corporis valetudini maximè infeſtos, dolor calculi præcipuum ferè locum ſibi vendicat, eò, quòd ab hujus doloris vehementia non modò vires reſolvantur ſubitò; ſed etiam inter paucorũ non raró dierum, imò horarum, revolutionem vita ipſa adimatur; id quod frequentes hactenus ſummorum, præſtantíſque prudentiæ Virorum atteſtantur mortes, qui, in optimo ætatatis flore conſtituti, & cæteroquin ſani, è prorumpentibus inopinatè calculi doloribus interfecti, abreptique fuerunt. Dolores calculi ſæpè fatales.

Cùm itaque calculus ſit malum, omnibus propemodum nationibus, maximè verò Marcomanniæ noſtræ, inquilinis familiare, omnéſque demum, cujuſcunquè ſtatus, ſexûs & condi-

 ditio-

ditionis homines, ſine diſcrimine afficiat; rem ſummè proficuam nos facturos confidimus, ſi de crudelis hujus affectionis natura, generationis modo & loco, cauſis, ſignis, præſervatione & curatione, pro tenuitate noſtra, diſſeruerimus; cùm, id faciendo, futurum ſperemus, ut gratioſi Mecænates (ſi quos à malè-feriata hac ægritudine torqueri contingeret) ex hoc qualiquali labore noſtro fructum quendam ſint reportaturi; ſi præſertim ea addiderimus remedia, quibus hactenus plurimas, utriusquè ſexûs, perſonas calculo tentatas liberavimus, aut, ne illo tentarentur, feliciter præpedivimus.

Calculus omnibus infeſtus.

Calculi ubique in corpore generantur.

Et licet calculi in renibus & veſica plerunque generentur; in reliquis tamen corporis humani partibus, tam nobilioribus, quàm ignobilioribus, tam externis, quàm internis eos etiam quandoq; generari poſſe, docemur ratione, virorumquè doctrinâ & authoritate abſolutiſſimorum teſtimoniis. Nam, ut à ſuprema corporis regione exordiar, in cerebro generari calculos, præter alios, obſervavit Doctiſſimus Hollerius, *lib. 1. de morbis internis, in ſchol. cap. 45.* ubi ait: *multis in partibus corporis humani calculi generari poſſunt. Obſervavit Author concretos in capite.* Huic Hollerii obſervationi ſuffragatur ratio. Nam, poſitâ ſufficiente agentis fortitudine, poſitíſque patientis approximati diſpoſitionibus requiſitis, agens operatur in patiens ſibi approximatum, in quocunque corporis loco & parte; ergo, diſpoſitâ ſufficienter materiâ lapidificâ, in quacunque corporis parte, & agenti ſufficienti approximatâ, non poterit non generari calculus, in quacunque etiam corporis parte.

Calculus in capite obſervatus.

Calculus in oſſe cribriformi.

In foraminibus oſſis cribriformis inventum fuiſſe calculum, teſtatur Gradus, ut eſt apud Foreſtum, *ſupra Rhaſ. cap. 14.* de calculo renum. In lingua, & ſub lingua, obſervavit accuratiſſimus Foreſtus calculum, *obſervat. 26. lib. 14.* ubi de perſona quadam, abſceſſum ſub lingua habente, ſequentibus loquitur:

quitur: *Et præter ſpem tumore jam emollito, lapillus quidam inſigniter durus ultrò exivit, absque inciſione, ad magnitudinem nucis avellanæ.* Sed quid Foreſti obſervationem, utpote ſufficienter notam, hic loci adduco, qui longè recentiorem in Joanne Hartner, Cive Echinopolitano, habeam? Hic enim, poſtquam in graviſſimum, Anno 1669, linguæ tumorem, inflammationem, deliria, & pertinaciſſimas incidiſſet vigilias, ob partis affectæ cum cerebro, ut & nervorum correſpondentiam; illico Chirurgus omnem impendit operam, ut inflammationem tolleret, tumorêmque ad maturitatem deduceret; quod, congruis remediis, tanto temporis ſpatio continuavit, usque dum, notatâ aliquâ maturitate, ibi tumorem ſub lingua aperiret, ubi ipſe magis elatus protuberabat: quo aperto, lapis gryſeus, fabæ formam & magnitudinem referens, erupit, cum tali dolorum remiſſione, ut bonus patiens jam caneret triumphum ante victoriam, ratus, ſeſe omnem doloris carnificinam evaſiſſe. Verùm breve gaudium! ſiquidem, vix duodecim elapſis horis, in aliis locis ſublingualibus, dolores, prioribus longè majores recruduerunt, qui tamdiu bonum virum lacerarunt, usque dum & illa, ſub lingua, aperirentur loca, in quibus dolores ignis adinſtar ſæviebant: quibus à Chirurgo inciſis, adhuc duo eruperunt calculi; quorum unus, priore paulò minor, tertius magnitudinem grani hordei præ ſe ferebat. Poſt horum calculorum ſublationem, vir bonus ad ſe rediit, etiamnum hodiernâ die optimæ valetudini ſuperſtes.

Sub lingua tres calculi generati.

An autem in oculis, & auribus, calculi reperti fuerint, & an generari poſſint; id nec propriâ experientiâ, nec aliorum Doctiſſimorum Virorum obſervationibus reſcire potui: qui tamen nullus dubito, quin ſuccus lapideſcens, in tortuoſos aurium meatûs irruens, tractatu temporis indurari, atque ex eodem calculus generari poſſit. Quòd in ſpongioſa pulmonum

monum ſubſtantia naſcantur calculi, id, prætereundo plurimas præſtantium Virorum obſervationes (quas hic, brevitati conſulens, allegare ſuperſedeo) oculari inſpectione didici, dum in putrida piiſſimè defuncti Domini Zachariæ Kreſel de Qualtenberg pulmonum ſubſtantia aliquot centenos lapillos, grandinis majoris ſpeciem præ ſe ferentes inveni. Ut proinde de calculorum, in pulmonum ſubſtantia, generatione, nullatenùs dubitem. Quin & ipſo ſuperiore ventriculi orificio inveni ſat magnum calculum, cretæ non abſimilem, & propriæ membranæ incluſum, dum Prænobilis Domini Felebaum, de Manheldt, Patricii Echinopolitani, cadaver, in anatomicâ diſſectione, luſtrarem.

Calculi in pulmonibus.

Calculus in orificio ventriculi.

Calculum, ad ovi gallinacei magnitudinem, per inteſtina excretum fuiſſe, teſtatur Capivaccius; qui, *lib. 3. prax. cap. 13.* inquit: *Calculus rarò generatur in inteſtinis: unde id Galenus nec vidit, nec audivit, cap. 2. lib. 6. de loc. affect. Ego tamen teſtor, me vidiſſe calculum, ad magnitudinem ovi gallinacei, excretum, à patiente, obnoxio dolori colico.* Quod idem expertus Joannes Crato, *lib. epiſtol. medicinal. epiſt. 140.* ſequentem in modum ſcribit: *Ego, à Canonico quodam Uratislavienſi, vidi per alvum ejectos plurimos calculos, inſtar caſtanearum nucum; verùm ſymptomata habebat alia, quàm colica & iliaca: & multis deinceps annis vixit.*

Calculus per inteſtina excretus.

Admirandum verò illud eſt, & notatu digniſſimum, quod cum Domino Joanne Freisleben, Patricio Echinopolitano accidit; qui, poſt incredibiles, multorũ annorũ, nephriticos dolores, fatis conceſſit: in cujus cadaveris, dum anatomicâ diſſectioni ſubjiceretur, vena cava deſcendente, penes hepar incipiendo, ſex vel ſeptem calculi inveniebantur, quos, in ordine, ſanguis ſabuloſus, nigerrimus & concretus ſequebatur: hunc denuo calculi, majorum fabarum magnitudinem habentes, ſex, vel ſeptem, in una ſerie ſubſequebantur; ita ſex vicibus, per totum venæ cavæ deſcendentis ductum, usque ad oſſis ſacri initium,

Calculi in vena cava plurimi inventi.

initium, continuando. Renes enervati, à tot annorum dolore, diverſisque calculis repleti, majori ex parte computruerant. In hujus Viri veſicula fellis duo deprehenſi fuerant calculi, quorum alter quatuor, alter verò trium drachmarum pondus habuerat.

Eodem modo, in Hepatis panniculo, aliisque corporis partibus, inventos fuiſſe calculos, diverſi confirmant Authores. Hoc tamen, præ reliquis, admirationem meretur, quod à Mauritio Cordæo, *in Hippocratem, de muliebr.* agente refertur, de muliere Senonenſi Columba Cortrii dicta, quæ, aliquot annorum curriculo uterum geſtans, nunquam peperit, usquè dum vitâ defungeretur, ubi in diſſecto extinctæ utero fœtus lapideus, omnes partes ritè efformatas, ſatisque magnas habens, fuit inventus: quod corpuſculum dein per longam annorum ſeriem, à putredine & teredine immune aſſervatum fuiſſe, ſcribit Author paulò ante citatus. Fœtus lapideus.

In exterioribus corporis humani partibus, calculos generari, inter alios Authores, ſcribit Paulus Ægineta, qui, *lib. 9. cap. 78.* docet, quòd humor vetuſtate in articulis concreſcat, & tam glutinoſus evadat, ut in duritiem contumaciſſimam, Græcis *πῶρον*, latinis tophum, nuncupatum abeat. Quin imò Platerus, inter alias calculorum differentias, narrat, ſe vidiſſe lapillos ex cute calloſa plantæ pedis eximi. De quibus plura cupientem *ad cap. 9. lib. 2. part. 2. Inſtitut.* Clariſſimi Sennerti remittimus, ubi, Authores de hiſce fuſiùs agentes citari, videbit. Nos ad eas calculi ſpecies tranſimus, qui, in renibus & veſica generati, humanam valetudinem evertunt, vitamquè non rarò ex improviſo abripiunt. Calculi in externis partibus geniti fuerunt.

Diverſi diversè calculum, Græcè *λιθίασιν* dictum, deſcribunt. Alii enim deſcriptionem omnibus calculis, in quacunque corporis parte enaſcentibus, communem non malè ſtatuunt ſequentem, dum dicunt: *Calculus eſt corpus præter* Calculi definitio.

naturam, in renibus præcipuè & veſica, aliquando etiam in aliis corporis cavitatibus, collectum, ex craſſiore & terreſtriore alimentorum ſubſtantia, à benigniore nutrimento ſeparatâ, & ad concretionem deſtinatâ, productum, pro partium, & caloris indurantis, varietate varians indurationem.

Noſtra definitio.

Nos verò dicimus: *Calculus eſt corpus ſolidum, toto genere præter naturam, ex ſucco lapideſcente, per cibum & potum corpori ſubminiſtrato, vi qualitatis lapidificæ, primariò, & caloris ſecundariò, in renibus, vel veſica, genitum.* Dicimus: *toto genere præter naturam*: quia lege naturali in corpore non generatur; minùs adhuc uſum quendam corpori præſtat. Per *ſuccum illum lapideſcentem* intelligitur miſcella illa fæculenta & lutoſa, ſale, nitro, tartaro, calce, & occultâ quadam proprietate, imprægnata, argilloſam in ſe continens mucilaginem, vi cujus mucilaginis, occultíque characteris, ſal, nitrum, tartarus, calx &c. in unum corpus coaleſcunt, coagulante vi partis (in qua generatur calculus) lapidificâ, & exſiccante calore. Dicitur: *vi qualitatis lapidificæ primariò*: quia illa eſt, quæ, veſicæ, aut renibus inhabitans, ſuccum coagulationis capacem in calculum cogit; quam Avicenna *lib. de coagulatione*, lapidis occultam nominat; dum dicit: *calor adveniens coagulat lapidem virtute quâdam occultâ, ex luto unctuoſo.*

Calculus ab occulta qualitate producitur.

Calor ſolus non ſufficit calculo producendo.

Secundò ratione conſtat, calorem ſimpliciter non facere ad calculi generationem, neque ex ſe ſolo ſufficientem eſſe; quia teſte Braſſavolâ, Medico quondam Ferrarienſi, ſenes ibidem, ob vina craſſiora, & mucagine lentâ dotata, frequenter laborant calculo veſicæ; in quibus calor calculi cauſa eſſe non poteſt; ſiquidem, dicente Hippocrate, *aphoriſ. 14. ſect. 1. In ſenibus caloris parum ineſt.* Hippocratis ſententiæ ſuffragatur Galenus, *in commentario hujus aphoriſmi*, dum ſcribit: *Senes parum caloris habent; ſive ad qualitatem, ſive ad ſubſtantiam reſpexeris*; ubi per ſubſtantiam intelligit calorem humido radicali implan-

implantatum, ita unitum, ut ſit concretum unum, quod calidum innatum dicitur. Si ergo ſenes caloris defectu laborent, & tamen calculo frequenter afficiantur; neceſſariò alia debet latere cauſa calculi productiva.

Cur helluones à calculo non infeſtantur.

Tertiò multi helluones dantur, qui ingluviei deditiſſimi, craſſiſſimis & fæculentiſſimis utuntur cibis, & neque congruum edendi tempus, neq; regularem ingerendi ordinem obſervant; quorum corpora craſſis, viſcoſis, & cacochymicis abundant ſuccis, & tamen, præſente etiam vegetiſſimo corporis calore, in eorum renibus, aut veſica, non producuntur calculi: adeóque calor efficiens calculi cauſa primaria ſtatui nullo modo poteſt.

Calor & frigus naturæ inſtrumenta.

Quartò Ariſtoteles, referente ſic Fernelio, *lib. 2. de abditis rerum cauſis, cap. 1.* inquit: *is Philoſophus inſectatus, qui corporum naturalium facultates atque vires ex calore & frigore deducebant, rati, ex his, & per hæc, omnia confici. Planum enim facit demonſtratione, eas qualitates inſtrumenta duntaxat eſſe cauſæ cujusdem præſtantioris atquè ſuperioris; quam & naturæ nomine inſignivit. Nam qui calorem & frigus primùm, & per ſe, agere ſtatuit, is perinde faciet, ac ſi malleo, aut cuivis inſtrumento, efficiendi cauſam poteſtatemque tribuat.* Maneat itaque, cauſam primariam efficientem neutiquam eſſe calorem ſolum, ſed vim lapidificam. Illa porrò vis occulta, nonnullis ſeminalis, in materia deliteſcens nominatur, cui in operando ſummam virtutem jure meritiſſimo damus. Hanc vim ſeminalem conſiderans Galenus, *lib. 1. de ſemine*, ait: *ſi non aliis viribus natura ſeminis plantam efficiat, aliis animal: eandem in utriſque rationem invenies.* Ita de reliqua mundi ſuppellectile, metallis videlicet, & lapidibus, diſcurrendum eſt. Idem Galenus, *lib. 2. de temperament.* ſcribit: *minùs rectè mihi facere videntur, qui ſolis qualitatibus formandarum partium cauſam aſſignant: rationi enim conſonum eſt, qualitates quidem ipſas eſſe organa; formatorem verò alium.* Vult nimirum Galenus,

Vis materiæ ſeminalis.

Rebus ſingulis vis ſua ineſt.

lenus, facultatem occultam in ſemine, & partibus, in quibus res generantur, deliteſcere, vi cujus hi, vel illi, in hac, vel illa parte effectûs producuntur. Sic in renibus, aut veſica, nonnunquam latet vis quædam lapidifica dicta, quæ, coagulationis capacem nacta materiam, calculum in renibus, aut veſica, producit; eſtquè calculi renalis, vel veſicæ, cauſa efficiens.

Vis renum lapidifica.

At cur calculi plerunque generantur in renibus, & veſica? Quæſtio hæc non ſolùm curioſa, ſed & utilis, ſcitúque eſt neceſſaria. Quare, eam rranſilire, aut curſim perſtringere, nefas duxi. Reſpondeo itaque & dico, hanc videri: quia renes & veſica ſunt viæ, ductûs, & vaſa, quæ, virtute ſibi à natura indita, primæ, ſecundæ & tertiæ coctionis excrementa ad ſe trahunt, aut etiam, naturâ ſeroſitatem ad jam dictas partes ablegante, immundam calculoſamquè mephitim excipiunt: quando nimirum natura ſanguinem venoſum & arterioſum à nimia humorum ſeroſitate, glandularum excretoriarum ope, liberat (innuente ſic Andrea Laurentio, *lib. 6. hiſtor. anatom. cap. 23.*) tunc ex renibus, in fiſtulas membranoſas, ureterum propagines, tandèmque ureteres, derivatur ille humor ſeroſus, Urina dictus, à quibus, velut laguncula quædam, veſica urinam excipit, eam tam diu retinendo & aſſervando, usque dum, ad certam quantitatem aſſurgens, muſculum, janitoris munere fungentem, acrimoniâ ſuâ & ſalſedine ſtimulet & tam diu vellicet, donec transeundi facultatem impertiatur.

Renum & & veſicæ officium.

Has igitur partes, dum urina, copiosâ illuvie ſalsâ, nitrosâ, tartareâ, glutinosâ, & diſpoſitione coagulationis capaci infectâ, tranſit, craſſior ejus portio, præſente in renibus vi lapidificâ, in calculum facilè coagulatur; qui coagulatus anguſtiores renum cavitates tam diu pungit & moleſtat, donec natura, moleſtiam exoſa, ad ejusdem excluſionem inſurgat, & per ureteres, magno cum dolore, ad veſicam deturbet; in qua moram trahens, à copioſiore ſucco lapidifico adveniente quando-

Quis calculus in renibus generetur.

quo

que augetur, donec tandem, graviorem naturæ moleſtiam inferens (ſi poſſibile eſt) excludatur; aut quocunque modo dematur; aut planè emori faciat.

An autem calculus immediatè in veſica generari poſſit, vel an prima coagmentationis ſuæ initia in renibus accipiat, id à nonnullis eximiæ doctrinæ Medicis controvertitur. Inter quos Fernelius, *lib. 6. de partium morbis & ſymptomatis cap. 13* negat calculos primò, & immediatè, in veſica generari; *ſed omnes prima generationis ſuæ rudimenta è renibus accipere ſtatuit, è quibus, per nephriticum dolorem, excidentes, ſi grandiuſculi ſint, in veſica aliquandiu hærere, ac plerunque perſiſtere, illicq́ allatarum ſordium adhæſu coagmentari* aſſerit, *dum veri confirmatiquè lapides fiant.*

An calculus in veſica generetur.

Ad acrem hujus ſententiæ propugnationem, ſequentibus rationum momentis incitatus fuiſſe videtur Fernelius: primò, quòd omnem veſicæ calculum præcedat dolor nephriticus. Secundò, quod in illius fracti medietate alius ſemper lapillus, veluti nucleus, & rudimentum, ſcilicet renale nuncupatum, diverſi, quàm reliquum involucrum, coloris & ſubſtantiæ, inveniatur. Tertiò, quòd materia calculi ad juſtum tempus in veſica hærere non poſſit, ſed citò & facilè cum urina profluat. Verùm quemadmodum hæc ſententia quandoque, & in quibusdam, vera: ita nonnunquam falſa eſt: ſiquidem à Rondeletio, Fernelium, *lib. meth. med. morbis, cap. 44.* nervoſiſſimè refutante contrarium probatur, dum ait: *pueri in veſica calculum ſæpe habent, qui nunquam nephritim ſunt paſſi, niſi in utero matris id contigiſſet. Nam cum lapide multos vidi natos, qui à parentibus, hæreditario jure, calculos acceperunt. Ratione, id poſſe fieri, oſtendo: ſi lapis renum coagmentationem accepit in veſica (ut fatetur Fernelius) etiam primum ſuæ coagulationis rudimentum in ea accipere poteſt:* quoniam ab iiſdem, & ex iiſdem cauſis calculus coagulatur, à quibus, & ex quibus in veſica coagmentatur: atqui

Negativam tuetur Fernelius.

Fernelius refutatus à Rondeletio.

atqui ex argilloſis, ſalſis, tartareis, nitroſis, calcariis glutinoſisque urinæ particulis, per occultam vim lapidificam, coagmentatur; ergo ab, & ex iisdem etiam primæ ſuæ coagulationis rudimentum obtinent. Ergo & in ipsâ veſica calculos primò generari poſſe, non eſt dubitandum; in iis præſertim (ut inquit Rondeletius, *loco jam antè citato*) *qui urinam diutiùs retinent; ob quam retentionem craſſa in fundum deſcendunt & ſubſident; quo tempore partes illæ in lapidem concreſcunt. Quin imò in veſica ſuccus crudus citiùs concreſcit, quàm in renibus.*

Calculi in veſica generantur.

Cauſa calculi procatarctica.

Cauſam calculi procatarcticam, præter eſculenta & potulenta, velle conſtituere aliam, abſurdum planè, me judice, foret: ſiquidem hæc ſuam è fertiliſſimò terræ utero non ſolùm trahunt originem, ſed ſuum etiam nutrimentum capiunt, augmentum ſumunt, & perfectionem debitam plerunque obtinent. Cùm verò prudentiores Viri nôrint, eam eſſe terræ conſtitutionem, ut innumeris diverſarum rerum particulis ſit gravida, atque ex hiſce ſingulis varii quoque efferantur vapores vegetabiles, ſpiritùsquè ſeminifici, qui cum eſculentis & potulentis, è terra prodeuntibus, commiſcentur; juxta quorum majorem, vel minorem bonitatem illa magis, vel minùs ſalubria redduntur; &, ſi contingat, ut patriæ cujusdam terra ſpecialibus ſit prægnans mineris: etiam accidit, ut alimenta è terra creſcentia ſint aut potioribus, aut aliquibus corporis partibus ſolùm contraria, producantquè morbos, ob occultam ſuam, nobisque incognitam terræ diatheſin, huic, vel illi patriæ ſoli, aut præ reliquis provinciis familiares. Qualiter in univerſo penè Marcommaniæ noſtræ circuitu videre eſt; cujus magna pars Incolarum graviſſimis non ſolùm arthriticis, colicis (uti jam oſtendimus) ſed etiam periculoſiſſimis calculi doloribus in tantum torquetur, ut aut non, niſi efficaciſſimis, per longum tempus continuatis, reſtituantur pharmacis, aut planè etiam inter crudeliſſimos hoſce calculi cruciatus exſpirent.

Morborum endemiorũ cauſa.

At

At hoc quid mirum? Nam Marcomannia noſtra, præter mucilaginoſas, tartareas, nitroſas, ſalſas, calcariâsque particulas, etiam occultâ quâdam, corporis viſceribus ſpecialiter inimicâ, proprietate pollet; quæ alimentis, in hac patria noſtra creſcentibus, cum ſucco ſuo alimentario, communicatur; vi cujus diſpoſitionis, & miasmatis occulti, materia lapideſcens, ſpontè naturali, & quaſi impetûs proprii feſtinatione, coagulationem affectat. Ubi & hoc obſervandum eſt, quòd etiam, penes Marcomanniæ noſtræ Incolas, hæc coagulatio in uno loco citiùs, in altero tardiùs, & in tertio nunquam peragatur; cùm enim non eadem omnium ubique locorum ſit ratio, ſed alter altero longè ſalubrior exiſtat: ſic quoque eſculenta & potulenta ejusdem noſtræ patriæ multùm inter ſe differre, quotidianâ docemur experientiâ: dum in hac ejus plaga ſalubria; in illa inſalubria, penitusquè nocentia alimenta produci videmus.

Marcomanniæ morborum cauſa.

Cur alii citiùs, alii tardiùs, vel nunquam afficiantur.

Inter omnia autem alimenta, ad calculi generationem ſpecialiter facientia, reputatur caſeus, eò, quod, teſte Hippocrate, *lib. de rat. vict. in morb. acut. flatus & adſtrictionem pariat, cibos incendat, crudum & incoctum edulium exiſtat.* Quod confirmans Galenus, *lib. 3. de aliment. facult. cap. 16.* inquit: *Oſtendimus, calculos in iis corporibus naſci, in quibus ſuccorum craſſities cum ardenti calore eſt conjuncta:* atqui *caſeus eſt validus & æſtuoſus, quia pinguis*, tradente ſic Hippocrate, *lib. de rat. vict.* ergo calculum generat, in iis præſertim corporibus, quibus cum caſeo inimicitia quædam & contrarietas intercedit; ut placet eidem Hippocrati, *lib. de priſca medicina*, ubi aſſerit: *caſeum quidam non, niſi cum moleſtia, ferunt; aliquid enim in corpore caſeo eſt inimicum, à quo excitatur & commovetur, in quibus ejusmodi humor plurimus in corpore redundat; quoq; majorem dominatum in eo habuerit, eò graviùs affici æquum eſt.* Quin lac ipſum calculorum generationi ſervire, ab ipſomet Galeno, *lib. 3. de aliment.*

Caſeus calculo producendo aptus

ment. cap. 14. perhibetur, his verbis: *Lac, quod humiditatem habet exiguam, caſeoſam autem craſſitiem multam, eos graviter offendet, qui calculis generandis ſunt prompti.* Quid ergo mirum eſt, quod in adultis, caſeo frequentius veſcentibus, renum lapilli generentur? cùm, innuente Galeno, *lib. 3. de aliment. cap. 16. caſeus inveteratus omnem humiditatem benignam deponat, acrimoniam induat, longè acrior evadat, ac manifeſtè calidior & aſtuoſior reddatur, ob idquè ipſum ſiticuloſior & concoctu difficilior, & pejoris ſucci efficiatur: ac proinde calculis generandis aptiſſimus. Ubi enim ſuccorum craſſities cum ardenti calore jungitur, illic calculi generantur.*

Lac calcũloſum eſt.

Caſeus itaque, & reliqua ejusmodi conditionis alimenta, quæ non tantùm glutinoſioris & terreſtioris ſunt ſubſtantiæ, verùm etiam occultam coagulationis capacitatem ſibi habent annexam, ſunt cauſa calculi procatarctica; quæ dum coctrices corporis officinas ſubeunt, & ab iisdem, ob innatam ſuam inhabitudinem, digeri, & in laudabilem ſuccum transmutari nequeunt, internæ & materialis calculi cauſæ nomen ſortiuntur. Nam aſſumpta per os alimenta, à digeſtiva ſtomachi virtute, & digeſtionis fermento, variè ſubiguntur & coquuntur: concoctione autem in ſtomacho peractâ, impuriores concoctorum portiones, ab exquiſitioris alimenti partibus, à natura ſecernuntur: quod tantâ tamen naturæ providentiâ peragi non poteſt, ut liquidiores ſaltem glutinoſorum & terreſtrium excrementorum particulæ alimentario ſucco, ad hepar migranti, ſeſe non aſſocient, & hepar, tanquam primam ſanguificationis officinam, ſubintrent.

Cauſa calculi interna.

Verùm enim verò, quemadmodum hic ſuccus excrementitius primæ coctionis contemptor extitit: ita etiam (licet à digeſtivo ſtomachi Vulcano magis purificatus, magisquè exaltatus fuerit) ſecundam hepatis, aliarúmque partium alimento perfectiùs elaborando deſtinatarum coctionem aſpernatur,

Primæ coctionis defectus non emendatur in ſecunda.

natur, veri excrementi naturam retinendo. Unde pars indigeſtibilium horum ſuccorum benigniori alimento mixta, per univerſi corporis ſyſtema diſpergitur: pars verò potior per venas & meatûs, à natura aſſignatos, cum ſero & ſanguine, ad renes & veſicam excurrit, ubi, poſitis omnibus ad calculi coagulationem requiſitis, calculus producitur. Dico: *poſitis omnibus ad calculi coagulationem requiſitis*: quia ad ejus productionem nec ſola viſcerum vis lapidifica ſufficit, niſi quoque ſingularis humorum, ad calculi coagulationem requiſitorum, adſit aptitudo, vi cujus ſponte naturali, & quaſi proprii impetûs feſtinatione, ſucci lapideſcentes concretionem exigunt.

Sola vis lapidifica non ſufficit calculi productioni.

Præterea abdita hæc renum, veſicæ & materiæ lapideſcentis diſpoſitio non parum à diuturniore, in meatibus materiæ morâ, ad calculi generationem, adjuvatur: ſive mora illa ab expultricis facultatis imbecillitate; ſive meatuum anguſtia, renúmque denſitate cauſata fuerit. Quod agnoſcens Galenus, præter cauſas, *lib. 13. meth. med.* aſſignatas, etiam renes malè conformatos, utpote denſos & anguſtos, requirit. Nec malè: ſiquidem materia lapideſcens cùm ſit glutinoſa, & terreſtris, ſi in anguſtas renum cavitates incidat, levi negotio moram trahit, tractâque morâ facilè in calculum coagulatur. Propterea ſenes, anguſtiores renum vias habentes, & mucilaginoſorum terreſtriumquè humorum copiâ, ob caloris nativi defectum, abundantes, maximè renum calculis affliguntur; quòd materia, in iis ſubſiſtens, facilè in calculum coaguletur.

Cur ſenes calculo obnoxii.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, arma contra nos ſumere, & telum in proprium jugulum retorquere quiſpiam forſan poſſet, ſic contra nos arguendo: Quòd ſi ad calculi renalis coagulationem lapidifica renum vis ſola non ſufficit, quî fit, quòd multi nihilominus calculoſi fiant, quamvis exquiſitum in alimentis delectum adhibeant, atquè ab omnibus, quæ ali-

Objectio contra jam dicta.

quam generando calculo materiam ſuppeditant, omnino abſtineant? Quam ſtudioſè & ſollicitè cavent vel minimam calculo anſam, noxii victûs ratione præbere illi, qui, in paternæ hæreditatis partem, calculum à progenitoribus ſuis obtinuerunt? Et tamen, omni hac curâ atque ſollicitudine non obſtante, tam atroces quandoque calculi dolores perpetiuntur, ut, præ illorum vehementia, largum toto corpore ſudorem profundant, noctes atque dies, continuas inter vigilias, inſomnes ducant, aliasquè calamitates complures, quas calculus fœcundus acerbiſſimorum cruciatuum pater progenerat, ſuſtineant.

Potens, fateor, telum: ſed veritas, quâ illud retunditur, adhuc eſt potentior. Huic igitur inſiſtendo, reſpondeo, & dico, nullum cibum potumquè, quantumvis ſelectum, adeò ſalubrem eſſe, in cujus excrementis non aliquæ minimæ repeRiantur particulæ, noxium aliquid in ſe continentes. At has particulas, coagulationis capaces, dum per renum cavitates transeunt, facultas lapidifica non quidem quævis, ſed quæ renibus in primis generationis principiis innata eſt, & ſpeciali agendi pollet potentiâ, mox condenſat, & velociſſimo fermentationis motu facit lapideſcere. Hinc illæ poſteà lacrymæ, & longa tot cruciatuum Ilias. Firmo reſponſum meum præclarâ Foreſti Obſervatione, quam, *lib.24. obſervat. in ſchol. obſervat. 27.* tradit, & ſic arguo: ſi renes & veſica, perhibente Foreſto, ad calculi generationem promiores redduntur, quòd nativa earum partium virtus, per frequentiores lapidis cruciatûs, enervetur, & calculoſa renum veſicæquè diatheſis augeatur: ergo ideo etiam calculi exacerbationes in illis, qui ob hæreditariam jam dictarum partium diſpoſitionem nephriticis doloribus ſunt obnoxii, ſæpius recrudeſcunt, quòd illi non ſolùm, ex nativa ſua conſtitutione, debiles renum & veſicæ facultates habeant; ſed etiam ex toties repetitis calculorum gene-

generationibus, & doloribus perpeſſis, in tantum ſint debilitatæ, ut parùm de nativo renum & veſicæ balſamo ſit ſuperſtes. Unde vis renum (quæ in talibus ſpecialiter eſt lapidifica) dominium obtinet, illosquè effectûs edit qui ipſi competunt, non attento etiam, quòd accuratam victûs ſervent rationem.

Ad hæc, ex unanimi Medicorum, in Chymia probè verſatorum, doctrina, nihil è terræ viſceribus prodit, aut in fertiliſſimo ejus utero excoquitur, cujus compoſitio absque ſalis admixtione fiat, aut vita absque ſalis conditura perſiſtat. Sal enim fixiòris eſt naturæ, vi cujus omnia rerum genera ſuam obtinent ſoliditatem & durabilitatem, corruptionis & putredinis nævo potenter reſiſtentem: nec cujusvis ſolùm individui durationem; verùm & omnium ſpecierum propagationem, potiori ex parte, à ſalis admixtione dependere, ſtatuunt Authores: ſiquidem ſtupendum illud mineralium augmentum, gratioſa è terra naſcentium plantarum vegetatio, omnisquè terræ fertilitas, & quorumcunque animantium fœtatio & generatio, ſuam à ſalis ſemente originem trahere dicuntur: quia ſal ſtomachi calorem ſvaviter excitat, Venerem ſtimulat, omnemquè ſemini prolificationem impertitur; quin imò, corporum diſſolutiones impedit, aut ſaltem retardat, & coagulationes promovet. *Nihil ſine ſale creſcit.* *Salis effectus.*

Cùm igitur omnia planè alimenta, aut ſuum è terra obtineant ſalem, aut in ciborum præparatione eum accipiant, accidit, ut etiam urina hominis multo ſale imprægnetur; quæ dum, ſua cum ſalſugine ad renes & veſicam, ex nativa ſua diſpoſitione ad calculorum generationem inclinantem, tranſit; facilem in iis (ſi præſertim anguſtiores fuerint) patitur remoram; ubi ſalinæ iſtæ & terreſtres particulæ, mucagini conjunctæ, præcipitantur, & in calculum coagulantur. *Urina unde ſalſa.*

Supereſt nunc, calculi, in renibus deliteſcentis, ſigna inveſtiga- *Calculi ſigna.*

ſtigare; inter quæ primum *urinam* aliqui ſtatuunt. *Nam* (ut ait Galenus, *lib. 6. de loc. affect. cap. 2.*) *nephritici ab initio dilutas puráſque reddunt urinas: dein, ſequentibus diebus, craſſum aliquid in ipſis ſubſidere videtur: demum arenoſæ minguntur.* Verùm cùm quotidiano rerum eventu doceamur, quòd multi tales reddant urinas, & tamen calculo non laborent; ſigna magis pathognomonica, magíſque fida ſunt inquirenda. Talia autem ſunt graves & acuti non raró renum & lumborum dolores, qui tum maximè affligunt, quando dorſum inflectitur, aut laborantis renis vaſa, ab inteſtinorum flatibus, vel fæcibus, comprimuntur; aut alia de cauſa nimium ágitantur. Acutiſſimus autem renis afflicti dolor tunc oriri ſolet, quando lapis major, vel aſper, ex renum ſubſtantia, maximè ſenſibiles ureterum membranas attingit, & eorum parietes violenter à ſe invicem divellit: in quo caſu ægrotantes graviſſimis dolorum ſtimulis dilaniantur, donec lapis, per ureterum cavitates, ad veſicam deſcendat. Quòd verò ad veſicam deſcenderit, ex eo cognoſcitur, quòd dolores, ab ureterum initio inchoantes, ad eorum terminationem deſcenderint; ubi enim ureteres veſicæ committuntur, ibi calculus in veſicæ cavitatem exilit, & dolorifico ureterum cruciatui finem facit.

Urina ſignũ fallax. — *Dolores vehementes unde.*

Alterum ſignum latentis in rene calculi pathognomonicum dicitur ſtupor quidam cruris, è directo poſiti; propter nervi, à lumbis orti, compreſſionem: qualem moleſtantis ſtuporem illi etiam non raró ſentiunt, qui incommodo ſeſſionis loco utuntur. De hoc cruris dolore Hippocrates, *lib. 6. epidem. ſect. 1. text. 6.* ita loquitur: *Ad renem doloris gravitas urget, cùm cibo implentur, pituitámque vomitione rejiciunt: ubi verò dolores plurimi excreverint, æruginoſa, & levius quidem habent. Liberantur autem doloribus, ubi cibi vacuati fuerint, arenulæq; fulvæ ſubſident, & cruentam urinam reddunt. femoris, quod è directo reſpondet, ſtupor ſentitur.* Hiſce aliqui teſticuli, è regione renis labo-

Aliud ſignũ calculi. — *Cruris ſtupor.* — *Teſticuli retractio.*

laborantis poſiti, retractionem & dolorem addunt, quæ propter vicinorum vaſorum, ad teſtes tendentium, iisquè inferiorum retractionem accidit. Migrantis autem calculi ex renibus ad veſicam, præter jam dictas dolorum acerbitates, ſigna ſunt ciborum faſtidia, nauſeæ & vomitiones, quæ propter conſenſum, renibus cum ventriculo intercedentem, oriuntur; mediante enim peritonæo, communem obtinent tunicam.

An verò excretæ, cum urina, arenulæ ſint certa, eáque propria, ut nonnullis placet, latentis calculi ſigna & indicia, valdè dubitatur: cùm multos, imò potiorem hominum partem, cum urina videamus excernere arenam, in quibus nulla eſt, nec unquam latentis cujusdam calculi fuit ſuſpicio. Uti è contra ſæpius conſtat, renes à calculis inhabitari, ubi tamen nulla arenularum adeſt excretio. Quin imò frequens & copioſa arenularum excretio tutos potiùs, me judice, reddit à calculorum productione; eò, quòd validam renum vim excretricem, humorísque glutinoſi coagulum præbentis abſentiam indicet. Qui proinde copioſam cum urina mingunt arenam, à calculo potiùs immunes, quàm iis refertos habent renes. Arenæ excretio in calculo fallax.

Eodem modo nec iſchuriam, ſtranguriam & dyſuriam, inter propria calculi renalis ſigna admittenda eſſe, judicamus; niſi fortè utriusque renis cavitates à calculis occuparentur: ſiquidem natura duos produxit renes, ut impeditam unius actionem alter ſuppleret; vel (ut inquit Andreas Laurentius, *lib. 6. hiſt. anat. cap. 23.*) *renes ſunt gemini à natura facti, ne obturato uno, ſeroſi humoris ceſſaret profuſio.* Ergo impoſſibile videtur, ut à lapide, in uno tantum rene contento, urina ſupprimatur: quemadmodum ego in Generoſo Domino Felebaum de Manheldt obſervavi. Hic enim quinquageſimum ſextum ætatis annum agens, temperamenti phlegmatico-ſan- Quando dyſuria ſignum calculi. Cur duo renes.

 gui-

Hiſtoria mictûs ſanguinei.

guinei, obeſioris corporis habitûs, duorum fere menſium ſpatio, ſanguineum urinæ mictum fuit paſſus: quandoque craſſam, arenoſam: nonnunquam verò albam & tenuem, valdequè copioſam minxit. Sanguineum urinæ mictum ipſe Dominus Patiens nimiæ hepatis caliditati imputabat, cùm diceret, ſe ſingularem renum dolorem non pati. Igitur, proprii capitis ſententiam ſecutus, nullo requiſito conſilio Medico, lactis caprini uſum, ad tollendam hepatis caliditatem, per aliquot ſeptimanas continuavit; ſed absque deſiderato effectu. Tandem etiam advenientis cujusdam, ad Urbem, circumforanei conſilium & auxilium imploravit; qui, non attento, aut potiùs ignorato, Hippocratis *aphoriſ. 6. ſect. 6.* & *aphoriſ. 75. ſect. 4.* neque conſiderato Avicennâ, *omnem ſanguinis mictum purum & multum malum* pronuntiante, de facili & ſubitâ hujus affectûs curatione, plurima, pro hujuſcemodi blateronum more, garriens, neſcio, à qua Pſeudochymicorum ſerie, curam auſpicatus, tantum effecit, ut, octo dierum ſpatio, non modò periculoſum ſanguinis mictum non ſuſtulerit, ſed etiam in febres ardentes malignas Dominum Patientem abire fecerit. Inde, re ſemper in deterius urgente, quintâ morbi die, inſtantibus apud Patientem potenter amicis, advocor: quos expectato ſolatio afficere haud potui, ob inſignem, quam notabam, in ægro virium ſtragem, morborumquè complicatorum vehementiam.

Juſſi igitur, animæ ut providerent, cum adpromiſſione, me de reliquo, inter fatales hoſce eventûs, Medici induſtrii & conſcientioſi officio ſatis daturum. Fugiente intereà ab urbe fraudulento, & Domino Patienti vafrè pecuniam è loculis emungente medicaſtro, Patiens, ſexta febris die, univerſam mundi viam ingreditur. Amici, diuturnum ſanguinis mictum admirati, miro, ejus cauſam ſciendi, ferebantur deſiderio, rogantes, ut cadaver ſectioni anatomicæ ſubjiceretur:

quorum

quorum petitioni eò libentiùs annui, quò firmiùs credebam, venam quandam, circa renes, aut per abſceſſum læſam, aut caſu motúque graviore ruptam. Quare ſectionem, in mœſtorum amicorum præſentia, aggreſſi, miram omnium partium pinguedinem invenimus; &, inter reliqua, in hoc cadavere inventa, notatúque digna, lien eximiæ erat magnitudinis, támque copioſo, eoquè nigerrimo, ſucco oneratus, ut ex diſſecto, unà cum parenchymate, omnia effluerent, remanente ſolùm in manibus Chyrurgi pelliculâ tenuiſſimâ, quà lienis parenchyma circumdatur. Lien magnus computruit.

Hæc purulentia Chyrurgi manûs tantoperè corroſit, ut per ſeptimanas ejus curationi vacare debuerit, mihiq́ue omnino perſuaſerit, ut credam, acidum lienis, à ſtatu ſibi naturaliter conpetente degenerans, eſſe venenum, veneno fortius; quod uti, in ſtatu naturali, plurimum ad ventriculi digeſtionem facit, concurrente Archeo naturali: ſic peregrinam induens indolem, non modò plurimum ſtomachi actionibus naturalibus obeſt, ſed &, totius corporis œconomiam perturbando, poſtremum adfert exitium ac ruinam. Acidum lienis degenerans venenum.

Siniſtri renis pinguedo totaliter colliquata fuit, ejusquè ſubſtantia carnoſa arefacta, &, inſtar marſupii vacui, corrugata: Dexter verò magnum in ſe continebat calculum, duriſſimum, & per modum chelarum cancrinarum bicuſpidem, altiúsque renis ſubſtantiæ exulceratæ inhærentem; à quo vena emulgens, renis ſimam ingrediens, exeſa & perforata erat; quæ, continuò cruorem ſudans, hujus mictûs ſanguinei cauſa fuit. Huic calculo magno alii, piſorum majorum adinſtar, adjuncti, renis cavitatem inhabitabant: neque tamen Dominus Patiens unquam de graviore dorſi, aut renum, dolore conqueſtus fuit; quantumvis diverſa faceret itinera, curru & equo vectus. Ex quibus luculenter apparet, tam fida calculi renalis ſigna non dari, ut fallere non poſſint. Siniſtri renis putredo. Vena emulgens à calculo perforata.

Signa

Signa lapidis veſicam incolentis demonſtrantia ab Hippocrate, *lib. 4. de morbis*, ſequenti modo deſcribuntur: *Calculus veſica quinque habet ſigna. Cùm urinam reddere vult Æger, dolore afficitur, & urina paulatim, velut urinæ ſtillicidio laborantibus, effluit, interdumquè ſubcruenta eſt; utpote veſicâ à calculo exulceratâ; & veſica inflammatione vexatur. Verùm id non apparet; indicio tamen eſt ſumma præputii pars. Interdum arenoſa per urinam redduntur.* Ita reverâ ſe res habet, ut Hipppocrates, *loco jam citato*, docet. Nam calculo veſicæ laborantes cum dolore, & gemitu, frequenter mingunt; eò, quòd natura ad frequentem excretionem à calculo irritetur, veſica diſtendatur. Quemadmodum enim Hippocrates, *lib. de morbis, paulò ante citato*, tradit: *ubi calculus corpus ſolidum redditum fuerit, ſurſum ac deorſum in veſica agitatur, veſicamquè tundens, dolorem exhibet; cumquè vehementer tundat, ac ulceret, ab ea aliquid aufert.* Unde urina ſubcruenta oritur, propter partium affectarum vulnerationem: muſculi enim, veſicæque ſubſtantia ipſa, atquè urinæ ductûs, à calculi aſperitate corroduntur, ita, ut nonnunquam ſanguis urinæ mixtus excernatur. Hanc aliquando veſicæ exulcerationem, ejusdem inſequitur inflammatio. Aliquando guttatim mingunt, dum calculus urinæ exitum paranti obicem ponit, ipſúmque veſicæ orificium obſtruit. Hinc etiam accidit, ut, ſub finem mictionis, vehemens oriatur dolor in præputio. Nam dum urina effluit, contingit, ut etiam calculus, in veſica occluſus, ſibi paret exitum, & muſculum, veſicæ janitorem, arctiùs comprimat, & jam totum virgæ ductum, jam verò præputium, aut glandem, ſolùm afficiat. Hiſce tamen omnibus ſignis nullum certius eſt, quàm ſi, digito in anum immiſſo, calculi præſentia, ejúsque magnitudo exploretur.

Calculi veſicæ quinq; ſigna, 1.

Cum dolore mingunt.

Urina cruenta.

Veſicæ inflammatio.

Urinæ ſtillicidium & præputii dolor.

Certa calculi exploratio.

Signa prognoſtica.

Quoad ſigna hujus mali prognoſtica, omnibus Medicis ſat notum eſt, quòd hoc malo non facilè corripiantur, qui ſolutam

ſolutam habent alvum, & frequenter vomunt. E contra ſive renes, aut veſicam, calculus afflixerit, malum eſt omni ex parte periculoſum: cùm facilè exulcerationes, inflammationes procreet, præſertim ſi deficientia ſenum corpora affecerit; juxta Hippocratem, qui, *aphoriſ. 6. ſect. 6.* ait: *renum & veſicæ vitia in ſenibus ægrè curantur;* quia, ob languentem & peſſum euntem calorem nativum difficulter, aut non, niſi longiſſimo temporis intervallo, ſenum corpora ſanantur. Ad hæc excrementa, quibus per has vias transeundum, inſignem ſibi adjunctam habent acrimoniam, quæ partes haſce eroſas, aut quocunque modo læſas, magis offendunt, ita, ut â renum calculo, eorum ulcus non raro generetur. Calculus enim attritione renes quaſi exedit: quam exeſionem cruenta ſubſequi ſolet urina; quæ à Divino Hippocrate, *in coac. prænot. text. 182.* vehementer damnatur. Dicit enim: *quibus urina cruenta redditur, iis morbi diuturnitas denuntiatur;* &, ut loquitur Fernelius, *lib. 3. de urinis, cap. 16. ſanguis cum urina non prodit, niſi renum ulcus fuerit.* Quod agnoſcens Hippocrates, *aphoriſ. 75. ſect. 4.* ait: *ſi quis ſanguinem, aut pus, aut ſquamulas meiat, & gravis odor adſit, renum & veſicæ exulceratio ſignificatur. Et qui inopinanter ſanguinem meiunt, iis à renibus venulam ruptam eſſe, ſignificatur;* dicente eodem, *aphoriſ. 78. ejusdem ſectionis*, ſive jam ruptio illa facta fuerit à calculo exedente, ſive alio quocunquè modo facta; ſemper periculum minatur.

Cur ſenes difficulter ſanentur.

Calculus renes lædit.

Eodem modo illæ damnantur urinæ, quibus bullæ, per aliquot dies, inhærent; quia inſignem tartareorum ſuccorum miſcellam loquuntur, quæ longum temporis intervallum ad ſui ablationem requirunt. Unde Hippocrates, *aphoriſ. 33. ſect. 7.* aſſerit: *quibus in urinis bullæ inſident, morbum renalem, & longum ſignificant.* Siquidem (ut placet Cardano, *in hujus aphoriſmi commentario*) *ubi ſpuma diu manet, neceſſum eſt, flatum gigni ex lenta, craſſaquè materia: quod verò craſſum eſt, & lentum, neceſ-*

Urinæ cum bullis malæ.

ſariò frigidum eſt, idemquè morbos longos neceſſariò etiam procreat. Palam eſt igitur, bullas, diu in urina ſuperficie manentes, longum morbum declarare: & quantò bulla majores fuerint, atque diutius manſerint, eò longiorem morbum ſignificare.

Denique, ut prognoſtica, de renum calculo, ejusquè periculis, formanda brevibus perſtringam: ſciendum eſt, hunc quidem ex eo morborum genere eſſe, qui non ſubitò (niſi utriusquè renis & ureteris cavitates ita obſtruerentur, ut omnimoda urinæ excretio impediretur) ſed poſt ſat longa temporum intervalla, finiuntur. At ubi inveteratus fuerit, curationem non admittit, & vel citò interimit, vel infelix planè, penitúsque miſerabile vitæ genus, ob dolores ſine interruptione affligentes, affert. Unicum hujus mali remedium eſt, ut cito præſentiſſimo pharmacorum auxilio obvietur: quoniam, principiis neglectis, febris ſyntectica, ſuperfluas balſami nativi reliquias conſumptura, ſuccedit, quæ oſſei illius monſtri, mortis nimirum, prodromus, eam paulò pòſt ſecuturam denuntiat.

Renum calculi longè durant.

Par de eo, qui veſicæ capacitati ineſt, calculo ratio eſt: & quamvis omnibus omnino, utriusque ſexûs, individuis magnum minetur periculum; Viris tamen majus, quàm fæminis, imminet: quia breviorem, longequè laxiorem, & non adeò anfractuoſam, veſicæ cervicem habent, quàm Viri. Unde calculi ovorum columbinorum magnitudinem adæquantes, imò etiam excedentes, à fæminis excernuntur: id quod in Domina quadam, Urbis Echinopolitanæ cive, Juliana Kauttin, ſumus experti, quæ, graviſſimis veſicæ doloribus, à calculo obortis, diu excruciata, poſt multarum ſeptimanarum fomentationes, balnea, & inunctiones, cum urina, excrevit lapidem, duas uncias, unâ drachmâ minùs, ponderantem, & ovi gallinacei minoris magnitudinem habentem: quæ poſt hujus calculi excretionem, adhuc plurimorum anno-

Calculus veſicæ viris periculoſior.

Hiſtoria de calculo per veſica excluſo.

rum

rum ſpatio vitæ ſuperſtes, ante tres primùm annos vitâ piè defuncta eſt.

Methodum quidem nephritidis curativam Hippocrates breviſſimo verborum compendio complectitur, *lib. 6. de morb. vulgar. ſect. 1. text. 5.* dicens: *in renum doloris gravitate quietem agere non conducit, ſed exercitationes; non repleri cibis. Juvenibus veratrum exhibere oportet, poplitem cædere, urinam cientibus vacuare, attenuare ac emollire.* Verùm licet tria illa curationis inſtrumenta Diætam videlicet, Pharmaciam, & Chyrurgiam attingat Hippocrates; adeò tamen obſcuris & brevibus curationem deſcribit verbis, ut ea vix ab omnibus comprehendi poſſit. Proinde iis innitendum eſſe cenſemus indicationibus curativis, quibus, *priore capite*, utendum eſſe, monuimus. Et quamvis Riverius dicat, calculi renalis curationem in bonâ conſiſtere diætâ, & debita corporis purgatione: nos tamen, in methodica calculi curatione tres ſcopos ſpectandos eſſe, ſtatuimus: primò communium viarum evacuationem: ſecundò meatuum, urinæ excernendæ dicatorum, præparationem, reſerationem, & doloris mitigationem; affligentis calculi exturbationem: quod Pharmaciâ, Chyrurgiâ & Diætâ peragitur. Cùm enim calculus ſui ablationem poſtulet & indicet: & hæc, ob plurima impedimenta, ſtatim fieri non poſſit; ea priùs eſſe auferenda, nemo prudens negabit, quæ ejus ablationi quàm maximè obſtant & impediunt: ſed primarum viarum infartus, & obſtructio, calculi evacuationi obſtant, eámque vel maximè impediunt: ergo ab iis curatio eſt auſpicanda, quæ redundantem, in primis viis, ſtagnantium humorum mephitim evacuant, & earum viarum obſtructiones tollunt, per quas calculo eſt excedendum.

Methodus medendi.

In calculi curatione tres ſcopi ſpectandi.

Quarè, cum *natura ſit morborum medicatrix*, dicente Hippocrate, *lib. 6. epidem. &, per ſe docta, ea, quæ conveniunt, efficiat* (modò ad operis, ſibi peragendi molem ſe ſolâ ſufficiat) Medicus

Natura morborum medicatrix.

dicus autem ſit naturæ bene operantis miniſter; ideoquè naturam, ritè laborantem, in omnibus ſuis operationibus obſervare, ejúsque præmonſtrata exempla, pro viribus, æmulari debeat; quotidiano autem rerum eventu doceamur, quòd ipſa natura calculi excluſionem à vomitûs concitatione inchoare ſoleat, plurimique inferioris conditionis homines, ſolius naturæ operâ, absq; omni medicamentorum exhibitione, à calculo liberentur: jure merito, à naturæ magiſterio inſtructi, calculi curationem à vomitûs provocatione incipimus: ſiquidem vomitûs beneficio non tantùm nephritici dolores mitigantur, ſed etiam calculus, renum cavitatibus penitiùs inhæreſcens & impactus, loco non nihil dimovetur.

Cur vomitus proſit.

Si ergo infirmus facilè vomat, aut aliquâ ſaltem ratione ad vomitum inclinet, cibósque adhuc incoctos, aut ſemicoctos, in ſtomacho habeat, dum nephriticus ingruit proxysmus, atque aliunde nihil obſtet; perutile erit, eundem *aquâ tepidâ, cum aceto mixta*, aut *oxy melle ſimplici, aut aquâ raphani*, ad vomitum leviter incitare: vel

Potiones Emeticæ.

℞. *Rad. raphan. rec.* ℥i.
aſar. ʒiß.
flor. chamomill.
ſummit. cent. min. an. p ij.
ſem. raphan. ℈ij.

Coque ex ſ. q. aquæ ſimplicis. Colaturæ ℥iiß. vel ℥iij. adde
oxymel. ſimplic. ℥ß. *vel* ʒvj.

Miſc. f. Potio vomitum excitans. Vel

℞. *Decoct. rad. raphan.* ℥iiß.
ſyr. emetic. Angel. Sala ʒvi *vel* ℥i.

Miſc. & fiat Potiuncula vomitum blandè movens. Vel

℞. *Aq. centaur. min.* ℥ij. *vel* ℥iiß.
ſyr. emetic. Angel. Sala ℥i.
tartar. emetic. Zvvelfer. ℈ß.

Miſce:

Miſce : fiat Potio vomitiva, unâ vice aſſumenda.

Vomitui, juxta rei exigentiam, provocato, ea ſubjungi mox debent, quæ obſtructionem tenacitatémque reſerant, hoſpitantem in inteſtinorum ductibus materiam emolliunt, & auferunt. Ideoque clyſteribus emollientibus, reſeranti- bus, lenientibus, evacuantibus, flatusquè diſcutiendi vi prædi- tis, utendum eſt: quales eſſe poſſunt ſequentes, aut iis ſimiles: Quid poſt vomitum faciendum.

℞. *Decoct. emollient. & carminativ.*
c. ſ. q. juris capitis vervec. aut
gallinacei parat. ℥xi.
benedict. laxativ. ʒvj.
mel. roſar. ſol. ℥i.
ol. amygd. dulc.
lil. albor. an. ℥i.
chamomill. ℥ß.

Clyſteres emollientes.

Miſc. f. Enema:

Vel ſi, urgente vehementiùs dolore nephritico, illa jam dicta non eſſent ad manum: iis ſubſtitui poſſet enema, ex lacte recenter mulſo, butyro non ſalſo, & ſaccharo, paratum. v. g.

℞. *Lactis recenter mulſi* ℥xi.
butyr. recent. non ſalſ. ℥iij.
ol. olivar. ℥i.
ſacchar. ʒvi.
ſal. comm. ʒi.

Miſc. f. Enema.

Si hiſce injectis rebellis inteſtinorum conſtitutio obtemperare, & nephritici dolores mitigari ad magis emollientium clyſteriorum uſum deſcendere oportet: ut

℞. *Rad. althaæ* ʒvi.
malv.
lil. albor. an. ℥ß.

herb. malv.
parietar.
branc. urſin. an. Mj.
veronic.
violar.
flor. malvæ
chamomill.
hypericon. an. Mß.
ſem. lini
fanigrac. an. ℥ß.
malv. ʒij.
bacc. juniper. ʒiij.

Coque ex ſ. q. aq. fontan. Colatur. ℥x. adde
caſſiæ pro clyſter. ℥iß.
elect. diaphænic. ℥ß.
ol. chamomill.
amygd. dulc. an. ℥i.

Miſc. F. Clyſter.

Et quamvis aliqui ſint, qui catharticorum uſu abſtinendum eſſe putant; nos tamen, hanc ſententiam defendentium pace, dicimus, enematum injectionibus mox blandiora cathartica eſſe ſubſtituenda; ut non modò excrementa, inteſtinorum cavitates incolentia, ſubtrahantur, ſed etiam aceſcentes & putreſcentes, in venarum meſaraicarum ductibus, humores everrantur; ſiquidem hiſce viis, à nimia excrementorum copia liberatis, renum & ureterum meatûs eò magis dilatantur, & ampliantur, ut eò minori cum difficultate calculus transeat. Hunc in finem Donzelinus (ut eſt in obſerv. Joannis Cratonis, *conſil. 148.* ſequentem *Bolum* exhibet:

In calculo purgantibus agendum.

Bolus laxans.

℞. *Flor. caſſiæ ℥i.*
pul. glycyrrh. ʒi.

Miſce: fiat Bolus. Vel

℞. *Mel.*

℞. *Mel. roſar. ſolut.* ℥ij.
mannæ elect. ℥ij.

Miſc. & cum aqua agrimon. q. ſ. fiat Potio. Quòd ſi pilulis, ut inquit Donzelinus, *delectetur*

℞. *Extract. catholic. Andernac.* ℈ij. Pilulæ.
Fiant inde pilulæ num. vij. & deaurentur.

Verùm nobis ſequens laxandi modus, in calculo, uſualis eſſe ſolet:

℞. *Rad. althææ inciſ. & contuſ.* ℥ij. Potio laxativa.
liquirit. raſ. & contuſ. ℥ij.

Coque ex ſ. q. juſculi carnis: in Colatur. ℥iiij. diſſolve
mann. el. ℥iß. *vel* ℥ij.
ſyr. de cichor. cum Rhab. ℥vi.

Miſc. F. potio laxativa, pro una doſi.

Illud tamen hîc obſervari velim, ne, urgentibus calculi cruciatibus, fortioribus utamur catharticis; aut iiſdem diuretica addamus. Quemadmodùm enim à fortiorum purgantium exhibitione tanta virium ſtrages levi negotio infertur, ut natura labori, ad calculi excluſionem requiſito, non ſufficiat: ita facilè accidit, ut à nephriticorum remediorum additione craſſi & viſcoſi, in venarum cavitatibus hoſpitantes ſucci, ad infartos renum ſinûs deferantur, non tantùm majorem viis violentiam inferendo, ſed etiam malum augendo, & in loco affecto acerbiorem ſymptomatum vehementiam concitando.

Urgente calculo fortiora cathartica nocent.

Diuretica non ſunt miſcenda purgantibus.

Quòd ſi, hac ratione, purgata, & à nimia excrementorum copia liberata fuerit prima corporis regio, in eodem etiam corpore, nephriticos dolores ſuſtinente, alimentariorum ſuccorum conſtitutio in examen vocanda venit. Si enim in graviore renum dolore, vel minima redundantis ſanguinis adfuerint indicia, nihilq; obſtiterit; ad venæ inciſionem deſcendere, eámq; jam in ſuperioribus; jam verò in inferioribus, corporis partibus facere

In calculo venæ-ſectio competit.

facere oportet: ut tradit Hollerius, *lib. de morb. intern. cap. 45.* ubi dicit: *detrahendus ſanguis è crure, niſi plenitudo ſit totius corporis. Sic enim è cubito priùs lenientibus & laxantibus; deinde etiam leviter incidentibus calculus ad excluſionem præparandus eſt, paulatimquè gradus ad ea, quæ detergent, attenuant, expellunt, atque etiam urinas movent.* Vult nimirum Hollerius, cum tota facilè Medicorum, Hippocratis doctrinam ſectantium, ſchola, quòd in vehementioribus calculi doloribus, ſit ſecanda vena, ſi aliqualia plethoræ ſigna adfuerint: partim ut renum inflammationem præcaveamus; partim ut urinæ difficultatem tollamus. Nam (ut docet Hippocrates, *aphoriſ. 36. ſect. 6.*) *urinæ difficultatem ſolvit venæ-ſectio.* Quod de ea urinæ difficultate accipiendum eſſe cenſemus, quæ inflammationem, à calculo ortam, ſequitur. Calculus enim renum ſubſtantiam corrodit, corrodendo dolorem parit: *atqui omnis dolor inflammationem parit, inflammata exacuit, irritátque, & fluxionibus occaſionem præbet*, dicente Galeno, *lib. 1. de compoſit. medicam. ſecund. loc.* adeóque, in hac nephritide, urinæ difficultatem à venæ ſectione tolli, non eſt ambigendum; ideóque venæ ſectio, in calculi dolore, cum judicio facta, prodeſt.

Quando ſecanda vena.

Purgato, hiſce remediis, toto corpore, ad viarum, per quas calculo transeundem eſt, lubricationem transimus, quæ partim internorum aſſumptione, partim externorum pharmacorum applicatione, aut inunctione, perficitur. Varii quidem variis, per interna medicamenta, modis, cavitates (per quas lapillo, in renibus degenti, ad veſicam migrandum eſt) lubricas conantur reddere; dum alii pingvia carnium juſcula ſæpiùs aſſumenda præſcribunt; alii terebinthinam, cum nuce moſchata permixtam, offerunt; alii denique, congruo medicamentorum apparatu, eum digerendum frangendumquè eſſe aſſerunt. Verùm cùm calculus, ob ſpecialem ſuam duritiem, frangi à medicamentis difficulter poſſit: & hæc

Viæ lubricandæ.

hæc tantarum rarò ſint virium, potiorque eorum pars in ſtomacho digeratur; minùs adhuc inciſionem, attenuationem & digeſtionem (prout crudi, indigeſti, viſcoſique humores haſce actiones ſuſcipiunt) calculus admittet. Propterea nos, ad viarum lubricationem, propinare ſolemus ſequentem potiunculam, eandémque, durante paroxyſmo, ſæpius reiterando:

℞. *Rad. alth. inciſ. & contuſ.* ℥i.
malv. ℥iij.
liquirit. raſ. ʒij.
petroſel. rec. numero ij.
Mac. gr. vij.

Decoctum lubricans.

Coquantur cum ſ. q. juſculi bubuli, aut gallinacei; colato, fortitérque expreſſo adde
ſpir. ſal. coagulat. gr. vi.
ol. amygd. dulc. rec. expreſſ. ℥iij.
Miſc. & ſæpius, durante paroxyſmo, hujus juſculi ℥iiij. propinentur.

Sin autem ſitis, durante paroxyſmo, potentiùs affligat, pro neceſſitate, de ſequenti Mixtura bibi poterit:

℞. *Aq. fragor.* ℔iß.
ſaxifrag.
bugloſſ.
borrag. an. ℥iij.
malvæ ℥ij.
ſyr. dialth. Fernel. q. ſ. Miſc. fiat Julapium.

Julapium ſitim ſedans.

Sin majore adhuc lubricatione opus eſſe, putemus, & ſitis penes urgeat: celebratiſſimum illud, maximarúmque, in hoc caſu, virium, Foreſti decoctum exhibere ſolemus, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. *Sem. alth.*
malv. an. ℥iij.

Deſcriptio decocti Foreſti.

cicer. rubr. ℥iij.
4. frigid. major. an. ʒij.
hordei mundat. ℥ij.
caricar. pingu. num. ix.
ſebeſten. recent. num. vii.
liquirit. raſ. ʒvi.

Mixta & contuſa coquantur in ſ. q. aq. commun. ad conſumptionem partis dimidiæ: colaturæ, cum albumine ovi clarificatæ adde

ſyr. dialth. Fernel. ℥iii.

exactè mixta pro neceſſitate bibantur.

Præter interna illa pharmaca, vias dilatantia, etiam externa, eaſdem ampliantia, adhibentur: ut fotûs, inunctiones, balnea. Fotûs componuntur ex decocto radicum *althaæ, malvæ, liliorum alborum:* foliorum *malvæ, veronicæ, bismalvæ, capillorum Veneris, florum chamomillæ, meliloti, geniſtæ, hypericonis, ſemine lini, fœnugræci &c. v. g.*

Externa lubricantia, ut cataplasma.

℞. *Rad. alth.*
malv.
lil. alb.
pimpinell.
reſt. bovis an. ℥i.
herb. malv.
bismalv.
parietar.
veronic. an. Miii.
capill. Vener.
mercurial.
origan.
hypericon. an. Mii.
flor. chamomill. Mii.
melilot.

violar.

violar.
geniſt.
hypericon. an. Mi.
bacc. juniper. ℥ii.
halicacab.
ſem. lini,
ſanigrae. an. ℥iii.

Inciſa & contuſa coque ex ſ. q. aq. ad formam Cataplasmatis, cujus pars, telis impoſita, renum applicetur regioni, ibidemquè tam diu relinquatur, dum refrigeretur; refrigeratæ mox calida, vicibus reiteratis, ſubſtituatur.

Joannes Crato, *conſil. 141.* ſequens *Cataplasma*, magno cum fructu, ſe adhibuiſſe, hoc in caſu perhibet:

℞. *Malv.*
parietar. virid. ſi haberi poſſit, an. Miii.
raphani, ſive radicul.
petroſelini cum toto, an. Mi.

Decoque in ſ. q. aq. puræ, &, additis cepis tribus, ac oleo amygd. dulc. q. ſ. repletis, & ſub cineribus coctis, deinde contund. cum oleo ſcorpion. amygd. amarar. ad formam emplaſtri, extendatur, ac renibus, ſi dolor eſt renum, vel veſicæ applicetur. Nam calculum frangit, atquè emollit. In gravi renum dolore, atquè calore hoc emplaſtrum, ut faciliùs calculum elidat, prodeſſe, ſæpe animadverti.

℞. *Cancror. fluviatil. num. xii.*

Bulliant in ſ. q. aquæ puræ vel lactis, & contundantur, ac rurſum coquantur, ſuccusquè exprimatur. Eo ſucco imbuatur panis albi medulla, &, additis vitellis ovorum duobus, butyri recentis, & olei violarum, q. ſ. commiſceantur omnia in mortario, & extendantur in panno lineo, & renibus, ac ureteribus applicetur. Cataplasma & Emplaſtrũ Cratonis.

Verùm dum, Anno 1669. Domina Maria Kautzmannin, Urbis Echinopolitanæ Aphothecaria, & honeſtiſſima vidua, vehementiſſimis renum doloribus, ſtupendisquè dextri lateris

 infla-

inflationibus, torqueretur, neque tam intra aſſumpta, quàm à foris applicata unguina levamen adferrent, ad emplaſtrum Mynſichti carminativum deſcendimus; quod tamen priùs, ob nimiam calefacientium oleorum copiam, nonnihil reſtrictum & correctum, intra telam duplicem impoſuimus, tam proſpero ſucceſſu, ut, poſt repetitam aliquoties hujus emplaſtri impoſitionem, non ſolùm inflatio remiſerit, ſed etiam triginta duo calculi, fabarum magnitudinem adæquantes, tridui ſpatio, ab ægra excuſſi fuerint: quibus excuſſis, bona Domina adhuc aliquot annos vitæ commodæquè valetudini ſuperſtes vixit.

Virtus Emplaſtri carminativi Mynſichti.

Quòd ſi tamen medicamentorum, jam nominatorum, ſeries optato fruſtraretur eventu, ad inſeſſum, vel balnea aquæ dulcis, progrediendum eſt: ſiquidem hæc urgentis doloris vehementiam non modo leniunt, ſed etiam calculi exclusionem promovent & curant. Talia autem parantur vel ex aqua dulci ſimplici, vel ſpeciebus eidem incoctis, quales ſunt *radices althaæ, apii, aſparagi, bardanæ, eryngii, liliorum alborum, malvæ, petroſelini, pimpinellæ; folia malvæ, bismalvæ, capillorum Veneris, chærefolii, hederæ terreſtris, hypericonis, mercurialis veronicæ, parietariæ: flores meliloti, malvæ, chamomillæ, geniſtæ, ſambuci, betonicæ, violarum: baccæ juniperi, alkekengi, hederæ, cynosbati: ſemina lini, fænigræci &c.* Id tamen, quod *Hollerius, cap. 45. lib. 1. de morbis internis* docet, accuratè velim obſervari, quòd *cujuslibet corporis, hiſce medicamentis tractandi, habitus & ratio ſit ſpectanda, ut, pro cujuslibet videlicet conſtitutione & exigentia, illa variet. Nam obeſum corpus magis tenuantia; gracile verò minùs perferre poteſt: ſic loci quoque, temporis, anni, ætatum, & ſimilium meminiſſe oportet.* Secundò obſervandum eſt, ne balnea aut æquo ſint calidiora; aut frigidiora; aut juſto diutiùs in iis Patientes morentur; & nunquam iis utantur, niſi corpore priùs à nimio perverſorum humorum infartu fuerint expur-

Balnei aquæ dulcis utilitas.

Quid circa balneum obſervandum.

expurgata, virésque fuerint integræ. *Nam* (ut tradit Hippocrates, *lib. de rat. vict. in morb. acut.*) *dorſi dolorem balneum quidem mitigat; ſed, ſi apparatûs penuria in uno, vel pluribus deficiat, verendum eſt, ne magis lædat, quàm auferat. Eorum enim ſingula, non convenienter à miniſtris præparata, magnam offenſionem afferunt. Sic, quibus alvus plus juſto ſiſtitur, neque prius ſoluta eſt, balneum officit: ſed neque eos, qui viribus ſunt exolutis, lavare oportet: neque ſtomachi faſtidio laborantes; neque vomiturientes; neque bilioſum eructantes; neque quibus ſanguis ex naribus profluit.* Ex quibus patet, ad accuratam renum ſic affectorum curam, limatum circumſpecti Medici judicium requiri; qui, magno delectu, ea ægrotis pharmaca præbeat, quæ eorum ætati, complexioni ac temperamento apprimè congruere videbuntur.

Poſt fotûs, & balnea, renum & ureterum regio diverſis, pro partium & hominum calculo laborantium diverſitate, unguentis & linimentis inunguntur; ut facta, per fotûs & balnea, viarum lubricatio augeatur, calculi eductio promoveatur, & partes, in quibus lapis moratur, roborentur; ſi ab ejus duritie aut acuminibus, aut magnitudine læſæ fuerint, ſanentur, atque priſtino virium deperditarum vigori (quantum poſſibile eſt) reſtituantur. Huic intentioni diverſus pharmacorum apparatus ſervit. Inter alios Joannes Crato aliquot linimentorum & unguentorum formulas, *in ſuo conſiliorum volumine*, proponit, quorum unum, *conſilio 141.* ſequens eſt: *accipiatur* (ut loquitur) *ſuccus malvarum, & miſceatur, lento igne, cum adipe cuniculi, præſertim cum eo, quod ad renes reperitur. Hôc ſæpe inungantur lumbi, in ea parte, in qua ſunt renes.* Efficax quoque unguentum ſequens eſt, maximè ſi nimia renum adfuerit caliditas:

Inunctiones proſunt.

Unguentum.

℞. *Ol. violar.*
roſar. an. ℥i.

 ſantal.

ſantal. rubr.
albi, an. ʒi.
roſar. rubr. ʒiß.
ſem. endiv.
portulac. an. ʒiß.
ſucci ſemperviv.
lactuc.
lactis caprin. an. ℥ß.
aceti parum.

Cum *cera* q. ſ. f. unguentum: id certè longè optimum eſt.

Nos verò ſequenti linimento, utpote ſpeciali virtute renibus & ureteribus familiari, calculo verò ſingulariter adverſo, uti ſolemus:

℞. *Ung. cancrin. Craton. ℥i.*
dialth. ʒvi.
roſar. Meſ. ʒiij.
ol. amygd. dulc.
amarar.
ſcorpion. Matthiol. an. ʒii.
terebinthin.
juniper. an. ℈i.
axung. cunicul.
anat. an. ʒi.

Miſce: fiat linimentum: quo renes & ureteres, poſt fotum, aut balnea, inungantur; aut etiam nullo balneo, aut fotu prævio; modò inunctionis ſit quædam neceſſitas.

Unguentum autem *Cancrinum Cratonis* ideo nominamus, quòd potiorem, illud ingredientium ſpecierum, partem ex Cratone deſumpſerimus, noſtræquè Praxi, cum maximo patientum fructu, accommodaverimus: cujus ſequens eſt deſcriptio:

℞. *Cancror.*

Deſcriptio Unguenti Cancrin. Cratonis.

℞. *Cancror. fluviatil. menſe Majo collect.* ℔ij.
rad. tormentill.
rub. tinct.
caryophyllat. an. ℥vj.
angel.
pimpinell. an. ℥i.
herb. veronic.
prunell.
agrimon.
artemis.
alchymill.
farfar.
hyperic.
betonic.
pyrolæ,
ſcabioſa,
plantag.
conſolid. major.
fol. ſambuc. an. pij.

Hæ ſpecies recentes (ſi haberi poſſint) inciſæ & contuſæ, infundantur in butyri recentis ℔iij. vini albi ℥ix digerendo 6 diebus, in loco tepido, ubi dein coquantur leni igne, ad conſumptionem vini: Colaturæ calidæ immiſce
ſpermat. ceti ℥ß.
rhabarb. ʒi.
mumiæ ʒii.
benè agitando, fiat, l. a. Unguentum, quo ſolo, aut aliis appropriatis mixto, renes per ſingulos dies bis inungantur, urgente potentiùs renum calculo.

Si tandem, laxatis, per interna & externa pharmaca, ſufficienter viis, calculus, propter magnitudinem ſuam, à natura expelli nedum poſſit, talibus eidem medicamentis ſuccurrendum

rendum eſt, quæ non ſolùm calculum, manifeſtis ſuis qualitatibus, ad excluſionem diſponunt, ſed etiam ſpeciali virtute detergendi, incidendi & comminuendi pollent. Quamvis iis magis confidamus, quæ naturæ inſufficienti manifeſtis incidendi, frangendíque qualitatibus ſuccurrunt, quàm iis, quæ occultis nobíſque incognitis proprietatibus ſuppetias ferunt. Manifeſtis enim viribus incidentia pharmaca, partium ſuarum tenuitate, ſe in minutiſſimos calculorum poros inſinuant, illorúmque coalitum, humidúmque continuans diſſolvunt, interumpunt, & conſumunt: abſtergentia verò calculos, à partibus, quibus inhærent, auferunt, & amovent.

Qualiter calculum frangentia operentur.

Horum autem pharmacorum tanta eſt diverſitas, ut cuivis facilè Medico, in arte probè verſato, ſua ſint ſecreta, quibus naturæ, in calculi excluſione laboranti, ſuccurrit, eúmque ſi æquo grandior fuerit, comminuit, aut incidendo & abſtergendo, è penitioribus renum, ac ureterum cavitatibus evocat & expellit. Galenus, *lib. 6. de ſimpl. med. facultat.* diverſa calculum frangentia & expellentia proponit, dicens: *artemiſia tenuium eſt partium, unde renum calculis, uteriquè fermentationibus, haud mediocriter congruit. Bdellium videtur, in potu ſumptum, calculos renum frangere, tum urinas ciere, & crudorum flatuum diſcurſus ſanare. Ciceris decoctum renum calculos frangit. Radix & ſemen fæniculi poſſunt urinas movere, & calculos frangere.*

Calculum frangentia.

Verùm hiſce Galeni ſimplicibus longè celebriora, longequè efficaciora ſunt hac noſtrâ ætate Medicorum pharmaca, quibus minores renum & veſicæ calculi non tantùm expelluntur, ſed grandiores etiam, in præfatarum partium ductibus hærentes, franguntur, deſperatiſſimique ſedantur dolores; ut videre eſt apud Petrum Poterium, qui, *obſervat. & curat. centur. 3. cap. 74.* præter alios, Patris cujusdam Franciſcani meminit, dicens; *Poſt varia tormenta, & infinita remedia, pro calculo*

culo atterendo fruſtrà data, ad Patrem accerſitus, ſalem vitrioli ſublimatum, & ad extremam puritatem adductum, ipſi ſtatim exhibui, cum juſculo carnium. Horâ poſt ipſum aſſumptum vomuit, & excrevit calculum ſatis magnum: ex quo confeſtim ab omni dolore liber evaſit.

Sal vitrioli ſublimatũ.

Non minùs ſua, utpote ad caluli renum & veſicæ fractionem & excluſionẽ probatiſſima, pharmaca nobis commendat Mynſichtus. Inter quæ ſunt: *tartarus nitratus, ſi à ℈j ad ʒß. porrigatur, cum vehiculo appropriato: Spiritus ſalis coagulatus, vitrioli coagulatus, magiſterium petroſelini, tinctura baccarum juniperi, ſpecies dianitri, diaterebinthinæ, pulvis polychreſtus, Imperialis, pilulæ de terebinthina, cicera tartari, cum brodio fructûs cynosbati data: rotulæ carminativæ, ſal nephriticum, marmelada nephritica, electuarium de nitro, catharticum terebinthinatum, terebinthina laxativa, ſpiritus vini juniperinus crocatus, ſpiritus vini lithontripticus*, & alia hujus generis plura, quæ (ut verum fatear) omnia quidem mirificè ad calculi curationem faciunt; magnam tamen Medici, in exhibendo, requirunt prudentiam. Siquidem aliqua ex iis ſunt, quæ, ob ſpecialem corporis diſpoſitionem, huic individuo proſunt; illi obſunt: hæc exulceratis à calculo partibus commodant; illa verò nocent.

Calculum frangentia Mynſichti.

Nobis verò (præmiſſis præmittendis) in calculorum difficulter exeuntium provocatione ſequentes pulveres ſunt uſui, ex quibus jam hunc, jam illum (prout res poſtulat) è congruo vehiculo propinamus: quorum primus hic eſt:

Medicamẽta lithontriptica nobis uſualia.

℞. *Spec. aromat. roſat.*
diarrhod. Abb. an. ʒiß.
lithontrib. ʒß.
ſal. ononid.
juniper.
petroſel. an. ℈ij.
lapid. prunell. ʒj.

ocul. 69. præp.
mandib. lucii piſc. præp.
ſuccin. alb. præp. an. ℈iiß.

Miſc. Fiat pulvis: de quo de die bis ℈ij vel ℈iij ex juſculo bubulo, cum althæ. petroſel. & liquiritia coćto exhibentur. Vel

℞. *Nitri vitriolat. ℥ij.*
ſal. abſynth.
petroſel.
geniſt. an. ʒv.

terantur, ſimul mixta, in marmore: pulveri ſubtiliſſimo adde:

ſuccin. albi præp. ʒij.
olei aniſ. ℈ij.
terebinth. ℈j.

Sacchar. ad pondus omnium. Miſce: fiat pulvis; de quo à ℈j. ad ℈ij. & ʒj. datur è juſculo petroſelini, præſervationis gratiâ, omni manè, curationis causâ etiam bis de die. Vel

℞. *Tartari calcinat. ℔ß*
vel, ejus loco,
ſal. tartar. depuratiſſim. ℥iij.
affundendo
ſpirit. ceraſor. nigr. rećt.
juniper. rećt. an. ℔ß.

abſtrahatur hic ſpiritus à ſale tartari, tribus cohobiis: qui interim aſſervetur, &

Pulvis nephriticus mirabilis.

℞. *Sal juniper.*
petroſelin.
ononid.
fœnicul. an. ʒij.
pulv. teſtar. limac. ℥ij.
ocul. 69. præp.
corall. rubr. præp.

lapid.

lapid. linc. præp.
Judaic. præp.
ſuccin. alb. præp. an. ℨiß.

Terantur omnia ſimul in pulverem ſubtiliſſimum, irrorando ſæpius priore ſpiritu tartariſato, vaſe optimè clauſo, calore benigniſſimo, donec totus ſpiritus à pulvere imbibatur, quo facto,

℞. *Sem. petroſelin.*
alkekeng.
meſpilor.
juniper.
milii ſolis
nummular. an. ℥ß.
rad. ſaxifrag. ℨiij.
ononidis ℥i.
herb. melilot.
chærefol.
ciner. juniper. an. ℥j.

Miſc. & contuſis affunde
aq. ceraſor. nigr.
chærefol.
petroſelin.
fænicul. an. ℥iij.

Stent infuſa per diem & noctem, in calore cinerum, ad ſpecierum extractionem. Hac infuſione, fortiter expreſſâ & filtratâ, prior Pulvis, ſpiritu tartariſato impregnatus, ſenſim & ſenſim denuò imbibatur, donec omnia ſimul miſceantur, ut, unita, in pulverem teri queant: qui pulvis aſſervetur. De hoc pulviſculo, ſingulis diebus, durante nephritidis paroxyſmo, vel unus cultri mucro, vel plus (prout patiens magis vel minùs fortis extiterit) ex vino albo propinatur. Si verò præſervationis cauſa quis eo velit uti, bonus cultri mucro, duobus,

 poſt

poſt novilunium, diebus, in albo vino aſſumendus: eadémque ſumptio per triduum reiteranda eſt. Quàm pulvis hic in operatione mirè potens ſit, experientiâ compertum habeo: multò tamen adhuc magis illius adjuvatur operatio, ſi duabus, ab ejus uſu, horis elapſis decoctum è petroſelino juſculum ſorbeatur.

Magnarum quoquè virium pulverem habet Doctiſſimus Znoymenſium Archiater, Jacobus Wez, Collega noſter obſervandiſſimus, quo is non tantùm hæretem in renibus lapidem cogit, atterit, & è corpore evellit, ſed etiam ad calculi generationem proclives ab ejusdem productione tuetur. Hujus deſcriptio ſequens eſt:

Pulvis lithontripticus Jacobi Wez.

℞. *Spec. diarrhod. abbat.*
lithontrib. an. ℈v.
criſtall. tartar. ʒj.
ocul. 69. præp.
lapid. percar. præp.
corall. rubr. præp.
milleped. ſeu aſſellor. præp.
vermiculor. in ſpongia cynosbat. inventorum, an. ʒß.
ſalis petroſelin.
juniper.
geniſt. an. ℈ij.
lapid. prunell.
ſuccin. alb. præp. an. ʒi.

Sacchar. finiſſimi q. ſ. Miſce: fiat pulvis, de quo, in curatione, ex juſculo cicerum, ſingulis diebus bis, duo cultri mucrones accipiantur: uti etiam tum præſervationis cauſa aſſumitur.

Alii *Aquam vitæ juniperinam*, ad calculi excluſionem, ſequenti modo paratam, miris deprædicant laudibus, ut:

℞. *Baccarum juniper. ſelect. contuſ. quantum placet: fermen-*

fermententur cum aqua calida, ut ſpiritus faciliùs elicitatur: qui, rectificatus cum rob. juniperi, & in loco calido, per aliquot dies, digeſtus, tincturam acquirit, rubini inſtar, jucundam aſpectu, & uſu matutino, per cochlear dimidium, laudabilem. Elixir juniperi.

Joannes Schröderus, *lib. 4. Pharmacop. Med. Chymic. claſſ. 1.* non minoris efficaciæ *Elixir juniperinum* proponit, quod

℞. *Baccar. juniper. maturar. ac electar. q. v.*

Contundantur craſſè, digerantúrque, affuſa aliqua aquâ diureticâ. Hinc exprime, abſtrahendóque inſpiſſa ad conſiſtentiam mellis. Hujus mellis juniperini cochlearia 10. 11. 12. miſce optimè cum aqua vitæ juniperina, digereq; aliquamdiu, leniſſimo calore. Sic confeciſti elixir juniperium, admirandarum virium, in calculo, quod inſuper ſtomachicum inſigne eſt, aliasquè facultates eximias obtinet: de quibus in baccis: doſis cochlear unum. Idem Schröderus, ad eundem affectum, commendat *ſpiritum, ex urina pueri* extractum, dicítque, nobiliſſimi eſſe auxilii, in pellendis arenulis & lapillis. Eodem modo, plurimi ſunt, qui, hærente in renibus calculo, ejusdem excretionem promovent, *oleo terebinthinæ, juniperi*, & aliis hujusmodi potenter calefactis pharmacis; non conſiderantes, qualis ſit ſubjecti, quod calidis hujuscemodi remediis tractatur, temperies: quæ renum conſtitutio: an calida, vel frigida? atque imprudenti, inconſideratâque hacce procedendi ratione frequenter accidit, ut vim renum lapidificam adaugeant, atque ad majorem calculorum productionem ſtimulent, dum calidam & intemperatam renum conſtitutionem calidiorum hujusmodi pharmacorum exhibitione intendunt. Proinde iis, qui aut calculo laborant, aut ad ejusdem productionem inclinant, valde calefacientia, utpote vehementer nociva, exhibere non competit. Sin autem contingeret, ut à potentiùs urgente neceſſitate, ad calidorum uſum compelleremur, unâ alterâve vice dare licebit, & non ſæpius.

Elixir juniperinum Schröderi.

Calida lithontriptica nocent.

Ubi notandum, quod decoctis attenuantibus, urinámque provocantibus, ea ſemper ſint addenda, quæ viarum, per quas calculo excedendum eſt, lubricationem faciunt. Eodem modo ab iis aut abſtinendum, aut valde ſaltem cautè procedendum eſſe cenſemus, quæ fortem, eámque ſpecialem, calculos è renum cavitatibus expellendi potentiam habent; quia calculi, à violentioribus hujusmodi pharmacis impulſi, ad ureterum meatûs quidem migrant, ſed dum ii anguſtiores, & non ſufficienter ampliati exiſtunt, calculi non raro ſubſiſtunt, & tam ingentes dolores excitant, ut nullâ arte ſedari poſſint; quin & mortem ipſam præmaturè adferant, quæ, omiſſis fortioribus hujus notæ pharmacis impellentibus, etiam in annos prorogari potuiſſet.

Fortia calculum impellentia nō ſunt tuta.

Jam lapidis, veſicam occupantis, curatio iisdem propè abſolvitur remediis, quibus calculi renalis curationem abſolvi, jam inſinuavimus, niſi tantæ ille eſſet magnitudinis, ut per viam, urinæ excretioni à natura aſſignatam, excludi non poſſet. Proinde non ſufficit, ut ante curæ inchoationem ſciamus, calculum veſicæ capacitatem inhabitare: ſed per ſingulares etiam artis dexteritates & inſtrumenta diligenter explorandum eſt, an lapis ſit parvus; vel magnus. Magni enim ob ſingularem ſuam duritiem, atteri, &, apud viros præſertim, excludi nequeunt: parvi verò, aptorum remediorum aſſumptione, per virgam excerni, aut ita comminui poſſunt, ut excretionem admittant; modò pharmaca, vias lubricantia, calculi duritiem emollientia, comminuentia, ejúsque ſubſtantiam friabilem facientia, ſint paulò valentiora; partim quòd majorem calculus veſicæ duritiem habeat, quàm renalis: partim quòd pharmacis, per os aſſumptis, per diverſas coctionum officinas ſit tranſeundum; in quibus vehementem virium ſuarum jacturam faciunt, antequam ad gravatam calculo veſicam deriventur. Unde requiſitam operatio-

Quid in calculi veſicæ curatione obſervandum.

rationem præſtare nequeunt, niſi aut majoris quantitatis, aut potentiorum virium, medicamenta fuerint.

Ante omnem lithontripticorum exhibitionem, diligenter videndum eſt, ut priùs ſtagnans in venis perverſorum ſuccorum cloaca expurgetur, quàm pharmaca, lapidis comminutioni deſtinata, propinentur, ne vitioſos è venis humores ſecum ad veſicam rapiant, atque graviorem ejusdem affectionem reddant. Purgato, per clyſteres & potiones, corpore, illa ſunt arripienda, quæ calculum, vel ob manifeſtam, vel abditam proprietatem frangunt; quæ vel per os aſſumuntur, vel per catheterem injiciuntur. Eorum, quæ per os aſſumuntur, jam ſufficientem à nobis mentionem factam ſperamus. Proinde hîc ſaltem paucula quædam attingemus, quæ ad calculi excluſionem plurimum adjumenti conferre, aut propriâ, aut aliorum præſtantium Medicorum experientiâ novimus.

Corporis purgatio præmittenda.

Inter reliqua, ad calculi comminutionem & excluſionem facientia, à Riverio, mirum in modum commendatur *aqua è cepis deſtillata*, ſi per quadraginta dierum ſpatium uſus ejus continuetur. Sequenti autem modo eam componi jubet:

Aqua Ceparum Riverii.

℞. *Cepar. albar. minut. inciſar.* ℔iij.
ſacchar. Albi ℔ij.
vini albi ℔iß.

Deſtilla in B.M. ad ſiccitatem. Doſis, omni manè, ab ℥ij ad ℥iij. Quamvis nonnulli, præſtantioris etiam prudentiæ, Medici judicent, ſaccharum poſt ceparum deſtillationem commodiùs addi.

Singulare quoque magiſterium lithontripticon, calculum comminuens, habet Timæus, *lib. 3. de infimi ventris morbis, caſ. 39.* quod ſingulis diebus, cum vehiculo appropriato, exhibere jubet, cujus hæc eſt compoſitio:

℞. *Aſellorum, ſeu millepedum, quantum vis, lava ex vino Hiſpanico aliquoties, dein calcina in ollâ obturatâ, extrahe ſecun-*

Lithontripticum Timæi.

ſecundum artem Sal, quod, in loco humido, diſſolvendum in liquorem. Diſſolutum liquorem oculis cancrorum, ex vivis & crudis (neutiquam verò coctis) erutis & contuſis affunde, & colloca in B. M. per dies x. vel plures, donec diſſolvantur oculi 69. inſtar mucilaginis. Hanc mucilaginem viciſſim coagula in ſal. Sal illud iterum diſſolve in qua appropriata, filtra, & coagula, iterúmque diſſolve, in cella, per deliquium.

Alii ſequentem laudant *Pulverem*, utpote multorum experientiâ comprobatum

Pulvis lithontripticus.

℞. *Vitri aſſati & præparati ℥x.*
ſcorpionum uſtorum ℥v.
vermium terreſtrium uſtorum ℥iij.
ſem. apii
fænicul. an. ℥ij.
dauci ℥iiß.
ſanguinis hircin. ℥iß.

Terantur omnia diligentiſſimè, & fiat *Pulvis*. Uſus hujus pulveris eſt vel ʒj. vel ℈ij. in vino albo: accipiuntur ſtomacho jejuno, & pluribus diebus continenter.

Spiritûs ſalis, nitri &c. rectificatorum virtutes.

Verùm enim verò nobis magis uſitata ſunt *ſpiritus nitri rectificatus, ſpiritus ſalis, tartari, terebinthin. vitrioli, fragorum.* Nam hi ſpiritûs, lege artis rectificati (ut frequente experientiâ, oculariquè inſpectione habemus) non tantùm urinam, cum difficultate fluentem, movent, ſitim fortiùs urgentem extingvunt, ſalſuginoſas hydropicorum aquas educunt: ſed etiam induratos podagricorum tophos, ſi *oleo terebinthinæ* incorporentur, emolliunt & diſcutiunt. Quid? nonne & ipſam ſat duram coralliorum ſubſtantiam atterunt? Nonne calculos, è corpore humano excretos, brevi temporis ſpatio confricant? nonne ipſa etiam duriſſima metalla in tenuiſſimum pollinem commolunt? Proinde haud negari poſſe arbitror, quòd veſicæ calculi ab hiſce frangantur ſpiritibus, ſi

præ-

præſertim multorum dierum tempore cum requiſitis vehiculis porrigantur. Ego multos calculo veſicæ graviſſimè decumbentes habui, quibus, durante paroxysmo, ſingulis diebus, ex juſculo petroſelini, bis guttulas 4, 5. vel 6. ſpiritûs nitri, aut ſalis, obtuli: aut ex juſculo carnis, ſequenti modo præparato propinavi:

Potio lithontriptica.

℞. *Rad. alth.* ℥ij.
malv.
liquirit. an. ℥iß.
ononid. ℥i.
petroſelin. q. v.

Coquantur cum ſ. q. juſculi carnis. Colaturæ fortiter expreſſæ adde

aq. lumbric. terreſt. ℥iij. *vel* ℥vj.
ſpiritus nitri rectificat. gt. 5. *vel* 6.

Miſce: fiat potio, quæ ſingulis diebus (evocatis priùs per clyſterium alvi excrementis) bis exhiberi poterit, tribus ante prandium & cœnam horis: & hàc medicinâ oblatâ, calculi abierunt. Vel

℞. *Sal. fabarum,*
ononid.
ſuccin. an. gr. vij.
tartar. vitriolat. ℈ß.
aq. petroſelin.
heder. terreſtr.
flor. malvæ an. ℥ß.
lumbricor terreſt. ℥iij.
ſpir. nucleor. perſicor.
fragor. an. ℥ij.
rob. fruct. cynosbat. ℥ß.
ſpir. ſalis rectificat. gut. iiij.

Miſc. fiat *Potio*, pro una doſi, manè, unâ vice aſſumenda. Vel

Medicamenta lithontriptica

℞. *Sang. hirci præp.* ʒß.
pul. lumbric. terreſt.
aſellor. an. ℈ß.
cryſtall. montan. ritè præp. gr. v.
juris cicer. rubr. ℥iij.
aq. lumbric. terreſt.
ſucc. limonior. an. ℥ß.
olei ſuccin. vel *ceræ an. gut. iij.*

Miſc. fiat *Potio.* Vel

℞. *Lapid. percar. præp.*
ocul. 69. præp.
mandib. luc. piſc. præp. an. gr. ix.
lumbric. terreſt. ritè purgat. ʒß.
ſpirit. ſal. coagulat. gr. v.
aq. petroſel.
fragor. an. ℥i.
ſyr. acetoſ. citri ʒiii.
ſpirit. tartar. rectif. gt. iii.

Miſce: fiat Potio pro una doſi. Vel

℞. *Ciner. lepor. uſt.*
ocul. 69. cum ſpiritu nitri
rectificat. diſſolut. an. ℈i.
conſerv. fruct. cynosbat.
fragor an. ʒii.
aqua raphan.
petroſelin. an. ʒvi.
contra calculum Ducis Lotharing. ℥i.

Miſce: fiat *Potio* calculum comminuens, quæ ſingulis mane diebus adhiberi poterit. Nam (ut inquit Avicenna, *lib. 3. fen. 19. tractat. 2. cap. 6.*) *lapis veſicæ indiget medicinis fortioribus, ſæpiúsque repetitis, quia veſica eſt longinquior, ejusquè lapis eſt magis confirmatus, ex vehementia coagulationis.*

Aquæ,

Aquæ, quam Ducis Lotharingiæ dicunt, deſcriptio ſequens eſt:

℞. *Malorum citrinor. q. placet,*

abjice, quod intus eſt, acidum: reliquum raſum comminutumque ſtet in vaſe vitreo, 24. horis. Poſt expreſſ. ℞. ℔j.

fructûs alkekeng. num. 64.

Contuſa Miſce, & ſtent iterum 24. horis ſimul: dein ex retorta vitrea deſtillentur per arenam, ut de ℔j. remaneant ℥ix.

hujus aquæ deſtillatæ ℥iiß.

vini Rhenan. ℥iß.

ſacchar. Cand. alb. pulv. ℥ß. Miſce.

Hujus aquæ ſolius duo vel tria cochlearia accipiuntur ante prandium, & moderatam obambulationem: aut cum aliis pharmacis, calculum frangentibus, commiſcetur.

Multa etiam extrinſecùs admota unguenta & cataplasmata calculum incidendi, & conterendi potentiam habent: inter quæ ſunt cataplasmata, unguenta, & emplaſtra. Ex cataplasmatibus, præ reliquis, ſervit illud Cratonis, cujus, *conſil. 143.* compoſitionem tradit, dicens: *cataplasma è parietaria, ureteribus & veſicæ apponendum, hoc modo facio: Coquatur parietaria cum radicibus petroſelini, abjiciantur radices expreſſæ, & addantur cepæ, ſub cineribus coctæ, ſex vel novem, prout quantitas herbæ requirit: affunditur oleum amygdalar. amararum, &, in graviſſimis doloribus, oleum ſcorpionum. Hôc mirificè dolores ſedari, & calculum elidi, magno (beneficio DEI) ſucceſſu comperi.* Externa lithontriptica.

Poſſunt etiam hunc in finem cataplasmata ex herbis *artemiſia, veronica, hedera terreſtri, ſcordio, foliis ſalicis, ſem. lini, fænugræc. oleo amygdalarum amararum, ſcorpionum, hypericonis, terebinthina, ſanguine hircino,* &c. formari.

Emplaſtra quoque veſicæ applicanda proponit Crato, & quidem primò *conſil. 149.* illud, quod componitur è cancris:

℞. *Cancrorum num. xii.*

Coque in aq. ſimplici, & contunde, poſtea exprime; imbuatur eo panis albus, & adde

vitell. ovor. num. v.
ol. amygdal. dulc.
ſcorpion. an. ℥iii.

Emplaſtrũ in calculo veſicæ.

Miſc. & fiat *Emplaſtrum.* Eâdem ratione alterum componit ex *parietaria*, modo ſequenti

℞. *Parietar. Miiij.*

Coque in ſ. q. ol. amygdal. dulc. & adde

cepas ſub cineribus coctas, num. iii.
ol. ſcorpion. ℥ß. Miſc. & fiat *Emplaſtrum.*

Ceparum uſus.

Mira (ut apparet ex Galeno, *lib. 2. de alimentis*) eſt ceparum virtus; quia, ut docet, *cepæ corpus calefaciunt, &, qui in ipſo ſunt, humores craſſos attenuant, lentosquè incidunt.* Unde non ſolùm Crato cepas ſuis commiſcet Emplaſtris, ſed etiam Prævotius, qui emplaſtrum ex cepis albis coquit, quod, pectini impoſitum, calculum atterit, & comminuit, atque excluſionis capacem reddit, niſi grandior ille fuerit.

Unguentũ pro veſica.

Unguenta quoque varia, ad lapidis, veſicam inhabitantis, commolitionem, viarumque, per quas calculo è veſica prodeundum eſt, lubricationem facientia præſcribuntur; inter quæ ſequens eſſe poterit:

℞. *Unguent. dialth.*
roſar. Meſ. an. ʒii.
pingued. gallin.
anatis, an. ʒi.
ol. amygd. dulc.
amarar. an. ʒi.
ſcorpion. ʒß.
ſuccin. alb.
ceræ, an. gut. xv.
ſpirit. terebinth. ℈i.

Miſc.

Miſc. fiat *Linimentum*, ad perinæi, pectinis, & ſcroti inunctionem. Vel

℞. *Ol. ſcorpion.*
nucl. perſicor.
amygd. amar. an. ℥ii.
hypericon. ℥i.
terebinth. ℥ß.
juniper. ℈i.
axung. gall.
cunicul. an. ℥ß.
unguent. dialth. ℥iii.
ſucc. citri
raphan. an. ℥ii.

Miſce: fiat *Unguentum* pro partium paulò ante nominatarum inunctione.

Frequenter autem accidit, ut omnibus hiſce lithontripticis, tam intrò aſſumptis, quàm extrinſecè corpori adhibitis, calculus in veſica non obtemperet, & comminutionẽ non admittat: adeóque ad lithontripticorum pharmacorum, per catheterem in veſicam infundendorũ, uſum accedere oportet; cùm certo conſtet; quòd lapis ab infuſis hujuscemodi liquoribus non tantùm comminuatur, & (niſi exceſſivæ magnitudinis eſſet) in fruſta dividatur: ſed etiam ad eductionem habilis reddatur. Hæc enim pharmaca, per catheterem veſicæ injecta, nullam virium ſuarum jacturum faciunt: quemadmodum illis evenire diximus, quæ ore hauriuntur. Proinde, collectis planè viribus, calculum impetunt, &, ſi ullo modo fieri poſſit, ita commolunt, ut in fruſta comminutus foras prodeat. Talia ex iis parantur, ex quibus illa componi diximus, quæ per os aſſumpta, aut foris applicata, calculum frangunt: ut ſunt *radices althææ, apii, aſparagi, bardanæ, cyclaminis, eryngii, malvæ, ononidis, petroſelini, peucedani, pimpinellæ, raphani:* *folia*

Syringatio in calculo veſicæ prodeſt.

folia aſari, malvæ, parietariæ, petroſelini, quinquefolii, rutæ murariæ, ſaxifragiæ, ſcolopendiæ: fructûs amygdalæ dulces & amaræ, avellanæ, cynosbati, fraga, alkekengi, ceraſa, limones, nuclei ceraſorum, Perſicorum; ſemina bardanæ, chærefolii, milii ſolis, petroſelini, raphani; & alia quàm plurima, ex quibus liquores lithontriptici coquuntur & deſtillantur; qui per ſe, aut cum aliis mixti, per catheterem in veſicam infunduntur., v.g.

Decoctum per Catheterem injiciendum veſicæ.

℞. *Rad. eryngii*
liquirit.
alth.
malv. an. ℥ß.
herb. malv.
parietar.
quinquefol.
ſaxifrag. an. Mj.
ſem. bardan.
milii Solis
petroſel. an. ʒij.
raphan. ʒi.
bacc. alkekeng. num. vij.
juniper. ʒiß.

Inciſa & contuſa coque ex ſ. q. aquæ ſimplicis: colaturæ adde
ſucci raphan. ℥iß.
aq. lumbric. terreſtr. ℥i.
ol. amygdal. amarar.
ſcorpion. an. ʒx.

Obſervatio circa ſyringationem.

Miſce: &, pro rei exigentia, per catheterem in veſicam injiciatur. Ubi diligenter, ex Amato Luſitano, *curat. medicinal. centur. 4. in ſchol. curat. 19.* advertendum eſt, *ne Medici, hanc artem exercentes, quid calculoſum, aut arenoſum, lapidoſúmve, per urinariam fiſtulam impellant; cùm periculoſum admodum ſit opus hoc, ut in perniciem ægrotos trahat.*

Nec

Nec minùs hoc notandum eſt, quòd ſæpiùs accidere ſoleat, ut ab hujusmodi pharmacis, in veſicam, per catheterem injectis, calculus atteratur, atque in partes frangatur. Hujusmodi autem calculi fragmenta, dum exitum parant, aliquando aut collo veſicæ penitiùs infarciuntur; aut medio virilis membri ductu ſiſtuntur: quod cum tanta aliquando ſymptomatum immanitate contingit, ut miſerabili hoc affectu detenti mortuis non raró ſint ſimiliores, quàm vivis. Nam omnimodam eámque doloroſiſſimam urinæ interceptionem ſuſtinent, à vehementiſſima unitatis, in pene, ſolutione excruciantur, támque crudeles quandoque dolores patiuntur, ut violentas, præ cruciatuum vehementia, ſibimet ipſis inferrent manus, niſi à præſentium tum amicorum, tum miniſtrorum vigilantia præpedirentur. Qualibus igitur remediorum auxiliis, hiſce miſerrimæ ſortis hominibus ſuppetiæ ſint ferendæ, inquirendum eſt. Galenus, *lib. 6. de loc. affect. cap. 4.* præcipit, ut *eos, reſupino figurato corpore, adeò concutiamus, quò à meatu lapis dimoveatur.* Si igitur eveniat, ut alicui, virilis ſexûs, perſonæ calculus, aut ejusdem fragmentum aliquod, in collo veſicæ ſiſtatur; oportet eum jacere ſupinum, crura attollere in altum, penem comprimere; ut hâc ratione procedendi lapis, collo veſicæ infartus, retrogredi, aut foras erumpere cogatur.

Calculus in Virga hærens.

Qualiter calculus in Virga hærens amovendus.

Alii aliis utendum putant remediis, dum ſvadent, ut ægri, quibus calculus in collo veſicæ moratur, equum, ephippio carentem equitent, imam ventris ſui regionem, equi dorſo fortiùs apprimendo: volúntque, quòd, hoc equitationis motu, lapis de loco ad locum moveatur, & vel ad veſicæ capacitatem relabatur, vel foras erumpat. Hanc eandem operationem perfici poſſe autumant, ſi ægrotus unum genu imponat alteri, taliter ſeſe conſtringendo, reſpirationémque retrahendo, ut omnia inferioris corporis viſcera à violento hoc retractionis motu quaſi ſurſum attrahantur: hoquè motu re-

Equitatione movetur calculus.

tu retractivo etiam futurum exiſtimant, ut calculus è collo veſicæ retrahatur, ægrotúsque à dolore, quem lapis intulit, liberetur.

Calculus in collo veſicæ, aut virga, hærens balneo curatur.

Verùm magis illud Serapionis placet conſilium, dum ægros, calculum in collo veſicæ, aut penis medio, habentes balneo aquæ dulcis imponere præcipit; ut nimirum viæ, per quas hærenti calculo exeundum, ab aquæ caliditate, & humiditate emolliantur, dilatentur, ſpiritúsque, ad impetum in calculum faciendum, alliciantur, atque, viis nonnihil à balneo dilatatis, catheter, aut candela virgæ imponatur, & calculus, aut ejusdem fragmentum, extrahatur, vel ad veſicam retrudatur; ad quam actionem opus eſt benè perito artis Chyrurgo, *qui* (ut mandat Avicenna, *lib. 3. fen. 19. tractat. 2. cap. 6.*) *veſicæ anatomiam cognoſcat, ne locum colli ejus, cui vaſa ſpermatis inſeruntur, violentâ actione lædat.*

Si calculus hæreat, emollientia proſunt.

Sin verò lapis, aut acutum quoddam ejusdem fragmentum, in virgæ medio altiùs fuerit impactum, emollientibus agendum erit: ut *oleo amygdalarum dulcium, amararum, ſcorpionum, liliorum alborum, lini*, aliisquè hujus ſortis pharmacis, emolliendi, calculúmque promovendi virtute præditis; quibus moderatè calentibus virga patientis fovenda, leniterquè fricanda erit. Ubi ſatis fota putatur, calculus ſubſiſtens (ſi ullo modo fieri poſſit) continuâ robuſti hominis ſuctione extrahendus eſt: qualiter, novem ab hinc annis, magnam, magni ſtemmatis, maximæque virtutis Dominam, ſuo feciſſe marito novi, quæ graviſſimis doloribus afflictam Domini Mariti ſui virgam, inter amaras oculorum ſuorum ſtillas, tamdiu ſuxit, usque dum hærentem in eâ tricuſpidem calculum, unà cùm frequenti purulentia, trium horarum ſpatio extraxiſſet. Adeò, ut, hac ratione, dici poſſit, quòd non ſolùm bona Domina periclitantis Domini Mariti vitam actu planè heroino, & virtute atque amore conjugali pleniſſimo, redemerit; ſed

Suctio calculum è virga evellit.

etiam,

etiam, indefatigatâ ſuctione, calculus, in virga ſubſiſtens, extrahi poſſit.

Quòd ſi autem calculus, in virga hæſitans, neque catheteris, neque ſuctionis, operâ evelli poſſit, ad virgæ inciſionem progredi oportet, niſi patiens, ulterioris vitæ tædio affectus, amariſſimis mortis ſpiculis velit confici. Hanc ſectionem, ante ſeptennium, ſuſtinuit Clariſſimus Vir, Dominus Petrus Guiſinger, Juris utriusque Doctor, & Marcomanniæ noſtræ Advocatus: cui, dum calculus, in ipſius virga ſubſiſtens, neque cathetere, aliquoties immiſſo, neque ſuctione frequentiùs tentatâ, poſſet extrahi, penis, infra hærentis calculi locum, circa collum veſicæ, ligabatur, ne lapis hærens, ad manualem Lithotomi operationem, retrocederet; & per longum incidebatur, atque calculus eximebatur, ſanato, intra trium ſeptimanarum tempus, patientis vulnere; qui etiamnum bonæ valetudini ſuperſtes vivit. Calculi ex Virga exciſio.

Quando autem calculus, veſicæ cavitatem occupans, tantæ eſt magnitudinis & duritiei, ut nec comminui, nec frangi poſſit; aliud vix reſtat remedium, quàm quod Lithotomia proponit: & eſt calculi exciſio. Hæc operatio, prout ſub experto Lithotomo eſt facilis, ſecureque adminiſtratur; ità, ſub imperito non ſolùm eſt difficilis, ſed etiam periculis pleniſſima. Nam hi, inciſionis imperiti, aliquando arterias, ſpirituoſioris ſanguinis portionem continentes, tam potenter lædunt, ut impetuoſiorem cruoris fluorem ſiſtere nequeant. Unde ſanguis, unicum virium robur, magno diſpendio profunditur, dolores magni oriuntur, partium iflammationes generantur, febres intenduntur, extrema refrigerantur, corporis rigores producuntur, caſus virtutis accidit, quam mors ſubſequitur, infelicis operationis finis. Verùm cum hæc calculi curandi ratio, quæ exciſione peragitur, videatur ita crudelis, ut ipſe etiam Divinus Medicorum Pater, Hippocrates, ab ea abhorrue- Calculi exciſio ex Veſica. Quando ſecura.

rit, & ſuo jurejurando Diis omnibus juraverit, quòd neque calculo laborantes velit ſecare, ſed magiſtris ejus artis peritis id muneris concedere: nos meritò ab ulteriore hujus operationis tractatu nos ſubtrahimus, ejus loco methodum præſervativam inſinuantes.

Jusjurandum Hippocratis.

Abſolutis iis, quæ in calculi paroxysmo adhibenda eſſe diximus, accedimus nunc ad ea, quæ, paroxysmo ſuperato, præſervationis cauſâ, facienda eſſe cenſemus, ut (quoad fieri poteſt) novam calculi generationem caveamus, graviorúmque dolorum recidivam præpediamus. Cùm autem calculi præſervatio conſiſtat in cauſæ efficientis attemperatione, & humoris, renibus calculoſam ſementem ſuppeditantis, amotione: tam deliteſcens in renibus intemperies, quàm ipſa etiam materialis cauſa, tali remediorum exhibitione erunt emendandæ & corrigendæ, ne humores calculoſo fermento impregnati generentur, neque abdita renum facultas quamcunque materiam occurrentem, & aliquali coagulationis capacitate dotatam, in ipſo ſtatim itinere ſiſtat & coagulet.

Calculi præſervatio.

Utrumque nos effecturos ſperamus, ſi, miſsâ vitæ intemperantiâ, ſalubrem victûs rationem amplexi fuerimus. Dico, miſsâ vitæ intemperantiâ, quia primum nobis certamen adverſus intemperantiæ vitium ineundem eſt. Nam hæc eſt, quæ corporis viſcera cruditatibus replet, quæ vitioſorum ſuccorum cloacas parit, ex qua longa morborum ſeries prodit, quin & mors ipſa, graviori ciborum ſarcinâ, acceleratur. Pauci enim ſunt infirmi, quos vitæ intemperantia ad ægritudines non adegit. Ut proinde ſit veriſſimum illud Senecæ: *Plures occidit gula, quàm gladius*: adeoquè definitum manet, intemperantiam vitæ eſſe fæcundiſſimam graviorum morborum parentem, quæ niſi ab ægrorum, & ad calculi productionem proclivium, ædibus fuerit proſcripta; fieri omnino non poteſt, ut corporis viſcera ab adverſo hæreditariorum quàm

Vitæ intemperantia morborum mater.

maximè

maximè morborum impetu tueamur. Ut propterea Galenus, *lib. de venæ ſect.* nos optimè monuerit, ne intemperatam vitam viventes ad noſtram facilè curam ſuſcipiamus; quoniam, ut inquit, *intemperantes & vinolentos, ventriq́, & gulæ deditos, nec purgatione, nec ſanguinis miſſione magnopere juveris. Nam per vitæ intemperantiam rurſus crudorum humorum copiam velociſſimè colligunt.* Intemperantes ad curam non ſunt ſuſcipiendi.

Damnatâ ergo intemperantiâ, ad regulare, temperatúmque vitæ inſtitutum nos convertimus, methodum noſtram, à calculo præſervantem, à convenienti rerum ſex non naturalium adminiſtratione inchoaturi. Cùm itaque aëri, ob ſummam ejus neceſſitatem, primus, inter res non naturales, locus ab omnibus tribuatur, eum eſſe jubemus temperatum, & ad caliditatem potiùs, quàm frigiditatem inclinatum; qui ſi talis ex natura ſua non fuerit, arte procuretur, *quia hic optimus eſt, quem in pulmones trahere, omnibus iuxta ſalubre eſt*, dicente Galeno, *lib. 1. de ſanit. tuend.* Qualis aër calculoſis profit.

Aëri ſuccedit cibus; quem boni nutrimenti, facilis digeſtionis, paucorumquè excrementorum eſſe oportet: in reliquis autem qualitatibus taliter reſpondeat, qualiter cujusvis, hâc diæta tractandi, nativa corporis temperies requirit: id tamen advertendo, ne unquam requiſitæ, in alimentis, qualitates, aut in caliditate, aut frigiditate, vel humiditate, vel ſiccitate excedant; ſed & vim quandam lubricandi ſibi adjunctam habeant. Quemadmodum enim moderatæ alimentorum qualitates digeſtivum ſtomachi Vulcanum in concoctionibus ritè perficiendis adjuvant, probumquè corpori alimentum generant: ita immoderatæ digeſtiones turbant, alimenta corrumpunt, & novam lapidis productioni materiam præbent. Qualis ciborum qualitas.

Laudabilem, præ reliquis alimentis, ſanguinem pariunt carnes vitulinæ, agninæ, pullorum, gallinarum, caponum, per-

Alimenta calculoſis proficua. perdicum, avium montanarum, ſi, æſtivo præſertim tempore, *foliis acetoſæ recentis, aſparagi, chærefolii, endiviæ, lactucæ, veronicæ; radicibus althææ, petroſelini, pimpinellæ, chichorii &c.* elixatæ coctæque fuerint; eò quòd hujuſcemodi herbis mira vis inſit, lapidificæ renum facultati reſiſtendi, nec non nitroſam, ſalinam, terreſtrémque humorum portionem emendandi, educendi, totiusquè corporis vires inſtaurandi. Et quamvis cibi elixi aſſis ſint longè meliores; poſſunt tamen etiam valetudinarii aſſatis veſci, cum *ſucco citri*, aut *embammatis cynosbati, fragorum, berberum*, aut *ribium* paratis.

Cibi calculoſis noxii. Quorum renes, aut veſica, ad calculi productionem inclinant, non eſitent craſſi ſucci alimenta, ut *olera, piſa, carnem bubulam, ſuillam, hædinam, tam recentem, quàm ſale conditam, aut fumo induratam: carpiones itidem*; aliosquè viſcoſioris ſubſtantiæ, & in paludibus retentos, piſces fugiant; quia viſcoſum ſanguinis gluten producunt, & lapidis generationi occaſionem præbent. Nec minùs noxiam illam ciborum varietatem, atque nimiam ſatietatem, calculoſi vitent: ſiquidem hujusmodi ciborum varietas, nimiáque ſatietas, indigeſtiones, & renum obſtructiones pariunt, uberémque calçulo generando materiam ſuppeditant.

Sed & potum non quemvis promiſcuè, at cum delectu, aſſumendum eſſe, nemo facilè negaverit; ſiquidem calculoſi ab univerſa ferè Medicorum ſchola jubentur vinum bibere tenue, & oligophorum; quia hoc facilè diſtribuitur, humores attenuat, & copioſum urinæ fluorem excitat. Hîc tamen cereviſiæ albæ, probè defæcatæ, & ex ſalubri aqua coctæ potationem excludi nolim. Decoctum limoniorum plurimis quoque prodeſt. Quin & ipſa aqua limpida, ex ſabuloſo fundo ſcaturiens, & ab omni peregrinarum qualitatum commixtione immunis, cum fructu bibi poteſt; quia non tantùm ex Cratonis, ſed & aliorum præſtantium Medicorum, obſervationi-

Potus calculoſorum.

bus

bus habemus, quòd frigidæ potu multi ab ipſo calculi paroxysmo fuerint liberati; atque ſolius frigidæ uſurpatione, plurium annorum intervallo à calculo vixerint immunes. Potus frigidæ calculoſis prodeſt.

Nec ſufficit, in cibo & potu ſervaſſe modum, niſi etiam corporis motus & quies, ſomnus & vigilia, excreta & retenta reſpondeant. Hinc calculo obnoxii, moderato corporis exercitio, manè jejuni, & aliquot poſt prandium horis, exerceantur; quia hâc corporis exercitatione præcavetur, ut pauca in viſceribus excrementa colligantur. Somnus ſit ſolito diuturnior, & nocturnus potiùs, quàm diurnus, & in lateribus potiùs, quàm dorſo decumbant, quia ſupinus dormientium decubitus renes prætermodum calefacit: unde renes quovis die, ante ingreſſum lecti, ſequenti inungantur *Unguine*: Obſervatio reliquarum rerum non-naturalium.

℞. *Ung. infrigid. Galen.* ℥i.
roſar. Meſ.
cancrin. Craton. an. ℥ß.
ſantalin. ʒij.
ol. amygd. dulc. ʒiß.

Miſce: Fiat *Linimentum*, pro renum inunctione.

Singulis omnino diebus alvus unâ alterâve reſpondeat vice, naturâ impellente, aut arte juvante. Unde, ſi æquò ſegnior fuerit, leniſſimorum clyſteriorum, aut ſuppoſitoriorum injectione promoveatur. Graviora animi pathemata, uti etiam vehementiores curæ, publicorum negotiorum causâ affligentes, vitentur. Nam (ut loquitur Galenus, *lib. 1. de ſanitat. tuend.*) *ut aliquis in longiſſimum prolatâ vitâ, etiam bonâ valetudine utatur, is liber oportet ſit ab omni negotio publico, nimirum ſibi vivens duntaxat, ſoliquè indulgens corpuſculo.* Negotia enim publica diverſis plerunque intricantur curis: curæ autem exſiccant corpora, ſpiritûs vitales exhauriunt, & contriſtant; ſpiritûs verò triſtes exſiccant oſſa adeò, ut homines, multis curis expoſiti, diu vivere nequeant. Unde calculoſæ renum Curæ vitandæ.

Eeee 3 diſpo-

diſpoſitioni obnoxii, ſepoſitis curis, rerum lætarum, quantum poſſibile eſt, tractatione dies ſuos transigant, neceſſe eſt; quoniam, ut *Proverbiorum cap. 17. verſ. 22.* extat, *animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.*

Quia verò tam exquiſitus (quemadmodum jam ſæpe diximus) ciborum delectus ægrè poteſt inſtitui, ut non aliquæ ſaltem inutiles, ex alimentis, portiones redundent, in iis præſertim hominibus, quorum victus à variis corporis & animi laboribus, imò & frequentioribus renum doloribus labefactata notabiliter deficit, ſummis deſudandum eſt laboribus, ut tempeſtivâ remediorum adhibitione caveamus, ne hujusmodi fæculentiæ, quæ poſt alimentorum digeſtiones remanent, in ſtomacho, eiquè adjacentibus viſceribus cumulentur, aut ad renes migrent, calculi productioni occaſionem præbeant. Hoc autem, ex nonnullorum Podaliriorum opinione, vomitu, bis vel ter in menſe provocato, fructuoſiſſimè inſtituitur; eò, quòd gravatum diverſis fæcibus ſtomachum, nec meliùs, nec faciliùs à nimio pravorum ſuccorum infartu liberare poſſimus, quàm vomitu. Proinde cujuslibet, qui calculo vel leviter tentari ſe notat, naturalis inclinatio, diligenti rationis trutinâ exploranda eſt, an nimirum facilis, vel ad vomendum ſit difficilis, ut, pro cujuslibet naturæ exigentia, cuilibet opportunis remediis, vomitum concitantibus, ex æquo ſuccurrere valeamus. Si igitur quis facilè vomat, illi faciliora: ſi difficiliùs, fortiora emetica propinari poterunt.

Vomitus à calculo præſervat.

At illa vaſorum repletio, quæ aut vomitu auferri non poteſt, aut quibus, ob vomitionis difficultatem, emetica propinare non licet, aptis leniorum catharticorum auxiliis aut bis in menſe demenda eſt; quod aut potiunculis laxativis, aut pilulis, aut bolis peragi poteſt. Huic intentioni ſequens, aut illi ſimilis, *Bolus* ſervire poterit:

Vomitum ſupplet purgatio:

Bolus purgans.

℞. *Caſſiæ recent. extract.* ℥v.
elect. diaphœnic.

tama-

tamarindor. c. fol. ſen, an. ʒij.
pul. liquirit. ʒß.
ſyr. roſ. ſolut. q. ſ.

Miſc. formetur *Bolus*, qui, ſaccharo obvolutus, unâ vice præbeatur. Joannes Crato, *conſil. 146.* ſequentes commendat *Pilulas*, bis aut ſaltem ſemel quovis menſe adhibendas.

℞. *Rhabarbar. elect.* Pilulæ purgantes.
Aloës
agaric. præp.
myrobalanor. citr. an. ʒi.
ſpicæ ℈ß.
ſem. fœnicul. ʒß.

Pulveriſentur ſubtiliter, & irrorentur ſingula cum vino albo odorifero; deinde cum ſ. q. mucilag. rad. althææ, cum ſaccharo dulcoratæ, fiat Magdaleon, ex cujus ʒi. *formentur pilulæ num. 15. & per horam ante cœnam exhibeantur. Harum enim exhibitione & materia ad generandum calculum idonea evacuabitur, ventriculo robur addetur, hepar expurgabitur, & renes inſuper, unà cum capite, à bilioſis, pituitoſisq́; excrementis exonerabuntur, ac nimiæ viarum laxitati conſuletur.*

Alii laudant pilulas Francofurtenſes, Angelicas dictas, ſi ſingulis menſibus bis, terve, ante cœnam, cum Syrupo Dialthææ Fernelii, aut alio conveniente liquore, aſſumantur; juſculum petroſelini ſuprabibendo, in quo ʒß, vel ʒi, vel ʒiß, acidi tartari ſit diſſolutum. Et quamvis nos præſcripta ab experientiſſimis Viris pharmaca nullo modo improbemus, quin potiùs agnoſcamus, eadem magni eſſe valoris: modus tamen, ea adhibendi, non adeò probatur; eò, quòd laxantes medicinæ cum eſculentis & potulentis non debeant miſceri. Quandoquidem hujusmodi medicinarum operationes à ſupervenientis alimenti mole videntur impediri, & aliquando planè opprimi: quemadmodum è contra proba nutrimenti

Pilulæ Francofurtenſes.

Purgantia alimentis non ſunt miſcenda.

coctio

coctio ab aſſumptorum pharmacorum actione turbatur. Hinc, conſultiùs fieri, judicamus, ſi pilulæ nocturnis horis, ante, aut poſt cœnam ſumendæ, jejuno manè ſtomacho capiantur, dum natura à ciborum coctione vacat, & ſtomachus à nulla alimentorum ſarcina gravatur. Hâc enim ratione melioris erunt operationis, quòd naturam ſibi aſſiſtentem habeant, neque ſomnum impedient, neque à natura ſine expectato operationis eventu conſumentur. Verùm nos quemlibet ſuo abundare ſenſu libenter permittimus, cùm & idem nobis licere confidamus. Proinde nos in calculi præſervatione, pro ſubjectorum varietate, ſequentes, aut iis ſimiles præſcribimus *Pilulas*:

Pilulæ purgantes.

℞. *Extract. Rhabarb.*
diacathol.
tartar. Schröd. an. gr. vij.
è ſuccin. Craton. gr. v.
reſin. gialapp. gr. ij.
ol. aniſi gut. ij.
ſuccin. alb. gut. i.

Miſce: & cum ſ. q. *ſyr. roſ. ſolut.* form. Pil. num. ix. inauratæ dentur manè, pro una doſi. Vel

℞. *Rad. althææ* ℥iij.
liquirit. raſ.
malv.
aſparag. an. ℥iß.

Coquantur ex ſ. q. aquæ: colaturæ ebullienti infunde per noctem

Potio purgans.

Fol. ſenn. ſſ. ℥ij.
agaric. trochiſ. ʒiß.
rhabarb. el. ℈iv.
paſſul. min. exacin. ℥ij.
ſem. aniſ. ℈i.

ſl. Ma-

fl. Matis. gr. vi.

manè factâ ebullitione & expreſſione forti, in colaturæ ℥iiß. vel ℥iij diſſolve

mann. granat. opt. ℥iß.
ſyr. d. Cichor. cum Rh.
vel
roſar. ſolut. ℥vi.
ſpirit. terebinth. gut. iii.

Miſce: fiat *Potio*, bis in menſe danda.

Horum pharmacorum doſis, pro Patientis majori vel minori exigentia, & pharmaci operatione, augeri & minui poteſt: quæ probè verſati in arte Medici judicio relinquuntur. Hiſce, aut iis ſimilibus, pharmacorum compoſitionibus hæterogeneæ excrementorum particulæ, absquè virium ſtrage, è ventriculi, eiquè adjacentium venarum cavitatibus educuntur, & eorum accumulatio, calculiquè generatio præcavetur. Unde, ſi aliqualis perverſorum ſuccorum, ad renes migrantium, motus & præſentia, ex obtuſo renum lumborumquè dolore notetur, mox, primâ regione levioribus catharticis evacuatâ, circa & in renibus ſubſiſtentes ſucci congruis diureticis ſunt diſcutiendi.

Blandiora autem diuretica ſunt, *aqua acetoſæ, fragorum, hordei, hederæ terreſtris, malvæ, parietariæ petroſelini, portulacæ, violarum &c.* ex quibus gratiſſimi ſaporis *Mixturæ* fieri poterunt: Diuretica.

℞. *Aq. fragor.* ℔i.
acetoſ.
petroſel. an. ℥iii. Potus diureticus.
ſucc. citri recent. expreſſ. ℥iß.
ſyr. acetoſ. Citri
dialthææ Fernel. an. ℥iß.
ſpir. ſalis ℈i.

 Miſce:

Miſce: fiat *Potus*; de quo manè, jejuno ſtomacho, & à prandio, horis quatuor elapſis, fiat hauſtulus. Quantum in calculi præſervatione fructum præſtet continuus ſucc. limoniorum uſus, id illi referre noverunt, qui multis etiam temporibus ſe ab ejus paroxyſmo præſervarunt, & inter reliquos narrare poterit Samuel Saar, Civis & Judex civitatis Trebicenſis. Hic enim tantoperè aliquot ab hinc annis, à calculo excruciatus fuit, ut calculi ab illo excreti integrum Viri pileum (verbis hic Patientis, & Chyrurgi, Pauli Sandtner, eidem aſſiſtentis, utor) copiâ ſuâ implerent, ſi omnes aſſervati fuiſſent; quorum alii fabarum, alii majorum piſorum magnitudinem adæquant: alii ſunt oblongi, ut minores dactylorum nuclei efformati, alii bicuſpides; alii valde duri, alii friabiles.

Limoniorũ ſuccus à calculo præſervat.

Hiſtoria de calculoſo.

Huic dum, uno ab hinc anno, ad me, conſilium (ſi quod ſupereſſet) petitum veniſſet, ſequentem ordinavi curam; quâ & in vere & autumno repetitâ, adhibitóque ſingulis menſibus pulviſculo alvum lubricante, utcunque à gravioribus ſaltem calculi doloribus & periculis præſervatus fuit. Series autem medicamentorum ſequens eſt:

℞. *Rad. althæ.* ℥ij.
liquirit.
malvæ
aſparag.
fænicul. an. ℥iß.
herb. endiv.
lactuc.
agrimon.
*parietar. an. M*ß.
*flor. malv. p*ij.
borrag.
*cichor. ſyl. an. p*j.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥iiß.

agaric.

agaric. trochiſc. ℥iß.
rhabarb. elect. ℈iv.
myrobal. citrin. ℥i.
paſſul. min. exacin. ℥ij.
tamarind. ℥iß.

Potus purgans.

Coquantur ex ſ. q. *aq. font.* peractâ coctione ſtent infuſa per noctem: manè, repetitâ ebullitione, factâque expreſſione forti, Colatur. ℥iij. adde
ſyr. roſ. ſolut. ℥i.
el. diaphœnic. ℥ij.
diacartham
tamarind. cum fol. ſenn. an. ℥iß.

Miſce: Fiat Potio, pro una doſi matutina. Evacuatâ copioſiore, ex primis viis, pravorum ſuccorum mephiti, ad pleniorem evacuationem deſcendi, & quidquid adhuc immundorum humorum erat, per epicraſin educendum eſſe judicavi: proinde ſequentem ordinavi *Nodulum*:

℞. *Rad. 5. aperient. an.* ℈iv.
althaea ℥iij.
liquirit.
cichor. an. ℥i.
herb. malv.
parietar.
violar.
veronic.
ſcolopendr. an. Mß.
flor. malv. pij.
borrag.
bugloſſ.
violar.
cichor. ſyl. an. pj.
comar. thym.

Nodulus laxativus.

epithym. an. pij.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥i.
agaric. tro: hiſ. ʒij.
rhabarb. el. ʒii.
tamarind. ℥i.
paſſul. min. exacin. ℥ß.
mann. granat. el. ℥ii.
ſem. aniſ.
fœnicul. an. ℈ij.
cort. aurant. ʒi.

Ex inciſ. incidend. & contuſ. contunden: Miſce, fiant *Species pro nodulo*; cui quatuor ſextarii vini antiqui diuretici affundantur, omnique mane hauſtus fiat, pro operationis diverſitate plus, aut minùs aſſumendo.

Venæ ſectio in præſervatione prodeſt. Expurgata, hâc ratione, totius corporis cacochymiâ, etiam ad venæ ſectionem (quam bis in anno, utpote in vere & autumno, faciendam eſſe intimavi) acceſſimus, uncias octo, cùm utcunque ſanguineus eſſet, è vena brachii emittendo. Omnem cereviſiæ potum interdiximus, ejúsque loco aquam coctam ſubſtituimus:

Potus in præſervatione utilis.

℞. *Rad. althææ ℥iß.*
malvæ
liquirit. an. ʒvi.
ſcorzoner. ℥ß.
caricar. ping. num. vij.
hordei mundat. Mij.
ſem. fœnicul. ʒii.
fruct. cynosbat. Mii.
bacc. juniper. contuſ. ʒiii.
pomor. citrinor. decort.
& in taleol. conciſ. num. ij.

Inciſa & contuſa coquantur ex quatuor *aquæ fontanæ* menſuris; ad

ad ſextarii conſumptionem, vaſe ritè clauſo: dum ab igne removentur, addantur ſacchari albiſſimi cochlearia quatuor; reponatur pro potu ordinario. Omni manè juſſi ſequens aſſumere juſculum:

℞. Rad. alth. ℥ß.
petroſel. recent. q. placet
herb. chærefol. recent. (ſi haberi poſſit)
acetoſæ an. Mj.

Coquantur cum juſculo bubulo, cujus ℥v. vel vi. comedat omni mane. Unâ horâ, poſt hujus juſculi aſſumptionem, præteritâ, faciebat bonum haſtum aquæ frigidæ, cum aliquot ſpiritûs ſalis guttulis imprægnatæ. Hâc præſervationis methodo non tantùm præfatum Samuelem Saar, ſed & alios quàmplurimos, Marcomanniæ noſtræ incolas, ita præſervavi, ut aut rariùs, aut non tam acerbos paterentur dolores: quin & Reverendiſſimos, Illuſtriſſimos, Perilluſtres, non paucos verò utriusquè ſexûs cives ita reſtitui, ut trium, quatuorve aliquando annorum ſpatio ab hoc cruciatu liberi vixerint, qui quovis aliàs trimeſtri, crudeliſſimè illo affligebantur. Atquè hæc pro eorum, qui Marcomanniam, nitroſis calculoſisquè alimentis gravidam, incolunt, ſolatio & incolumitate dicta ſufficiant, quæ ut optatum feliciùs faciliusquè ſortiantur effectum, illius opem auxiliumquè imploro & obteſtor, qui vitæ mortisquè imperium obtinet ſummus Arbiter, & ſupremus Archiater.

Juſculum præſervans à calculo.

Hauſtus frigidæ cum ſpiritu ſalis.

Caput IV.

De Hydrope in genere.

Qui fluxam vitæ valetudinisque humanæ, ſenſim, ſine ſenſu deficientis conditionem propoſito ardentis cerei, vel lampadis emblemate adumbravit, is penitiora abditæ veritatis myſteria oculo minimè lippienti profundè videtur

Vitæ cum lampade ardenti ſimilitudo.

tur introſpexiſſe. Ut enim Cereus, aut Lampas cùm primùm ardere, & lucere incipit, ſimul etiam interit, cùm proficit, deficit, eodemquè, quo fovetur, alimento conſumitur: ſic primum vitæ, quod homo auſpicatur, momentum, mortis eſt principium; ſeq; ipſum, & nativũ vitæ balſamũ, quantò diutius vixerit, tantò certiùs celeriúsque depaſcitur. Quemadmodum verò Cereus, vel Lampas, non ſolo pabuli defectu, ſed nimiâ quandoque olei liberaliùs ſuperfuſi abundantiâ vel adverſis ventorum flatibus, pluviis, aliisquè aëris injuriis extinguitur: ita multorum vita, non balſami nativi defectu, ſed nimiâ alimentorum ingeſtorum abundantiâ, aut affectuum vehementiorum intemperie, præmaturo funere tumulatur. Rectè Seneca, *epiſt. 24. Ipſæ voluptates in tormenta vertuntur, epulæ cruditatem afferunt, ebrietates nervorum torporem, tremoremquè gignunt: libidines pedum, manuum, articulorum omnium depravationes generant.* Poſt quæ mortem tandem præmaturam ſubſequi, eſt neceſſum.

Vita diverſimodè deletur.

Hæc nimirum meſſis eſt, quam, inter menſuram lautitias, vita Epicuréa colligit: hi fructûs, quos ventris ingluvies, arbor verè lethalis, progerminat: hi caudices, qui è nimia victûs & affectûs intemperie, velut maligna radice, pullulant. Quid enim immodica ciborum ingeſtio producat aliud, quàm indigeſtionem? quid indigeſtio, quàm exuberantem crudorum ſuccorum copiam? è qua continuus laborantis ſtomachi languor, cibi faſtidium, gravedo ventriculi, fœda putrium humorum illuvies, atque ex hac demum Hydrops, morborum omnium, ut facilè ſupremus, ita plerunque poſtremus enaſcitur. Poſtremum dixi, tùm quòd difficilem, aut nullam omninò, admittat curationem, tùm quòd divinam propè cœleſtis Archiatri manum requirere videatur.

Vitæ irregularis fructûs

Hydrops peſſimus morbus.

Quid ergò? an, ob morbi periculoſi pertinaciam, deſperanda ſalus, & pharmaca negligenda? Ego ſanè (abſit jactantia verbo) plurimos, hac ægritudine affectos, atque ab aliis depo-

depoſitos, priſtinæ ſanitati, tum Numinis ope, tum convenientibus pharmacis, reſtitui. Quare operæ facturus pretium mihi videbar, ſi hic quoque, de periculoſa Hydropis affectione, quæ Marcomanniam noſtram non modicè moleſtat, diſſeruero, & illi vel præcavendo, vel extirpando, opportuna remedia, plurimorum auxilio & ſolatio, oppoſuero.

At (ne in tenebris ambulemus) quid eſt Hydrops? In genere conſideratus, à Jonſtono, *lib. 10. articulo 3.* definitur, quòd ſit *tumor corporis, vel partis ejus, præter naturam, ob humoris aquoſi & ſeroſi, vel flatûs, collectionem exortus.* Jacobus Weckerus, *lib. 2. Therapeutic. part. 2.* dicit, quòd *hydrops ſit error virtutis digeſtivæ, in hepate.* Verùm cùm iſtæ Hydropis definitiones nimis anguſtis circumſcriptæ videantur limitibus; nos ſequentem ejusdem deſcriptionem tradimus, & dicimus: *Hydrops, ſtrictè acceptus, eſt totius corporis, aut ventris inferioris tantùm, aut etiam reliquarum, eidem ſubjectarum, partium, ut ſcroti, femorum, pedúmque tumor præter naturam, procedens ab aquoſo, ſalſoq; ſanguinis latice, vel flatu, cum vehementi quandoque ciborum faſtidio, incompeſcibili bibendi deſiderio, atque anheloſa reſpirationis difficultate.*

Quid hydrops, ex mente Jonſtoni.

Quid hydrops, ex mente Weckeri.

Hydropis deſcriptio.

Dicimus: *ſtrictè acceptus:* quia Hydrops, lato modo, pro quavis, ubicunque factâ, aquoſi laticis collectione ſumi poteſt: ſive illa in capite; ſive pectore; ſive utero; vel ſcroto acciderit: *totius corporis*, ut illam Hydropis ſpeciem in deſcriptione exprimamus, quæ, intercutaneam, eámque univerſam corporis circumferentiam, occupans, *Anaſarca* nuncupatur: *aut inferioris ventris tantùm;* ut illam quoque Hydropis differentiam deſcriptioni includamus, quæ ab aquoſa illa minera, in ſpatiis, peritonæum inter & inteſtina, intercedentibus collecta oritur, atque *Aſcites* nominatur; quæ in tantùm, non rarò, ob exuberantem aquoſi laticis copiam & incrementum, augetur, ut non ſolùm teſticulorum burſam, ſeu ſcrotum, ſubintret,

Aſcitis effectus.

intret, impleat, & ad ſtupendam magnitudinem infarciendo & diſtendendo deducat, ſed etiam pedes mirum in modum impleat, grandemquè eorum tumorem pariat. Proinde & haſce addidimus particulas: *aut etiam reliquarum, ventri ſubjectarum, partium tumor præter naturam:* quia omnes omnium viſcerum functiones in hac ægritudine vehementer læduntur. Nam à ſeroſo (ut notamus) & aquoſo humoris latice procedit, vel à flatu excitatur; ubi & tertiam Hydropis ſpeciem, *Tympanitem* videlicet, reliquas hujus affectionis differentias malitiâ ſuâ longè ſuperantem, attingimus. Dicimus denique: *cum vehementi quandoque ciborum faſtidio, incompeſcibili bibendi deſiderio, atque anheloſæ reſpirationis difficultate:* quoniam non ſolùm omnes meſenterii venæ, totúmque omentum, ſed ipſa etiam viſcera, quæ natura digeſtionibus perficiendis mirâ deſtinavit providentiâ, ab aquoſi humoris illuvie occupantur.

Tympanitis reliquis hydropis ſpeciebus pejor

Reſpirationis difficultas.

Hinc calor nativus, digeſtionum opifex languet, opprimitur, hebetatur, omnéſque facultatum naturalium actiones imminuuntur, & cum his etiam ciborum appetentia vehementer læditur, atque depravata illa, continuequè urgens bibendi aviditas enaſcitur, partim quòd ſeroſus hydropicorum latex vehementi ſalſedine tingatur; partim quòd, longiore temporis tractu humano in corpore deliteſcens, ſenſim putreſcat, putrefactus verò aſcititio ſummequè viſceribus noxio calore inflammetur. Exinde vapores gravem caliditatem, ſiccitatem, & ſalſedinem redolentes adſcendunt, & ſuperius ſtomachi orificium, exquiſitiſſimo ſenſu donatum, petunt, illúdque exſiccando, ſitim pariunt. Quod agnoſcens Galenus *lib. 6. de loc. affect. cap. 3.* ait: *magna ſitis cauſa eſt ventriculus aut calidâ, aut ſiccâ, aut utrâque intemperie laborans; maximè verò os ipſius ſuperius*, & (ut loquitur *lib. 1. de ſymptom. cauſ.*) *ſi ſalſi, aut bilioſi humoris vitio ventriculus laboret, potionem magis, quam cibum*

Sitis cauſa.

cibum deſiderat. Nam ſtomachi tunicæ ſalſo, calido, acrique imbuuntur humore, quæ, moleſtantis cauſæ ablationem poſtulantes, continuam potus ſubminiſtrationem exigunt.

Nec paradoxum cuipiam videri debet, quòd ſeroſos humores, in hydropicis exundantes, putreſcere, ac calorem adventitium concipere dixerimus. Quemadmodum enim ſtagnantes in piſcinis ac paludibus undæ, quæ recentis affluxu, veteriſque defluxu carent, putreſcunt, &, teſte Ovidio, Qualiter humorum putredo accidat.

Concipiunt vitium, ni moveantur aquæ:

ſic ſtagnantes humanis in viſceribus ſeroſos humores corrumpi, putreſcere, & vitium trahere, eſt neceſſum. Id quod probè ſagax & perſpicax naturæ ſcrutator Galenus advertit, *lib. 2. de facult. natural.* inquiens: *excrementa ſingula ſi diutiùs moram in corpore trahant, putreſcunt, mordacia & acria fiunt, atque his, quæ ipſa continent, infeſta reddunt.* Quòd verò etiam calore adventitio incaleſcant, idem Galenus, *lib. 2. de temperamentis,* diſertè aſſerit: *omnia, quæ putreſcunt, adſcititio calore ſunt calida, & frigent proprio.* Et hunc quidem adſcititium, in putrefactione ſua conceptum, calorem excrementa ita fovent, ſicuti ligna ignem, aptiſſimum ejusdem pabulum, fovere & augere ſolent; qui ubi immodicè invaluerint, ſuperſtites calidi innati particulas tam diu affligit, usque dum penitùs illas exurat ac devoret: ut videre eſt in Hydrope, peſſimæ naturæ morbo. In hoc enim ipſa aquoſum laticem continentia viſcera corrumpuntur, febris lenta generatur, univerſa corporis moles atrophiâ corripitur, tandemque mors ipſa ſubſequitur. Putrida quo calore incaleſcant? Peregrini caloris effectus.

Porrò quemadmodum ſeroſa illa, & aquoſa Hydropicorum minera pondere ſuo, utpote ductu naturali, ad inferiores corporis partes vergit, ſtupendos in iis tumores excitando: ita etiam vaporoſa, & magis volatilis ejusdem portio ſuperiorem pectoris regionem ſcandit, & requiſitam diaphragmatis dilatationem totaliter impedit; ut, quantò gravior affectus Unde reſpirationis difficultas

redditur, tantò reſpirationis uſus difficilior evadat. Hinc ab initio, circa noctis medium, peractâ alimentorum ingeſtorum concoctione, ſuperveniente compreſſivo cordis dolore, magna mox difficultate ſpiritum trahunt laborantes: ita quidem, ut, ſuffocationis periculo urgente, evigilent, ſtatimquè ſe erigere, & orthopnevmaticorum inſtar, rectâ cervice, ſedentes reſpirare cogantur. Quandoque, dum reclinare ſe volunt, unius tantùm lateris, quandoque verò neutrius, ſed ſolius dorſi decubitum ferunt. Tandem autem, increſcente potentiùs malo, omni prorſus decubitûs uſu deſtituuntur, omniquè diei ac noctis tempore non ſolùm erecti, ſed etiam, ut liberiùs reſpirare poſſint, capite in anteriora pectoris inclinato, miſerè, cum momentaneo virium decremento, deficiunt, usque dum difficili hujusmodi ægrorum reſpirationi tuſſis ſuperveniat; quâ ſuperveniente, jam alterum pedem in ſepulchro ſituatum habere dicuntur: ſiquidem eò usque ſeroſus Hydropicorum latex accrevit, ut aſperarum arteriarum cavitates occupet, tuſſimquè excitet, cum manifeſto inopinatæ ſuffocationis periculo. Ut propterea diligentiſſimus rerum, circa calamitoſiſſimos hujus conditionis ægrotos, fieri ſolitarum obſervator, Hippocrates, *aphoriſ. 35. ſect. 6.* nobiliſſimè dixerit: *Hydropicis tuſſis ſuperveniens, malum.*

Difficulter reſpirantiū diverſitas.

Hydropici qui deſperati.

Quæ verò humani corporis pars natale hydropis ſolum, à quo ſua morbus ille infelix ducat primordia, ſtatuendum ſit, Authores variant. Potior & ſanior eorum pars natalem hydropis ſedem hepar malè affectum ſtatuunt, non ſolâ Galeni, Medicorum Principis, authoritate, ſed validiſſimâ quoque ratione, quâ ſuam is aſſertionem ſtabilit, inducti ac perſvaſi. Lubet tùm aſſertionem, tùm ejus rationem verbis ipſiusmet Galeni adferre in medium, & diſpicere, num Helmontius, qui contra Galenum, & plenum Medicorum torrentem, nititur, ſat ſolido innitatur fundamento. Galenus itaque, *lib. 5. de loc. affect.*

Hepar malè affectum hydropis cauſa.

Galeni ſententia.

affect. cap. 6. ſic habet: *niſi afficiatur hepar, hydrops minimè gigni poteſt.* En Galeni mentem, nullis obſcurorum verborum involucris occultatam; ſed verbis planè dilucidis manifeſtè expoſitam! An non jurare te in verba Galeni jactas, Helmonti? Sed nec ego ſolis Galeni verbis tantam reverentiam habeo, ut, ſi nulla iis ſuffragetur ratio, mordicus tamen velim adhærere, intellectum in Galeni obſequium captivando. Verùm ubi tanti Archiatri authoritatem ſolida rationum non futilium momenta adjuvant, temerarius ſim, ſi plus illo ſapere velim, aut ſolidis nixa argumentis Galeni dogmata inanibus verborum ampullis, vel (quod adhuc deterius eſt) plenis convitiorum plauſtris, me convellere poſſe, confidam. Galeni ſententiæ abſque ratione non ſunt defendendæ.

Aves jam ſcire, Helmonti, cur, *niſi afficiatur hepar, hydropem minimè gigni poſſe* aſſeruerit Galenus? Conſule *lib. 5. de loc. affect. cap. 6.* ubi, ſi nullo glavcomate laborant oculi, ſequentia leges: *quia hepar eſt facultatis ſanguificantis inſtrumentum.* Et eodem rurſum *lib. cap. 7. ſanguinis generatio eſt hepatis actio.* Quid inde conficiatur, aut quæ ex his præmiſſis legitima deducatur conſecutio, non advertit, aut advertere ſimulat Helmontius. Quin, ut in plurimis aliis adverſetur Galeno, in hoc eidem tamen adſtipulatur, palámque ipſe fatetur in ſuo, *de ignoto hydrope, tractatu, num. 26.* quòd *propria hepatis actio ſit ſanguificatio,* & in ſuo, *de ſpiritu vitæ, tractatu* id denuò confirmat: *hepati incumbit labor ſanguificationis.* Benè habet, Helmonti! laqueos ipſe tibi, quibus capiâre, conſtruxiſti: Vide, quid jam ex tuis, textui, *loco ſupra citato*, conformibus verbis contra te deducat longè perſpicacior Galenus. *Hepar eſt facultatis ſanguificatricis inſtrumentum. Hepati incumbit labor ſanguificationis: adeoq́; conſequens eſt, ut, ipſo hepate vitiato, ejus quoque actio, ſeu labor, vitietur.* Sapienti pauca: facilè enim alias, quæ latent, conſecutiones advertet, cui recta non caligat ratio. Age tamen, &, ut manifeſta Galeni veritas omnibus pateat; & has evol-

Cur hydrops ab hepate generetur.

Quæ hepatis actio.

Cur hepar affectum ſequatur hydrops?

evolvamus. Vitiato hepate, vitiatur quoque ejus facultas ſanguificatrix, ſeu ſanguificatio: atqui, dum vitiatur ſanguificatio, ſuccedit aquificatio, ſeu humorum ſeroſorum exundatio; ergo vitiato hepate,& vitiatâ ejus ſanguificatione,ſuboritur aquificatio, ſive hydrops: quem inter aquas naſci, adoleſcere, & plures ſemper ſitire, non ſolùm nôrunt Medici, ſed vel ipſe Tomitanus exul ſcivit, ſic de eo canens:

Sic, quibus intumuit ſuffuſâ venter ab unda,
Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Quando hydrops naſci non poſſit.

Stringamus totam diſſertationem Enthymemate: vitiato hepate, conſequens eſt, ut ſanguificatio, quæ propria ejus actio eſt, vitietur, & ſuccedat ſanguificationi aquificatio, ſive hydrops; ergo quàm diu hepar non vitiatur, ſed ſibi propriam ſanguificationis actionem exercet, aquificatio, ſeu hydrops minimè gigni poteſt; quod idem omninò eſt dicere, ac dixit Galenus ſupra citatus: *niſi afficiatur hepar, hydrops gigni minimè poteſt.* Utrum ex his, Galeno-Maſtix, Helmonti, negabis? An antecedens? At illud non ſolùm Galeni, ſed etiam tuum eſt: an id, quod ex eo perſpicuè & dilucidè à contrario conſequitur? Verùm id nemo facilè negaverit, niſi qui helleboro egeat.

Multis hydropicis mortuis & diſſectis integrum fuit hepar.

Sed nunc cauſarum tuarum momenta, quibus inductus, à Galeno, & communi Medicorum ſenſu receſſiſti, trutinemus. Plurimi (inquit Helmontius, in ſuo, *de ignoto hydrope, tractatu*) hydrope laborantes, eóque morbo etiam mortui, à morte reperti ſunt, qui, in anatomica diſſectione diligenter luſtrati, ne minimum hepatis malè affecti habuerunt veſtigium: ergò dici ex vero neutiquam poteſt, hydropem ab hepate malè affecto ſuum ortum ducere. Hoc argumentum, velut invictum Achillem, Helmontius Galeno opponit; hoc ſibi vincere; hoc triumphare contra communem ſententiam videtur. Verùm an illud tanti ſit roboris, ut idcirco Galenus, cum

cum tota Medicorum ſchola, ab illo non ſolùm deſeri, ſed etiam à ſarcaſtica Helmontii lingua graviter vapulare, variisquè ſcommatibus traduci debeat, diſpiciamus. In multis (ait) hydropis mortuis nullum hepatis affecti videri potuit veſtigium. Quid tum? An tu omnes hepatis affectiones oculorum judicio cenſes eſſe explorandas & conſpiciendas? Atqui multæ tam ſubtiles, tam abditæ ac reconditæ ſunt, ut eas nequidem à centoculo Argo, taceo ab Helmontio, videri poſſe, credam. Quàm multa in interiore corporis humani penu accidunt, quæ omnem oculorum, etiam lyncæorum, aciem effugiunt! Quid mirum igitur, ea oculos quoque Helmontii non ita fortè vel perſpicaces, vel ſectioni anatomicæ intentos, effugiſſe? Mira ſunt arcana corporis.

Ad hæc, quis neſcit, corpus humanum ab ipſa ſtatim morte aliter eſſe, quàm cùm viveret, conſtitutum. Alia vivi, alia mortui corporis conſtitutio. Tandem, cùm conſtet, in pluribus hydrope mortuis aliquod hepatis malè affecti indicium deprehenſum, quàm non deprehenſum fuiſſe, cur à raris contingentibus concluſionem univerſalem Helmontius potiùs fecit, quàm ab iis, quæ frequentiùs accidere ſolent? An non, veritati conformiùs, ſic ſtatuiſſet: in plериsque hydrope mortuis aliquod hepatis malè affecti deprehenſum veſtigium: ergo hepar malè affectum cauſa eſt hydropis: quàm, in quibusdam hydrope mortuis ſubinde nullum deprehenſum fuit hepatis malè affecti indicium: ergo hepar nunquam ſtatuendum eſt cauſa hydropis: ſanè à raris contingentibus, præſertim ſi de iis, an contigerit, meritò adhuc ambigatur, non poteſt, nec ſolet argumentum peti, niſi inefficax & elumbe. Vide igitur ſis, Helmonti, quanti roboris ſit argumentum tuum, quod, arenariæ rarorum contingentium baſi ſuperſtructum, mole ruit ſuâ. Argumentũ à raro contingenti nõ valet.

Perſtat tamen ſuâ adhuc in opinione Helmontius, ſuoquè ſenſu abundans, non hepar, ſed renes, adæquatam hydropis cau- Renes hydropis cauſa juxta Helmontium.

cauſam conſtituit, *Tractatu de ignoto hydrope*, ita inquiens: *Renes adæquati ſunt artifices patratores & arbitri veri hydropis.* Cur ita? Eò quòd *hi imperii ſui, & actionis regiminis, obliti, cruoris laticem, communis vitæ uſurâ carentem, non ad ureteres, & vaſa urinaria, ſed in cavitates ventris, inter peritonæum & muſculos abdominis, venæquè cavæ divaricationes, ablegent.* Id quod potiſſimum tunc ſolet evenire, quando *renes aut à grumo ſanguinis, tanquam cauſa occaſionali obſtruuntur: aut quando renum Archeus malignum quendam furorem, à virulenta proprietate oriundum, induit: vi cujus renum Archeus, ut furori ſuo faciat ſatis, citiùs cruorem liquefacit, quàm à furore incepto deſiſtat. Perinde enim eſt, atque homo furioſus, equus aut bos, qui ſe è ſublimi præcipitat, ſuiquè finem procurat. Sic namquè Archeus renum, in ſuis furoribus, velut ſtudio pertinaci, ſibi exitium procurat, qui laticis ſeparationem negligit, urinæ ſeram tam arctè claudit, ut omnis urinæ tranſitus impediatur. Hinc laticem ad loca abdominis demittit, imò & poros membranarum arctè claudit, ne ſcilicet quidpiam laticis, aut ventorum, tranſpiret.* Hactenus Helmontius.

Helmontii refutatio.

Verùm enim verò Helmontius non tantùm hac in parte rationi contrariatur, dum ipſos renes adæquatos ſemper hydropis artifices & patratores conſtituit, ſed ipſi etiam omnium facilè Medicorum experientiæ derogat & reluctatur, quâ conſtat, quòd ab hæmorrhoidibus, & menſtruis, juſto plùs fluentibus aut ſubſiſtentibus, hydrops frequenter oboriatur, juxta Hippocratis *aphoriſmum 12. ſect. 6.* ubi ait: *diuturnas curanti hæmorrhoidas, niſi una quæpiam ſervetur, periculum aquæ inter cutem impendet. Si enim hæmorrhoides fluentes ſupprimantur ſubitò, ſanguis regurgitabit in hepar, & ſuffocando calidum, hydropem afferet*, dicente Valleſio *in commentario aphoriſmi* jam *citati.* Huic Valleſii ſententiæ ſubſcribit Jacchinus, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 72.* dicens: *hæmorrhoides ſive nimium fluant, ſive præter naturam ſupprimantur, vires lædunt: &, cùm diu durant, unà cum ſanguine & calor*

A menſium aut hæmorrhoidũ ſuppreſſione hydrops.

calor deficit, inde concoctio vitiatur, & hydrops oritur, tradente eodem Jacchino, *cap. 52.* Hoc ipſum ſe ſæpiùs accidere vidiſſe teſtatur Galenus, *lib. 2. de facultatib. naturalib.* ubi ait: *Ex diuturnis hæmorrhoidibus vel ſuppreſſis, vel immodicâ profuſione hominem ad extremam frigiditatem ducentibus, non ſemel, aut bis, ſed ſæpe, jam aquam inter cutem collectam vidi. Sicuti mulieribus quoque tum menſtruæ purgationis omnimoda ceſſatio, tum immodica vacuatio, ſæpe hydropem accerſiverunt.* Eò quòd *nimia evacuatio ac repletio, partium calorem vehementer diſſipent, tum caloris, tum ſpiritûs ſubſtantiam infringant & refrigerent; cujus refrigerationem tanta debilitas ſequitur, ut ſanguificationi ritè præeſſe non poſſit* (aſſerente ſic Fernelio, *lib. 2. meth. med. cap. 9.*) hinc hydrops ſuccedit. Id quod olim advertens Hippocrates, *lib. de veter. medicina* ſcripſit: *multa mala, & diverſa quidem, ab his, quæ ex repletione fiunt, non minùs autem gravia inanitioni inſunt.* Cujus Galenus rationem, *in commentario aphoriſ. 3. ſect. 1.* reddens, aſſerit: *evacuationes nimiæ dejiciunt vires, quæ, nimium dejectæ, aſſumpta alimenta concoquere, diſtribuere, & aſſimilare nequeunt.*

Repletionis & inanitionis mala.

Eâdem ratione humores præter naturam retenti calorem ſuffocant, & hydropem quandoque inferunt. Ut proinde Hippocrates, *aphoriſ. 3. ſect. 1.* optime dixerit: *Evacuationes ad ſummum ductæ, periculoſæ: contraquè repletiones, extremæ ſi fuerint, ſimiliter periculoſæ.* Quòd etiam poſt febres acutas, longas, & quàm maxime quartanas, nonnunquam oriatur hydrops, id patet *ex lib. 2. Hippocratis, de prognoſticis*, ubi ait: *hydrops morbo acuto ſuperveniens, eſt malus;* eò, quòd in hujusmodi farinæ morbis hydrops non accidat, niſi pereunte ſanguificationis opifice, calore nimirum nativo. Calor enim in febribus, v. g. ardentibus, contagioſis, hepatis, aut aliorum viſcerum inflammationibus, tam malignantis eſt naturæ, ut digeſtivum hepatis calorem imminuat, alteret, eoquè deducat, ut ſanguificatio non ſolùm ſiniſtrè peragatur, ſed etiam,

Hydrops poſt febres longas & acutas.

boni

boni ſanguinis loco, aut pituita, aut aqua, aut flatus, generetur.

An autem in affectibus jam tum enarratis (quos hydropem ſequi monſtravimus) renes ſint affecti, & ab adverſa eorum diſpoſitione jam nominatorum morborum cauſa ſemper dependeat, id ego cuilibet, granum ſalis habenti Viro dijudicandum relinquo. Ego, cùm videam, menſtruas purgationes, hæmorrhoidum fluxûs, per renes non excerni, aut ab eorum vitio non ſupprimi, morbos item acutos à renibus non gigni; difficulter, imò nunquam, mihi perſvaſero, hydropem ſemper & adæquatè ab ipſis renibus produci.

Renes hydropis cauſa immediata non ſunt.

Nec obſtat, quòd Helmontius aſſerat, renum Archeum, in hydropis generatione, malignum quendam furorem concipere, vi cujus citiùs cruorem liquefaciat, quàm à furore ſuo deſiſtat. Cùm enim videam, hydropem ſemper ex caloris defectu oriri; caloris autem, ſeu ſpiritûs, furorem ex ejusdem inflammatione, ſive accenſione naſci; nec huic Helmontii ſententiæ aſſentiri poſſum. *Nam* (ut docet Galenus, *lib. 6. de Placitis Hippocratis & Platonis.*) *calorem, in corde vigentem, & fervidum, furioſum iracundúmque nominare ſolemus.* Si ergò Archeus renum, in furorem actus, ſemper generaret hydropem, etiam fervidus eſſe, atque ita percipi deberet: quemadmodum ejus fervor in corde, hepate, liene, aliisque corporis partibus, percipitur; ſi præſertim, præ nimio fervore, ſanguinem liquefaciat; cùm tamen in renum venis alius non contineatur cruor, quàm qui eorum nutritionis causâ ad illos à natura derivatur: qui potius ab exceſſivo renum calore exurendus, quàm colliquandus foret, ſi renum Archeus præ fervore fureret.

Quis ſpiritus furioſus dicatur.

Qualiter proinde furioſus renum Archeus, ſanguinem colliquando, hydropem ſemper producat, non video; licet non negem, renes, aut à ſanguinis grumo, aut à calculo obſtructos hydropi occaſionem præbere, fieriquè mediatam ejusdem cauſam. Dum enim ſanguinis ſeroſitati, à na-

à natura ad renes ablegatæ, propter obſtructiones, tranſitus denegatur; quaſi regurgitatione quadam, hæc cloaca ad hepar remeat, quæ calorem hepatis, ejusquè actionem turbat, quia calorem opprimit, & ad aquoſi ſanguinis generationem hepar diſponit. Unde renes remotam & occaſionalem hydropis cauſam quandoque eſſe, nullus facilè negaverit. Renes hydropis cauſa occaſionalis.

Denique (ut rem paucis eloquar, atque id, quod ſentio, candide fatear) verborum quidem *affatim, ſed nervi* atque roboris perparum, in Helmontii doctrinâ reperio. Cur, quæſo, Helmonti, umbras & tenebras, noctuarum more, adamas, clariſſimum Galenicæ doctrinæ meridiem exoſus? Quid ſibi volunt illa verborum obſcuriſſimorum involucra, & mera, quæ loqueris, ænigmata à nullo Oedipo, nequidem à temetipſo, ſatis evolvenda? Veniat, oro, tibi in mentem illud, quod aliis occiniſti, carmen, quo, in *tractatu de ignoto hydrope, num. 25.* ſcholas graviſſimè ſugillaſti; quòd illæ, in difficiliorum rerum enodationibus, calamum ſuum ſemper ſuſpendant, putantes, quòd ſufficiat, ſi, per occultarum qualitatum excuſationem, ab intricatiorum naturæ myſteriorum explanationibus ſeſe expediant. An non ipſe Tu, nunc, in eundem lapidem graviter offendis, ad quem alios reris ceſpitaſſe? Dum mentem tuam, in aſſignanda hydropis cauſa, tam obſcurè proponis, ut temetipſum non ſatis intelligere videaris. Inexpertis quidem fucum facere potes, ambiguis verborum ſchematibus, qui te mera arcanioris ſcientiæ myſteria ructare credent, dum illud tuum dogma legent: *In hydrope furor virulentus eſt Archei renum, qui tandem aſſurgens in gradum vertit laticem, eumquè deducit, quò vult, affluum laticem corrumpit, ac divertit, huncquè in abdominis ſpatium transmittit: abdominis interim membranas, harum poros ita ſtringit, ut nihil penitùs transmittant in mortem usque.* At Medicinæ gnaris hiſce tuis involucris non impones. Facilè enim ii, fracto verborum cortice, deprehen-

Ignari facilè decipiuntur.

Helmontii ſententia falſa.

dent, caſſam te, ſine nucleo, nucem propoſuiſſe, & novi nihil, præter obſcuritatem, in medium attuliſſe. Multa jam fluxerunt ſæcula, à quibus id, quod Helmontius Archeum renum nominat, Scholæ, multò clarius, inſitam eorundem facultatem, cum Galeno, appellant, ita, *circa finem lib. 1. de facultatib. naturalib.* ſcribente: *renibus ineſt propria quadam vis, lotium trahendi.* Quam eandem facultatem, inter alios recentiores Galeni ſequaces Medicos, attigit præſtantiſſimus ille Monſpelienſium quondam Anatomicus, Andreas Laurentius, qui, *lib. 6. hiſtor. anatomic. cap. 23.* ſcribit: *renes familiaritate quâdam nobis incognitâ ſanguinis ſerum trahunt.* Quæ renum facultas, quàm diu naturalem, ſibiquè debitam temperiem ſervaverit, ſuæ operationi ritè præeſt; juxta illud Galeni, *lib. 1. de præcognit. ex pulſ.* ubi inquit: *facultatis eſſentia ſingularum partium in ſingularum illarum poſita commodo temperamento eſt. Nam tum demum ſuum quaque munus ſtrenuè obit, ubi ſit temperatiſſima: contra malè fungitur, ſi intemperata ſit.*

Quid Archeus?

Renum facultas ſpecifica.

Quando igitur ſpecifica illa renum proprietas, partim ob vitiatam ſanguinis elaborationem, & requiſiti alimenti defraudationem; partim ob eum, qui renibus cum hepate intercedit, conſenſum fortiùs debilitatur; eo etiam modo ſua obire munia non poſſunt, quo ritè temperati, proboquè alimento roborati iis fungebantur. Nam quando hepar, ob frigidam ſuam dyſcraſiam, crudum, frigidum, aquoſum, imperfectúmque gignit ſanguinem, non poſſunt non renes ab eadem hepatis intemperie affici: quoniam à depravati frigidique alimenti receptione, atque crudorum frigidorúmque humorum, per renum cavitates & ductûs, tranſitu alterantur (*ſiquidem alimenta carnem maximè permutare ad ſuam ipſorum naturam poſſunt; omnisq; res, ſi potentior ſit, ab illa, cum quâ verſatur, afficitur*) vel etiam propter illam, quam cum hepate habent, viciniam, vaſorumquè communionem inficiuntur.

Quando renes ſuo fungantur munere?

Unde renũ alteratio?

Nam

Nam (ut loquitur Hippocrates, *lib. de loc. in homine*) *corpus ipſum ſibi ipſi idem, & ex iiſdem compoſitum eſt. Hinc ſi quis vel minimam corporis partem lædat, totum corpus eam affectionem ſentiet, qualiſcunque tandem fuerit.*

Unde aquoſi, ſeroſique humores in corporis cavitatibus cumulantur; qui, in viſcerum meatibus degentes, diſtendendo non rarò, & puſtulas acrimoniâ ſuâ excitando, continui ſolutionem pariunt: quia puſtulæ, aliquando, in ipſo hepatis parenchymate, à ſalſorum copia generatæ disrumpuntur, atque ſucci, in iis contenti, in abdominis ſpatia defluunt, elatum ejus tumorem inferentes. Ita, præter frequentes præſtantium Medicorum obſervationes, docemur ab ipſo Galeno, *in commentario aphoriſmi 55. ſect. 7.* ubi ait: *maximè obnoxium jecur eſt generandis in ea tunica, quæ extrinſecus ipſum ambit, veſiculis aquâ plenis, quas hydatidas appellant Græci. Siquidem in jugulatis animalibus apparet interdum talibus veſicis refertum. Si quando igitur acciderit, ut tales h[...]idas rumpantur, in eam peritonæi partem effundetur, quæ eſt ſecundum epigaſtrium; in quo ſpatio etiam per hydropas aqua colligitur. Nam intra omentum aqua erumpere non poteſt, quin ipſum aliquatenus exedatur.* Interdum tamen, & (uti probabile eſt) frequentiſſimè citrà harum puſtularum excitationem, aquoſi hi & ſeroſi hydropicorum ſucci, in hepatis, lienis, atque aliarum partium cavitatibus hoſpitantes, in abdominis capacitatem migrant; dum videlicet aut per venarum umbilicalium, aut omento, pancreati, & meſenterio, ad neceſſarii alimenti deductionem, inſertarum ductûs pedententim influunt, aut per vas aliquod, urinæ excernendæ deſtinatum & disruptum, ad jam dicta abdominis ſpatia ſeſe inſinuant. Dum enim aquoſa illa hydropicorum minera diutiùs in viſceribus moratur, acrimoniam & calorem contrahit, vi quarum proprietatum oſcula venarum reſerantur, effundente ſe paulatim, aut deſtillante ad abdominis capacitatem;

Qualiter humores in abdominis ſpatia defluant.

Viæ per quas humor ad abdomẽ defluit.

tatem, nocivâ illâ peccantis materiæ congerie. Id quod etiam aliquando à nimia vaſorum diſtenſione, & redundantium humorum tenuitate, cæcos quaſi & anguſtiſſimos vaſorum poros & orificia penetrante, accidit.

Verùm cum tres ſummæ, eæque præcipuæ hydropis ſpecies ab univerſa Medicorum ſchola ſtatuantur: *Leucophlegmatia* videlicet, *Aſcites*, *& Tympanites*; illæquè differentiæ, quoad majorem vel minorem cauſarum vehementiam, variare credantur, & proinde curativa & præſervativa earum methodus non raram exigat mutationem: placet hic, diſtinctis, de quavis hydropis ſpecie, agere capitibus, ut cujuslibet cauſæ procatarcticæ & efficientes eò diligentiùs examinari, próque earum varietate medendi methodus variari poſſit.

Caput V.

De Leucophlegmatia, ſeu Anaſarca.

Deſcriptio Anaſarcæ.

Anaſarca, ſeu Leucophlegmatia, eſt æqualis totius corporis tumor præter naturam, à vitiata ſanguinis ſubſtantia ortum ſuum obtinens. Dicitur *æqualis totius corporis tumor*; quia omnes & ſingulæ humani corporis partes adeò à pituitoſi excrementi multitudine occupantur & impraegnantur, ut (docente Hippocrate, *lib. 2. de morbis*) *totum corpus albo tumore intumeſcat, venter ad contactum ſit craſſus, pedes, coxæ, tibiæ, & ſcrotum intumeſcat, reſpiratio ſit coacervata, osquè ſiccum, & cum ſiti; &, ubi cibum accepit, ſpiritus frequens, & eâdem quandoque die meliùs ſe habeat, quandoque deterius.* Vult nimirum Hippocrates, &, cum eo, univerſus facile Medicorum cætus, quòd in anaſarca intercutaneus corporis habitus adeò à pituita (*ſi illa*, quemadmodum Galenus, *lib. de atra bile*, tradit, per univerſum corpus præter modum augeatur) diſtendatur, ut omnes & ſingulæ membrorum particulæ, absque ſpeciali doloris ſenſu, à ſum-

Quando Anaſarca corpus occupet.

à ſummo vertice, uſque ad imam pedis plantam, intumeſcant, atque in laxum mollêmque tumorem eleventur. Dicitur: *à vitiata ſanguinis ſubſtantia ortum ſuum obtinens;* ſiquidem, aſſerente Galeno, *in comment. aphoris. 12. ſect. 6. aqua inter cutem fit, cum ſanguinis generatio fruſtratur*: fruſtratur autem ſanguinis generatio, ob læſam ſanguificationis officinam, hepatis videlicet intemperiem. Quando enim nativa jecoris virtus à cauſis calorem nativum debilitantibus, aut obruentibus, aut ſuffocantibus impeditur, quò minùs eſculenta & poculenta, à ſtomachi Vulcano digeſta, atque per hiantes venarum lactearum & meſeraicarum ductûs ad hepar delata, in laudabilem transformentur ſanguinem; mirum non eſt, quòd etiam partium vis agglutinatrix & aſſimilatrix ſuo ritè munere non fungantur. Nam imperfecta hæc ſanguinis maſſa adjicitur quidem, aut ad partes nutriendas derivatur; ſed non agglutinatur. Unde pituita, per univerſum corporis ſyſtema diſſeminata, magis magiſque colligitur; quam, ſi per *univerſum corpus increverit, leucophlegmatia comitatur* (ut inquit Galenus, *lib. 3. de ſymptom. cauſis*) fitquè hoc modo illa hydropis ſpecies, quam *Anaſarcam* dicimus.

Cur partes in Anaſarca non nutriantur.

Ubi hoc notandum occurrit, quòd nonnulli Medicorum velint, ſolam hepatis ſanguificationem læſam ad leucophlegmatiæ productionem non ſufficere, niſi ipſæ quoque ſingularum partium facultates, agglutinatrix & aſſimilatrix, offendantur: atq; hac ratione ad leucophlegmatiæ productionem plurium actionum læſionem requiri. Verùm quando, ob ſingularem jecoris atoniam, ejusdem ſanguificatio patitur, contractum illud ſanguinis vitium in ultimâ partium nutricatione emendari non poteſt. Unde accidit, ut partium nutriendarum temperies ab ipſo inutili alimento, ad ſe delato, per accidens alteretur, atq; paulatim taliter debilitetur, ut nulla penitùs inutilis alimenti agglutinatio & aſſimilatio fiat, & propterea

Falſa quorundam opinio.

pterea derivata ad intercutaneas partes perverſorum ſuccorum mephitis de die in diem augeatur, unicâ hepatis ſanguificatione, ob ejusdem refrigerationem, labefactatâ.

Quam ob cauſam, licet variæ ab Authoribus aſſignentur cauſæ, quæ pernicioſum hoc corpori malum parant: Nos tamen ex eorum numero proximam, ſeu immediatam, atque remotam, vel mediatam, ſeligentes, dicimus, quòd viſcera ſanguinis generationi & depurationi à natura deſtinata ſint proxima & immediata Leucophlegmatiæ cauſa. Dum enim inſitus ille hepati, cum primis generationis principiis, calor, utpote primarius ſanguificationis opifex, nimiam refrigerationem patitur, requiſita ſanguinis elaboratio negligitur, chymus, ob ſpecialem hepatis languorem, in crudum quendam, partibúsque alendis inutilem ſanguinem convertitur, qui, ad intercutaneam corporis regionem delatus, ibidem tumorem & Leucophlegmatiam concitat. Adeò, ut hepatis refrigeratio ſit proxima & immediata anaſarcæ cauſa, quemadmodum teſtatur Galenus, *lib. 6. de loc. affect. cap. 1.* ubi dicit: ***niſi ad hepar refrigeratio pervenerit, aqua inter cutem ſubſequi minimè poteſt:*** ſive iſta refrigeratio per propriam ac primariam jecoris affectionem evenerit; ſive per illum, quem hepar cum aliis corporis viſceribus conſenſum habet, inducatur.

Immediata Anaſarcæ cauſa.

Per primariam ac propriam hepatis refrigerationem anaſarca producitur, quando, nullis omnino præcedentibus aliarum partium morbis, ab unico aquæ frigidioris, v. g. potu tanta jecoris refrigeratio inducitur, ut neceſſarius ſanguificationi calor infringatur, hebetetur & afficiatur; boni verò & laudabilis ſanguinis loco, nihil, præter aquoſam quandam, & pituitoſam cruoris maſſam producatur; *quæ* (ut perhibet Valleriola, *lib. 2. obſervat. medicinal. obſervat. 5.*) ***per univerſum corpus diffuſa, partibus non unitur: unde in vaſtum tumorem, tactui cedentem, attolli membra, conſequens certè eſt, atque corpus*** (prout idem,

Hepatis refrigeratio primaria Anaſarcæ cauſa.

idem, ex Ægineta, refert) *mortuo perſimile reddi;* eò quòd, perversâ hâc ægritudine laborantes, requiſito ſpirituum influentium vigore & commercio defraudentur.

Mediata autem, ſeu remota pituitoſæ hujus infirmitatis cauſa quandoque ſunt res non naturales dictæ: quandoque verò adverſæ aliorum viſcerum diſpoſitiones & morbi. Quòd præpoſterus rerum non-naturalium uſus, ad jecoris refrigerationem, atque Leucophlegmatiæ productionem, plurimum adjumenti conferat; id cuilibet, rem accuratiùs ſecum ponderanti, facilè patebit, ſi, ab *aëre* incipiens, obſervaverit, quòd frigidior, per os aut nares attractus, aut cum eſculentis & poculentis (*Nam cum omnibus iis, quæ eduntur & bibuntur, ſpiritûs in corpus ingrediuntur*, docente Hippocrate, *lib. de flatib.*) per minimos etiam corporis poros tranſeat, atque, ad hepar delatus, illud facilè ad perverſam illam frigidi ac pituitoſi ſanguinis generationem diſponat: ſi præſertim languida frigidioris naturæ corpora ſubintraverit: qualia ſunt ſenum, fœminarum, atque eorum, qui mollem inertemque agunt vitam. *Nam ſenibus caloris parum ineſt;* juxta *aphoris. 14. ſect. 1.* Hinc frigidum ſenum corpus à frigidiore aura facilè alteratur, atque Leucophlegmatiâ, aliisque ſenii morbis, corripitur: dicente Hippocrate, *aphoriſ. 31. ſect. 3.* ubi inquit: *ſenibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſſi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus, Cachexia Græcis dictus: &c.* Et quia, aſſerente eodem Medicorum Patre, *lib. 1. de diæta, circa finem cap. 12. fœminæ ſunt humidiores & frigidiores*, ac proinde ad pituitæ generationem valdè proclives; non ſolùm intenſior aëris frigiditas in iis Leucophlegmatiam concitat; ſed & ipſis, quæ, domi deliteſcentes, otio torpeſcunt. Siquidem (ut divino noſtro Coo, *lib. 2. de diæta, cap. 10.* placet) *immoderata ſegnicies humectat, & corpus debile reddit.* Unde cruditates, pituitoſi ſanguinis colle-

Mediata Anaſarcæ cauſa.

Aër frigidus Anaſarcæ cauſa.

Cur fœminæ Anaſarcæ obnoxiæ?

collectio oriuntur; ex quibus augmentum ſumentibus anaſarca facilè naſcitur: accedentibus præſertim frigidioribus ventis. *Nam venti, à nive, glacie, ſtagnis ac fluminibus elevati, humectant & refrigerant tum plantas, tum animalia, & ſanitatem, ſi excedant, evertunt*; docente Hippocrate, *lib. 2. de diæta.*

Cibi immoderati incommoda.

Eâdem penitùs ratione *cibus* & *potus* remotè ad anaſarcæ productionem faciunt. Cibus enim & potus, quantitate peccantes, humani corporis diatheſi vehementer officiunt; eò, quòd eandem immutent, & inſignes Leucophlegmatiæ architecti fiant: quia (ut teſtatur Hippocrates, *lib. 2. de morbis mulierum*) *corruptionem pariunt, ac calorem innatum ſtrangulant.* Nam, volente ſic Galeno, *lib. de pulſuum uſu, præ multitudine materiæ frigidæ, innatus calor opprimitur, ad ſimilitudinem flammæ, quæ ſuffocatur multis humidis lignis obruta.*

Cibi qualitate peccantis mala.

Nec minora corporibus incommoda ab eſculentis & poculentis, qualitate delinquentibus, eveniunt. Dum enim frigiditate & humiditate excedunt, magnam viribus ſtragem inferunt, & anaſarcæ occaſionem præbent; cujusmodi ſunt *cucumeres*, *melones* atque alii hujus naturæ fructûs, facili putredinis nævo obnoxii: item frequentior lactucæ, aliorúmque frigidorum & craſſorum eduliorum eſus; quæ, ob ſpecificam, quâ dotata ſunt, proprietatem, hydropem generare poſſunt; qualiter (prout habet Mercurialis, *ex Plinio, lib. 3. de affect. infimi ventris, cap. 14.*) *atriplicem* à Pythagora damnatam fuiſſe legimus, quòd putaverit, ab ea fieri hydropem.

Vitioſus cibos aſſumendi modus anaſarcæ cauſa.

Sed nec quantitas, aut vitiata alimentorum qualitas ſola eſt apta producere anaſarcam; ſed etiam præpoſterus ille aſſumendi modus, dum videlicet priùs nova alimenta ingeruntur, quàm paulò ante aſſumpta ſint concocta: aut nulla etiam (quòd haud rarò accidit) per integros dies peragendæ digeſtioni conceditur mora. Qualis Epicureorum, continuò epulantium, mos eſſe ſolet, quorum vita & ars cùm ſit ſagina; nec

nec diu vivere, nec ſani eſſe poſſunt (rectè Tullius, pro Marco Cælio) *vitium ventris & gutturis non ſolùm minuit ætatem hominibus, ſed etiam aufert.* Siquidem ingens malorum lerna, ex hac vivendi ratione, tanquam ex equo Trojano, prodit. Tullio appoſitè conſonat Seneca, *epiſt. 95.* ita inquiens: *Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quàm ex fame, macies. Inde incerti labentium pedes, & ſemper, qualis in ipſa ebrietate, titubatio: inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentusquè venter: dum malè aſſveſcit plus capere, quàm poterat.* Adeò, ut jam priſcis Senecæ temporibus experientiâ, optimâ rerum Dominâ conſtiterit, quòd alimenta tam præpoſtero utendi modo, quàm qualitate & quantitate peccantia, remota anaſarcæ cauſa fuerint.

Atque hinc liquidò ſatis conſtare arbitror, quemadmodum ab aëre, cibo, & potu, aliisque rebus non naturalibus, anaſarca poſſit generari. Reſtat nunc, ut per illam etiam, quam hepar cum aliis humani corporis viſceribus ſympathiam habet, produci poſſe, demonſtremus. Illud verò nemo facilè in dubium revocaverit, niſi qui ignoret, quantam partes, ob vaſorum viciniam, & ſocietatem affectionum, communionem ac conſenſum inter ſeſe habeant. Is proinde talis tantúsque eſſe conſtat ex Hippocrate, *lib. de alimento*, ut *ſit confluxio una; conſpiratio una; & conſentientia omnia.* Si proinde lien v. g. refrigeratione afficiatur, facilè etiam jecur afficiet, illud refrigerando, & ſanguificationem evertendo. Quod olim obſervans Hippocrates, *aphoriſ. 22. ſect. 3.* ſcripſit: *à lienis tumoribus aquam inter cutem fieri:* Et *aphoriſ. 43. ſect. 6. quicunque lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, hi ſupervenienti longâ difficultate inteſtinorum, aquâ inter cutem moriuntur.* Quamvis *etiam ſæpe numero* (ut tradit Galenus, *lib. 5. de loc. affect. cap. 6.*) *nullo tumore apparente in jecinore, aut liene, æger aquâ inter cutem corripiatur; vel ob vitium jejuni, vel alicujus inteſtini* tenuio-

Mirus totius corporis conſenſus.

tenuioris, aut meſenterii, aut pulmonis, aut renum, aut ob immodicum hæmorrhoidum, ... *enſium profluvium, aut ob menſtruorum ſuppreſſionem.*

Cur ſuppreſſæ evacuationes anaſarcam pariant.

Nimia ... *im ſanguinis, aut ſalutaris humoris vacuatio ſpiritûs effundit, viresquè convellit; ſive is ex vulnere, ſive ex naribus, ſive ex ore, ſive ex mariſcis, ſive ex utero, ſive aliunde, proſiliat;* inquiente Fernelio, *lib. 2. meth. med. cap. 9.* Proinde anaſarca, potiori ex parte, aut à ſuppreſſis, aut nimiis cruoris profluviis accidit; quòd hæc tantam innatæ viſceribus virtuti cladem inferant, ut *multi* (prout loquitur Hippocrates, *lib. 6. de morb. vulgar. ſect. 4. text. 9.*) *ex immodico ſanguinis profluvio aquâ inter cutem corripiantur.* Quod ab eodem, *aphoriſ. 57. ſect. 5.* confirmatur, dum ait: *menſtruis abundantiùs fluentibus, morbi eveniunt.*

Cur conſvetæ evacuationes anaſarcam gignant.

Inter quos à Franciſco Valleſio, *in commentario hujus aphoriſmi* numeratur hydrops, dum dicit: *à retentis, aut fluentibus nimium menſtruis, aut hæmorrhoidibus hydrops fit, quia ſuppreſſio ſuffocando; evacuatio diſſipando, calorem hepatis debilitat.* Dum enim conſvetæ hæmorrhoidum aut menſtruorum vacuationes ſupprimuntur, retenti præter naturam ſucci craſſeſcunt, &, quia ventilatione carent, tenaces venarum obſtructiones pariunt, calorem debilitant, ſpirituum mobilitatem coërcent: atque ita ſanguificatio depravatur, ſanguis crudus per univerſam corporis regionem diffunditur, cutis in altum tumorem elevatur, atque fœdus totius corporis color inducitur: uti perſæpe videre eſt apud delicatioris naturæ puellas, domi, & in umbra, perpetuò commorantes; quibus etiam adultis anaſarca evenire ſolet, dum menſes non fluunt.

Signa Anaſarcæ diagnoſtica.

Jam ad ſigna anaſarcam indicantia deſcendamus: eorum alia ſunt pathognomonica; alia aſſidentia à Medicis nuncupata. Illa, Leucophlegmatiam perpetuò concomitantia, cum eâ incipiunt & deſinunt: ut mollis, æqualis & albus totius corporis tumor, qui ſi digito prematur, ejuſdem prementis veſti-

veſtigium in loco preſſo diu, absque omni doloris ſenſu, remanet. Et quamvis aliqui Medicorum doceant, quòd in hujus ægritudinis principio extremæ partes, per aliquod temporis ſpatium, inſigniter frigeant, antequàm morbus appareat; vividus corporis color in pallidum transformetur; naturalis faciei decor obſcuretur, atque alia quàm plurima accidentia hujus affectionis generationem præcedere ſoleant: Ego tamen obſervavi, quòd hic tumor quandoque ſubitum habeat initium, & velox ſumat incrementum, à pedibus & tibiis incipiendo, atque intra quatriduum per univerſam corporis regionem ſeſe dilatando. Nam, præteritâ æſtate, quendam Societatis Jesu Religioſum curæ meæ commiſſum habui, qui, poſt unicum frigidioris cereviſiæ potum (quem æſtuante ex laboribus corpore fecerat) in talem totius corporis languorem incidit, ut officiorum ſuorum functioni præeſſe non valuerit, atque, quatriduo elapſo, totius corporis tumore correptus, eâ (ut verbis utar Hippocratis, *lib. 4. de morb vulgar.*) *aquæ inter cutem ſpecie, quæ pituita alba dicitur, laboraverit: in qua tibiæ, & pedes, reliquúmque corpus tumoribus albis & mollibus vexantur.* Anaſarca aliquando ſubita.

Ad hæc urinæ, in anaſarca, redduntur albæ, tenues, & crudæ, propter languentem viſcerum calorem, à cujus vigore bonus eorum color & conſiſtentia dependet. Pulſus eſt mollis ac fluctuoſus, prout docet Galenus, *lib. introduct. in pulſus*, dum ait: *Ejus hydropis differentiæ (quam Græci anaſarcam nominant) pulſus fluctuoſus, latior ac mollis eſt.* Quando enim *leucophlegmatiæ, quæ ipſum etiam commutant, arterias humectant, pulsûs quoque efficiunt molles*, referente eodem, *lib. 3. de præcog. ex pulſibus.* Et cùm pulſus mollis ab humorum peccantium copia (quam in nobis indicat) generetur; ſimul etiam latior evadit: ſiquidem *latus naſcitur, ſi naturali robore facultas aliqualiter deſtituatur; quemadmodùm habemus ex* Galeni *lib. 2. de pulſuum differentiis.* Urina & pulſus, quid indicent.

 Si-

Signa aſſidentia.

Signa verò huic morbo aſſidentia ſunt illa, quæ quidem huic ægritudini aliquando conjunguntur, ſed non ſemper, & neceſſariò, anaſarcâ laborantibus accidunt: ut ſitis, difficilis reſpiratio, moleſtæ pectoris preſſuræ, ſtomachi dolores, graves oris fætores, craſſorum, pituitoſorum crudorumque ſuccorum vomitus, frequentia animi deliquia, atque alia hujusmodi malæ indolis ſymptomata, quæ à materia, in omnibus corporis partibus redundante, eásque affligente, originem ſuam trahunt.

Signa prognoſtica.

Diagnoſticis ſubnectantur ſigna prognoſtica, quæ nos de futuro anaſarcæ exitu vaticinari faciunt: an nimirum ægri periculoſa hujus morbi tempora ſint ſuperaturi; vel, invaleſcente morbo, ad ſepulchrum dejiciendi. Et quamvis Medici omnem hydropis ſpeciem periculoſam, curatúque difficilem paſſim pronuntient, *atque ipſe Hippocrates* (Valleſii enim verbis, *in comment. in prognoſtic. cap. 11.* utor) *affirmet, anaſarcam omnium hydropis ſpecierum ſolam eſſe incurabilem: verba tamen illa non ſunt Hippocratis, & hæc ſententia eſt apertè falſa. Nam & minoris cruditatis eſt, & curationi accomodatior, eò quòd, minor hepatis refrigeratio faciat leucophlegmatiam, quam aſcitem & tympanitem; atque humor,* dictante Jonſtono, *lib. 10. cap. 4. artic. 5. pituitoſus propiùs ad ſanguinis naturam accedat, ſitquè concoctu facilis*, juxta Galeni ſententiam, *lib. de conſtitutione artis* extantem.

Ex anaſarca nemo facilè moritur.

Unde ex anaſarca nemo facilè moritur, maximè ſi, conſtantibus adhuc corporis viribus, contingat, ut *leucophlegmatiâ detento fortis diarrhœa ſuperveniat: quia morbum ſoluit*, aſſerente

Cur diarrhœa proſit

Hippocrate, *aphoriſ. 29. ſect. 7.* Nam hæc alvi ſolutio fit à pituitæ, ex toto corporis habitu ad inteſtina delabentis, copia. Ubi tamen obſervandum eſt, quòd hæc de iis anaſarcâ laborantibus intelligenda ſint, quorum interiora corporis omni corruptionis nævo carent. *Multis enim* (ut refert Hollerius, *lib. 1. de morbis infimi ventris, in ſchol. cap. 17.*) *ſponte, vel arte com-*

moto ventre, & aquoſis multis inde expurgatis, non ſuperfuit ſalus. Nam etiamſi expurgetur aqua naturæ conatu, vel arte; ſi viſcera vel corrupta, vel ſyderata fuerint, celeriùs moriuntur. Hinc Hippocrates, *lib. 2. prædictorum* ait: *qui aquâ inter cutem detentus eſt, & ſervari volet, eum robuſtis viſceribus, & contentis viribus eſſe convenit, ſimúlque ſuapte naturâ facilè concoquere ac benè ſpirare, ſinè dolore eſſe, totúmque corpus æqualiter calere.*

Non omnis diarrhœa ſalutaris.

Cùm ergò ex jam allatis fiat manifeſtum, quòd omnes hydropis ſpecies curatu ſint difficiles, atque plurimo artis auxilio indigeant; etiam leucophlegmatiæ (licet reſpectu reliquarum ſpecierum congruis pharmacis faciliùs cedere credatur) curatio non eſt procraſtinanda, eò, quòd mala etiam levia, diutiùs tamen neglecta, mori faciant. Ut autem anaſarcæ curatio cum fructu inſtituatur, duæ potiſſimùm, eæquè principales indicationes Medico ob oculos verſari debent: quarum altera eſt materiæ, in corpore peccantis, vacuatio: altera, ne nova denuò colligatur, viſcerum corroboratio. Propterea, à victûs ratione curationem auſpicaturi, aërem commendamus lucidum, moderatè calidum & ſiccum, qui ſi talis ex natura ſua non fuerit, arte, ut accenſis ignibus luculentis, parari, ſuffitibusquè ex aromatis, reſinis & floribus, jucundum odorem ſpirantibus, frigidior & humidior corrigi poterit.

Parva mala mori faciunt.

Duæ anaſarcæ indicationes.

Aër qualis eſſe debeat.

Cibus, ex Aëtio, *ſermone 10. cap. 32.* jubetur eſſe *concoctu facilis, & ſufficienter coactus: exolutus enim aptus eſt, ut in aquoſitatem commutetur: proinde panis optimus clibanites,* qui *ſemen aniſi, fœniculi, cumini, ſalem*, in moderata quantitate ſibi admixtum habeat. Et licet aliqui dentur, qui inter reliquas carnium, utpote anaſarcâ laborantibus ſummoperè proficuarum, ſpecies commendant leporinas, cunicolorum, cervorum; nos tamen eas, niſi valde fuerint juvenes, rejicimus, earum loco carnes phaſianorum, turdorum, aliarumquè avium montana-

Cibus anaſarcæ competens.

rum ſubſtituentes: quin hiſce adhuc multis modis gallinas, capones, verveces, Gallico more aſſatos, præferimus. Nam ex harum carnium parte ſuccus torculari exprimi poteſt: pars verò tenerior & delicatior minutiſſimè conſcindi, & cum pane probè fermentato commiſceri, adjectisque aromatibus, *cinnamomo, caryophyllis, mace* &c. aliis quoque ſiccantibus, ut *ſale, aniſo, fœniculo, cumino*, in edulii formam, ægrotanti acceptam, pro vario coquorum artificio, aptari poſſunt. At cùm minima pars hominum ejus ſit potentiæ, ut ſumptuoſas haſce phaſianorum, perdicum &c. lautitias comparare poſſit, præſtat, ut tenuioris fortunæ infirmi penes carnem juniorum vervecum, caponum, gallinarumque, & ſorbilium ovorum eſum, curationis tempore ſubſiſtant, & juſculorum aſſumptioni parcant, vitando bubulam, & omnis generis piſces, lacticinia, legumina & olera, quia excrementorum copiam gignunt: qui verò caſtaneas, nucésque toſtas tantopere commendant, illi anaſarcâ decumbentibus potiùs adulari, quàm recuperandæ valetudini emolumentum aliquod facere videntur.

Anaſarcicorum potus.

Potus ſit vinum tenue, vetus & diureticum, tantâ quantitate exhibitum, ut urgenti ſufficiat ſiti: omni dulcis vini potione ſuperſedendum; eò, quòd ſitim non ſedet, ſed promoveat, & obſtructiones pariat. Si quis tamen cereviſiam, aut vinum cum *abſynthio, ſumitatibus centaurii minoris, ſcolopendrio*, atque aliis hujusmodi pharmacis, oppreſſum jecoris calorem excitantibus & juvantibus, conditum adhibere velit; rem longè utiliſſimam fecerit. Ubi unicè obſervandum, ut ab aquæ potu abſtineatur, quia cruditates auget.

Qualia exercitia & ſomnus conducat.

Eandem, quam in cibo & potu obſervandam eſſe diximus, regulam, in cæteris non naturalibus tenendam eſſe, judicamus; adeò, ut corporis exercitatio, ante omnem alimentorum ſumptionem inſtituta, ſit moderata: ſomnus nocturnus ad quinque horas producatur, diurnus verò cane pejus & angue

angue declinetur: excrementa alvi quotidiè reſpondeant, & urina ritè fluat: Triſtitiæ, vaniſquè timoribus, nullus omnino locus detur; ira tamen modicè concitari poterit; quia hæc calorem reficit, & ad humoris cruditatem vincendam impellit.

Verum cùm tanta humorum copia, quanta in anaſarca univerſam corporis regionem occupat, à legitimo ſolarum rerum non-naturalium uſu domari & evacuari nequeat; expediens eſſe cenſeo, naturam evacuationibus crebrioribus, & quidem per epicraſin inſtitutis, adjuvandam eſſe. Hæ autem bifariam fieri poſſunt: vel per phlegmagoga, id eſt, talia medicamenta, quæ ſpecificâ quâdam proprietate pituitam è corporis humani viſceribus exturbant; vel per venæ ſectionem. Illud tamen omnino hîc obſervari velim, quòd phlegmagoga in anaſarca taliter ſint moderanda, ut in prima curationis inchoatione leviora adhibeamus; præparatis autem nonnihil ſuccis, & obſtructionibus, quæ in hac affectione nonnunquam occurrunt vehementes, reſeratis, ad valentiora procedamus.

Natura medicamentis adjuvanda.

Quid in evacuationibus obſervandum.

Solent autem hîc diverſa, diverſo modo præparata pharmacorum genera exhiberi, prout ægrotorum naturam jam ad hujus, jam ad illius pharmaci ſumptionem magis proclivem notamus; jam pulveres laxantes, jam pilulas & potiones offerendo, jam bolos aut nodulos exhibendo. Ego Illuſtriſſimam Dominam Comitiſſam de Paradis, vigeſimum ætatis annum agentem, &, ex menſium retentione, anaſarcâ potenter afflictam, Anno 1678, ſequentibus adhibitis pharmacis à leucophlegmatia liberavi, optimæquè valetudini reddidi:

Ægrotorũ natura obſervanda.

℞. *Tartar. vitriolat.* ℈ij.
pul. gialap. ℈j.
rhabarb. ℈ß.
eſſent. ſcammon. gr. v.

Pulvis laxativus.

ol. a-

ol. aniſi
macis, an. gut. j.

Miſc. f. *Pulvis*; quo aſſumpto, facilè, & aliquoties, purgata fuit. Poſtquam unâ quieviſſet die, incepit omni manè hauſtulum vini laxativi, quod

Modulus.

℞. *Rad. fœnicul.*
aſparag.
enul. campan. an. ℥iß.
curcum.
doronic. an. ℥ij.
herb. agrimon.
ſcolopendr. an. Mj.
marrubii
chamædryos, an. Mß.
abſynth. Pontic.
ſummitat. centaur. min. an. pij.
flor. borrag.
geniſtæ, an. pij.
ſem. urtic. ʒi.
cartham. ℈iiij.
aniſ.
fœnicul. an. ℈ij.
bacc. juniper. contuſ. ℥ß.
fol. ſenn. elect. ℥x.
gialapp.
agaric. trochiſ. an. ℥iiß.
rad. bryon.
hermodactyl. an. ℥i.
rhapontic. ver. ℈iiij.
cinnam. acutiſſ. ℈ij.
fl. anthos,
macis, an. ℈j.

Exin-

Ex inciſis incidendis, & contuſis contundendis, fiant ſpecies pro Nodulo, tribus vini veteris ſextatiis imponendo: de quo omni manè hauſtulum faciebat, ſuccedentibus quotidiè tribus vel quatuor alvi dejectionibus. Hoc vino epoto, repetitus fuit pulviſculus laxativus, qui ubi laxationem ad votum promovit, à leucophlegmatia liberata fuit Illuſtriſſima Comitiſſa. Virium porrò refectioni, hepatiſque corroborationi, plurimùm profuit ſequens Electuarium:

℞. *Conſerv. flor. tunic.* Electuariũ.
anthos, an. ℥i.
cortic. citr. condit.
rad. enul. condit. an. ʒiij.
ſpecier. diarrhod. Abbat.
diacalaminth. an. ʒi.
diacinnam. ℈ij.
confect. alkerm. incompl. ʒij.
cum ſ. q. ſyr. de cinnam.

Miſce: fiat Electuarium liquidum.

Quem, eodem tempore, Societatis Jeſu Religioſum graviſſimâ leucophlegmatiâ decumbentem habui, ſequentibus remediis reſtitui:

℞. *Cremor. tartar.* ℈iiß. Pulvis laxativus.
pul. gialap. ℈j.
rhabarbar. el. ℈ß.
eſſent. ſcammon. gr. vij.
ſal gemm. gr. v.
ol. aniſi gut. ij.

Miſce: fiat *Pulvis* pro una doſi. Hic pulviſculus, manè aſſumptus, viro 52. annos nato, octo vel novem ſedes cauſabat. Poſt hujus aſſumptionem, triduo, conſequenter ſumpſit ſequentem *Pulverem digeſtivum* cum juſculo calido:

Pulvis digeſtivus.

℞. *Tartar. vitriolat.* ℈i.
fæcul. bryon. ℈ß.
ſal. abſinth.
card. benedict. an. gr. v.
geniſt.
juniper. an. gr. iij.

Miſce: fiat Pulvis pro una doſi. Hoc per triduum adhibito, repetiit pulverem laxativum: iſtóque per quatuordecim dies continuato utendi modo, plenè convaluit æger.

Virginem quandam Echinopolitanam, Georgii Rebhann filiam, quæ, ex menſium ſuppreſſione, in anaſarcam inciderat, ſequentium pharmacorum uſu ab anaſarca, eodem anno, liberavi, & amiſſæ valetudini ex integro reſtitui:

Potio laxativa.

℞. *Fol. ſenn. elect.* ʒiiß.
agaric. trochiſ. ʒiß.
mechoac.
rhabarb. an. ℈iiß.
ſem. aniſ.
fœnicul. an. ℈ß.
mac. gr. vij.

Coq. ex ſ. q. aq. colatur. ℥iij. *adde*
ſyr. Diaſer. Andernac. ℥i.
elect. diaphanic.
diacarth. an. ʒiß.
aq. cinnam. q. ſ. pro aromatiſat.

Miſc. f. *Potio* pro una doſi. Hujus potiunculæ operatio talis fuit, ut primùm primæ viæ à nimio humorum infartu liberatæ fuerint; pòſt, unâ die interpolatâ, ad pleniorem pituitæ evacuationem, ſequentem *Nodulum* ſumere inchoavit:

Nodulus laxativus.

℞. *Fol. ſenn. elect.* ℥i.
agaric. trochiſ.
mechoac. an. ʒij.

rhabarb.

rhabarb. el. ʒiiß.
herb. artemiſ.
agrimon.
ſcolopendr.
meliſſ. an. Mß.
rad. cappar. ʒi.
cortic. inter. ebul. ℈iß.
caſſ. lign. ʒi.
ſem. aniſ.
fœnicul. an. ℈ij.
cortic. aurant. ℈iß.
flor. anthos. pij.

ex inciſis & contuſis mixtis fiant *Species pro Nodulo*; de quo, tribus vini veteris ſextariis infuſo, faciebat omni manè hauſtum. Cùm verò, hoc ſacculo ritè adhibito, vinoquè exhauſto, adhuc ſucci pituitoſi reliquiæ quædam notarentur, potiunculam ſudoriferam *ex ligno Guajaco, cortice ejusdem, China* præparatam, quater porrigi jubebam, cujus beneficio ſudor egregiè fluxit, & bona virgo priſtino faciei decori, integræquè valetudini reſtituta fuit. Hoc autem procedendi modo plurimas utriusquè ſexûs perſonas, prioribus annis, ſanavi, mutatatis tamen, pro ſubjectorũ curandorum exigentia, mutandis.

Hîc monendum occurrit, quòd purgato, & à nimia excrementitiorum ſuccorum cloaca liberato corpore, diaphoretica in anaſarcâ magnum habeant locum. Cùm enim humores, ad extremam cutim propulſi, per purgantia difficulter tollantur, eò quòd eorum revulſio ad partes internas ſit valdè longinqua & laborioſa; idcirco commodiùs, me judice, vacuari non poſſunt, quàm per ipſos cutis poros; id quod præſtant pharmaca, quæ tum intrò aſſumpta, tum externæ corporis regioni adhibita, potis ſunt ſudorem elicere. Hujusmodi virtutis & energiæ ſunt *rob ſambuci, ebuli, ſales Theriacales, Theriaca*

Diaphoretica in anaſarca proſunt.

riaca ipſa, Mithridatium, decocta lignorum uſitatiſſima, qualia ex *ligno ſancto, cortice ejusdem, ſarſaparilla, China, ſaſſafras* &c. componuntur. Non ignoro, à quibusdam commendari balnea cùm ex *aquis thermalibus ſulphureis, nitroſis &c.* tum ex herbis calefacientibus & diſcutientibus parata: ego tamen Actuarii, contrarium ſuadentis, ſententiæ, *lib. 4. meth. med. cap. 7.* expreſſæ malim ſubſcribere, eò quòd, balneorum uſûs hydropicis, utpote frigidâ corporis intemperie præditis, noxios eſſe, non rarò didicerimus: quoniam balnea ipſa magis refrigerant, quàm calefaciunt.

Balnea non-nnnquam nocent.

An autem aliquis in leucophlegmatia venæ ſectioni locus ſit ſuperſtes, multi multùm dubitant; cùm anaſarca ſit affectus à cauſa frigida oriundus, atque ipſa etiam venæ ſectio tale ſit remedium, quod hepar valdè refrigerat. Nos, relictis iis Canonibus, quæ apud Cratonem, *conſil. 131.* extant (quòd ſcilicet *in hydrope, ob menſium ſuppreſſionem proveniente, ſanguis mitti poſſit: in hydrope ex ſuppreſſis hæmorrhodibus ſanguinem mitti deceat*) dicimus, quòd, ſi ob jam dictas menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſiones, præter crudorum ſuccorum copiam, tanta ſit retenti ſanguinis copia, ut venæ diſtendantur, tumeſcant, & virium robur conſtet; moderata venæ ſectio poſſit celebrari: ſi verò nativa viſcerum facultas langueat, atque peccantis ſanguinis indicia abſint, à venæ ſectione abſtinendum eſſe judicamus; quia timendum eſt, ne ab importuna hujusmodi venæ ſectione ſuperſtites corporis vires collabeſcant, atque ita anaſarcâ correpti in manifeſtum vitæ diſcrimen conjiciantur.

Quando in anaſarca venæ ſectioni locus?

Præſtat igitur, ut, evacuato per purgantia aliqualiter corpore, venæ ſectioni diuretica ſubſtituamus, quia hæc aquoſos & pituitoſos ſuccos ab hepate, & è venoſo genere, per venas emulgentes, ad vias urinarias derivant & expellunt. Eorum ingens eſt ſylva: inter quæ tamen maximè laudantur, &, ob deſi-

Diuretica in anaſarca proſunt.

deſideratum effectum, celebrantur *ſemen aniſi, fæniculi, dauci, apii, petroſelini, allium;* quod, ob ſpeciales ſuas virtutes, à Galeno, *lib. 12. meth. med. Theriaca Ruſticorum* dici ſolet; aſſerit enim: *Allium flatum diſcutit, ac ſitim nullam infert. Quam ob rem ipſe allium Theriacam agreſtium appello: eſtq́ commodiſſimum iis omnibus, qui regionem frigidam incolunt.* Ubi Meſue *ſect. de ægritudinibus hepatis, cap. 13.* monet, *ut in diureticis incipiatur à debilibus & ſimplicibus; & deinde procedatur ad fortiora & compoſita; quæ ſubtilia eſſe oportet, ut facilè penetrent. Ex appropriatis eſt lac Camelarum fœtarum, ſerum ejus, & urina. Nam eſt ei,* pituitæ videlicet, *contraria, propter illud, quod in ipſo eſt, de abſterſione & proprietate ſua, quâ educere ſolet aquam citrinam, propter ſimilitudinem: ſicut endivia in ægritudinibus calidis hepatis.* Et hæc de leucophlegmatia (quam nunquam curatu difficilem, etiamſi plurimos curandos habuerim, invenio) ejúsque cauſis, ſignis, & curatione dixiſſe ſufficiat.

Caput VI.

De Aſcite.

Secunda hydropis ſpecies ab ἀσκοῦ, quod utrem ſignificat, ſuam ideo ſortita denominationem videtur, quòd ægri, hâc affectione correpti, ventrem utri, aquâ repleto, non abſimilem habeant; qui, dum à nimia ſeroſi laticis copia dilatatus, & in tumorem elevatus, percutitur, talem edit ſonum, qualem uter aquâ repletus & percuſſus reddere ſolet. Hic affectus tympanite mitior, anaſarcâ verò crudelior, à nobis diſcribitur: quòd *ſit ventris inferioris, & pedum nonnunquam, ſcrotiq́; tumor præter naturam, à ſalſi ſeroſiq́ laticis multitudine, jam dictarum partium cavitates implente ac diſtendente, productus.* Dicitur: *à ſalſi ſeroſiq́ laticis multitudine productus:* ut aſcites à reliquis hydropis ſpeciebus diſtinguatur. Nam in tympanite

[Margin: Aſcites unde dicta.]

[Margin: Aſcitis deſcriptio.]

nite venter à flatuum copia diſtenditur: in anaſarcâ autem per totum corporis habitum pituitoſi ſucci exundant, illúmque in tumorem extollunt. Dicitur: Inferioris, & *nonnunquam pedum, ſcrotíq; tumor*: quia non ſemper in aſcite adeſt jam dictarum partium intumeſcentia; ſed ea tunc ſolùm ſuccedit, quanda tanta jam aquæ copia in abdominis capacitate redundat, ut ſufficientem in ea locum non habeat: unde per venas & arterias, ad ſcroti burſam, pedúmque ſpatia deſtillat, talem in iis tumorem excitando, ut, præ ſcroti magnitudine, pledúmque tumore ægrotantes ambulare vix poſſint.

De Aſcitis cauſa variæ ſententiæ.

Circa hujus affectionis cauſam Authores in varias abeunt ſententias: dum alii nimiam hepatis caliditatem aſcitis cauſam aſſerunt: alii nimium exorbitantis ſpiritûs impetum accuſant: alii demùm oppreſſi caloris nativi debilitatem, & hinc oriundam jecoris frigiditatem, hujus infirmitatis cauſam ſtatuunt: ut Hippocrates, Galenus, atque reliquus facilè Medicorum cœtus. Diſſentiunt à reliquis duo potiſſimùm, cum ſuis aſſeclis, Cardanus videlicet, & Poterius. Et Cardanum quidem ſatis mirari nequeo, quòd,

Inſtar Vertumni, formas ſe fingat in omnes,

& quemadmodum diſſentit ab aliis, ita à ſe ipſo etiam diverſus, atque utinam non etiam ſibimet contrarius eſſe videatur. Modò enim aſcitis cauſam aſſignat calorem; modò frigus & humorem. Verba ipſiusmet Cardani producamus in medium, ut prudens Lector videat, an ſecum ipſe non pugnet, dum (ut ille quondam) uno ore calidum, frigidumque loquitur. Pro calida aſcitis cauſa faciunt Cardani verba, ab Höfero, *lib. 3. de morbis infimi ventris, cap. 2.* relata, ubi *admonet Medicos, ut hydropis duas ſpecies, Aſcitem & Tympanitem, curent non per calida, ſed per humida & frigida: & demonſtrat, utramque ſpeciem provenire à cauſa calida: docetquè, ſe ita plures feliciter curaſſe, frigidis ſcilicet aperientibus, paucis, & diu coctis cibis*

Cardanus jam calidam jam frigidã, Aſcitis cauſam dicit.

tibis exhibitis. Frigidam verò aſcitis cauſam idem Cardanus haud obſcurè ſtatuit, dum, *in commentario Hippocratis, aphoriſ. 8. ſect. 6.* diſertè ait: *falſis quidam perſuaſionibus decepti, putant, aſcitis cauſam eſſe calidam. Morbus eſt frigidus & humidus: quia collectus humor ſeroſus quantitate vincit etiam putredinem.* En! ut aſcitis cauſas planè contrarias diſſentiens ſibi ſtatuat Cardanus.

At eſto, conſtans ſibi Cardanus, calidam ſolam hepatis intemperiem aſcitis cauſam aſſignet; an nudam ejus aſſertionem tanti ponderis eſſe cenſebimus, ut eapropter rationem, fundatámque Hippocratis, Galeni, cæterorúmque Medicorum authoritatem, quin & ipſam optimam rerum magiſtram, experientiam, deſerere velimus? ego ſanè, ut multum Cardano tribuam, plus tamen veritati & rationi, judico, eſſe tribuendum; quâ convictus, induci nequeo, ut credam, calorem aſcitis cauſam eſſe ſtatuendam. Nam ſi aliquando à calida cauſa aſcites oriretur, tunc vel maximè oriri credendum eſt, cùm vel aliqua inflammatio, aut calor febrilis vehemens adeſt: ſed neque in hoc rerum ſtatu, ſuum aſcites ortum à calida cauſa immediatè trahit. Quare nunquam omnino aſcitis cauſa calida eſt ſtatuenda. Fateor ego quidem, poſt inflammationem, & febriles æſtûs, frequenter aſcitem ſequi; nego tamen, eam ab inflammatione & febrilibus ardoribus immediatè oriri. Dico *immediatè*: nam mediatam, remotam, & cauſam per accidens, aſcitis eſſe poſſe immodicos æſtûs & ardores, non inficior. Eo ipſo enim, quòd febrilis corporis æſtus ipſam hepatis ſubſtantiam depaſcatur, & radicalem ejus humorem igneâ, quâ pollet, vehementiâ torrefaciat & exſiccet; nativam ſanguificandi vim in hepate tantoperè labefactat, ut munere ſuo ritè fungi non valeat, ſed, ſanguinis loco, meros crudos humores gignat, è quibus, velut primævâ ſcaturigine, aſcites ſuam ducit originem. Appoſitè in rem meam Riolanus, *cap. 4. Phyſiologia,* ait:

Calor non eſt Aſcitis cauſa.

Calor Aſcitis cauſa mediata eſſe poteſt.

ait: *ſemper jacturam humidi primigenii caloris & ſpiritus privatio conſequitur; quia ſublato fundamento, quæ ſupraſtruuntur, ruere neceſſe eſt.* Ex quo ſic arguo: Quòd ſi jam hepar, ejúsque propria ſanguificandi facultas, infrigidatione immodicâ labefactatum fuerit, quid, pro ſanguine, aliud, quàm aſciticorum humorum cloacam poſſit progignere? Proinde (ut refert Jacchinus, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 52.*) *aſcitis acutas febres tantùm ſequitur; non aliâ ratione, quàm quòd extinguatur calor concoquens. Nec obſtat* (ita loquitur Donatus ab Altomari, *de medendis corporis humani morbis, tractatu de hydrope*) *ea aqua inter cutem, quæ acutos morbos ſequitur. Ab iis quoque jecur tam graviter afficitur, calidâ & ſæpenumero ſiccâ quoque intemperie, ut cibum in ſanguinem transmutare nequeat: ut liquet, lib. 6. de loc. affect. ita, ut valeamus absque controverſia aſſerere, hanc etiam aquam intercutem ex frigida jecinoris intemperatura ortum habere, privativè ſaltem, admodum imbecillo ejus calore reddito.* Huic noſtræ doctrinæ, Jacchini & Altomari doctrinâ roboratæ, conſentit illud Valeſii dogma, quod, in *commentariis ſuis, in lib. 5. de morb. vulgar.* habet: videlicet, *hydrops poſt morbos acutos fit, aut hepate debilitato, ab ipſa intemperie, aut morbi materia irruente in hypochondria, & abſcedente in regionem ventris.*

Cur Aſcitis ſequatur febres acutas.

Sed neque Poterio ejúsque opinioni, aſſentiri poſſum, qui, *obſervat. & curat. centur. 1. cap. 2.* Hippocratis ſententiâ, *lib. de flatibus*, ſuperſtite innititur, putans, à nimio exorbitantium ſpirituum impetu aſcitem produci, dum, argumento ab effectu, prout opinatur, deſumpto, id confirmare laborat, inquiens: *dent, quantumcunque velint, calida jecori, nihil efficient, quia ſitim augent, frangunt vires, & morbo alimentum & incrementum præbent. At ſpiritibus impetum frangant, obſeratos meatûs adaperiant, intus congregata aqua ſponte effluent, & ſanabitur hydrops.*

Poterius ſpiritûs impetum Aſcitis cauſam dicit.

Verùm

Verùm an Poterius ſententiam, ex Hippocratis *libro de flatibus* allegatam, eo modo acceperit, quo ego illam accipiendam eſſe cenſeo, id ignoro. Hoc quidem ſcio, quòd Hippocrates, *libro jam citato*, aſſerat, *morbos vix unquam aliunde, quàm ab aëre oriri poſſe; cum is aut copioſior, aut parcior, aut etiam plenior, aut morbidis inquinamentis infectus, in corpus ſubjerit*. Illud etiam, *ex eodem libro*, apprimè mihi notum eſt, quòd Hippocrates doceat: ſpiritûs, id eſt, flatûs, eam habere naturam, ut, in arctioribus corporis ſpatiis occluſi, diverſos faciant impetûs; jam hanc, jam verò illam partem perrumpant; nunc venarum anaſtomoſes & pleuritides, nunc tuſſes, febres, nunc alias, pro locorum & peccantium ſuccorum diverſitate variantes infirmitates pariant. Quin & hoc legi: *Quod ſi flatûs, per carnes perrumpentes, corporis meatûs rarefecerint, eos humiditas conſequitur, cui viam aër antea ſtruxit. Corpore autem madore perfuſo, carnes colliqueſcunt, tumores ad tibias deſcendunt, & morbus hic hydrops dicitur.* Id tamen è toto ipſius libro, ſæpius tamen revoluto, extorquere non potui, quòd hydrops, maximè verò aſcites, ab exorbitante ſpirituum fervore ſuam trahat originem. Nam ſpiritûs, ſeu flatûs, in peſſima hac affectione, non raro graſſantes, ventremquè diſtendentes, ex craſſa, cruda & pituitoſa materia generantur. Quando enim (referente ſic Jacchino, *in lib. 9. Rhaſ. cap. 45.*) *craſſi & glutinoſi humores calefiunt, gignuntur flatûs, qui*, affirmante Hippocrate, *lib. de flatibus, inferiore ventre obturato, per univerſum corpus penetrant, &, ad partes ſanguine repletas delati, eas frigefaciunt*, non aliam, dubio procul, ob cauſam, quàm quòd eam præ ſe ferant naturam, quam ſuæ generationis materia habuit. Quando autem hi flatûs ſubtilia & poroſa carnium venarúmque ſpatia violenter perrumpunt, dolorem excitant, vi cujus doloris copioſiores ſanguinis aquoſitates ex diſtantioribus partibus attrahuntur; quæ, ad meſenterium, tanquam hujus

Flatûs diverſos faciunt morbos

Flatuum origo.

Aſcitis incurabilis cur fiat.

illuviei, receptaculum, defluentes, ſtagnantem ibidem mephitim augent, & corpus adeò refrigerare pergunt, ut, ob vivificantium ſpirituum defectum, omnis pinguedo reſolvatur, caro corrumpatur, humoribus in ſe computreſcentibus, peregrinum calorem contrahentibus, atque aſcitem, ſi diutiùs duret, incurabilem efficientibus.

Quòd autem Poterius dicit, ſe frigidorum, humidorum & aperientium adhibitione multos aſciticos curaſſe, id paradoxum nemini videri debet; eò quòd, hoc faciendo, ne quidem ad latum unguem à Galenica medendi methodo (quàm aliàs, non absque gravi nominis ſui labe, aſpernatur) receſſerit. Nam univerſa Medicorum ſchola non tantùm hunc procedendi modum obſervat, ut nimirum aquoſitatum, in abdominis receſſibus hoſpitantium, acrimoniæ, calori, & putrefactioni frigefacientibus, humectantibus, ſed etiam aperientibus, ex arte præſcriptis obviam procedant. Nec novi quidpiam ſuggeſſit Poterius, quod latuiſſet Hippocratem & Galenum, dum dixit: *ſpiritibus impetum frangant; & obſeratos meatûs adaperiant*: quoniam uterque, &, cum iis, univerſa Schola Medica, humores in aſcite moderatè alterandos, obſtructiones reſerandas, peccantes ſuccos evacuandos, & flatûs diſcutiendos eſſe docuit. An autem hæc ſolo frigidorum uſu perfici potuerint, valdè dubito: quia Galenus, *lib. 5. de ſimpl. med. facult. cap. 13.* & Jonſtonus, *lib. 3. cap. 7.* dicunt, quòd *aperientia ſint tenuia, naturæ acris & mordacis.* Quæ à Sennerto, *lib. 5. part. 1. ſect. 1. cap. 6. pag. 933. Inſtitut.* confirmantur, dicente: *aperientia tenuiſſimâ ſubſtantiâ prædita eſſe debent. Talia ſunt omnia, quæ olfactui, aut guſtui, vel utrique, mordicantia & calida apparent.* Cùm,ècontra, frigida condenſent & adſtringant, atque proinde obſtructiones promoveant. Eodem modo, ad refrenandum exorbitantis flatûs impetum, *carminativa* ſunt propinanda, *quæ* (ut teſtatur Sennertus, *lib. jam paulò ante citato, cap. 15. pag.*

Aperientia ſunt calida.

Frigida obſtruunt.

Carminativa ſunt calida.

pag. 964.) ſunt calida & ſicca, vimquè flatûs diſcutiendi & evacuandi poſſident: ſine quorum propinatione Poterius nihil efficere potuit: dicat, quidquid voluerit: niſi fateatur, ſe & ipſi Hippocratis methodo velle contrariare, qui, *lib. 5. de morb. vulgar.* docet, quod *aquâ intercutem laboranti utile ſit corpus laboribus exercere, ſudores movere, pane calido, oleo intincto, & pauco potu uti, caput tepidâ lavare, vinum quoque album tenue dare ſit auxilio*: quæ omnia calefaciunt; & tamen adhibere jubet. Novit nimirum divinus Senex, oppreſſum jacere totius corporis calorem, cui blandis calefacientium medicamentorum fomentis ſuccurrendum eſt,

Propterea cavillantis quidem, ſed non ſat aptè docentis Poterii opinionem libenter deſero, & Hippocratis, Galeni, reliquorúmque doctiſſimorum Virorum doctrinæ tantò libentiùs adhæreo, quantò clariùs probant, hepatis refrigerationem eſſe efficientem aſcitis cauſam. Ab illo enim malè ſanguificante ingens iſta aſciticorum cloaca, in ventre ſtagnans, paulatim redundat. Hæc autem frigida hepatis intemperies, à diverſis rerum occurrentiis, tanquam cauſis antecedentibus & procatarcticis, mirum in modum adjuvatur; ut aëre frigidiore & humidiore, alimentis frigidiorem ſuccum generantibus; quales ſunt *cucumeres, melones, pepones, lactucæ, &c.* à mulra aquæ frigidæ potione, maximè jejuno ſtomacho, aut poſt vehementem, ex magnis laboribus, corporis æſtum factæ mirificè aſcitis generationem promovent. Eodem modo otium & quies, modum excedentes, intempeſtiva corporis exercitia, & potiſſimum à ſumpto cibo inſtituta; longior profundioris ſomni productio; ſolitarum vacuationum ſuppreſſiones, aut largiores ſuccorum profuſiones; animi mœrores, triſtitia & metus, atque aliæ hujusmodi res plures, ad adſcitis generationem faciunt; quæ jecur quovis modo præter naturam afficere tandémque refrigerare poſſunt: quales ſunt

Aſcitis cauſa eſt hepatis refrigeratio.

Aſcitis cauſæ antecedentes.

ſunt ſtomachi intemperies, frigidæ lienis, inteſtinorum, atque aliarum partium affectiones, hypochondriorum obſtructiones, ſcirrhoſi internorum viſcerum tumores, inflammationes; ſicuti & mala eorundem viſcerum conformatio, ut, ſi lien, aut hepar, magnitudinem debitam in prima ſua delineatione non fuerit conſecutum. Denique, ut rem paucis eloquar, febres acutæ, morbi in longius tempus producti, totius corporis cacochymia aut plethora, apta ſunt aſcitem generare; quia nativum hepatis calorem conſumunt, opprimunt, devaſtant, & extinguunt, atque ad laudabilis ſanguinis generationem inhabile reddunt.

Nunc ſigna aſcitem indicantia inveſtigemus: quorum licet ea ſit conditio, ut pars ab oculis videatur; pars verò ab ipſis etiam auribus audiatur: quia tamen aliqua inveniuntur, quæ omnibus hydropis ſpeciebus ſunt communia, ut frigida ventris intumeſcentia, mollis & laxus crurum tumor, vitiatus totius corporis color, ſingularis ad exercitia pigrities ac impotentia, atque ſpecialis reſpirandi difficultas, præter alia hujus ſortis ſymptomata: placuit hîc loci ad magis propria aſcitis diagnoſtica accedere. Sciendum proinde eſt, quod in aſcite, ob aquoſi laticis copiam, talis ſit tumor, ut non ſolùm ſe viſui, ſed etiam auditui offerat: quod tunc quàm maximè accidit, quando hac affectione laborantes ſe ex latere in latus movent; ubi notabiles aquæ fluctuationes audiuntur. Hoc idem evenire ſolet, quùm venter aquâ repletus percutitur, aut fortiùs comprimitur: tunc enim fluctuoſus quidam ventris motus percipitur, qualis utris, aquâ impleti & completi & compreſſi eſſe ſolet. Superiores corporis partes, ob læſam hepatis ſanguificationem, & hinc reſultantem requiſitæ alimoniæ denegationem, exareſcunt, & quaſi marcore conficiuntur. Magno etiam aſcitici eſculentorum faſtidio laborant; quia viſcera concoctioni deſtinata à ſeroſi & aquoſi humo-

Signa Aſcitis diagnoſtica.

Cur Aſcitici parum comedant.

humoris exundantiâ occupantur; hinc nec cibum appetunt, nec benè digerunt. Illud verò præ omnibus admirandum foret, quòd miſeri hi, planéque infelices ex aſcite ægrotantes, velut Tantali, mediis natantes in undis implacabili bibendi deſiderio affliguntur, juxta illos Horatii verſûs, *lib. 2. Ode 2.*

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops:
Nec ſitim tollit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore langvor:

niſi plurimæ ſitis hujus ardentiſſimæ extarent cauſæ. Nam licet corpus, & ad ventrem ſpectantes partes, tantâ humoris copiâ ſint impletæ, ut hâc ægritudine correpti minùs ſitire deberent; quia tamen ſeroſus ille & aquoſus aſciticorum latex ſalſus, calidus & nitroſus eſt, atque longiore morâ magis quotidiè incaleſcit, ſalſior & vitioſior evadit: contingit, ut major ſitis inducatur. Dum enim calidi, ſalſi, & aquoſi vapores ex putrida abdominis cloaca continuò elevantur in altum, orificium ventriculi irritant, oeſophagum feriunt, totámque guſam exſiccantes inſatiabilem hunc potandi appetitum excitant. Continuum, inſuper, hunc bibendi ſtimulum mirum in modum auget nativi, partésque ſvaviſſimè irrigantis humoris defectus. Quùm enim aſcitici ſint quaſi exangues, & tabe emaciati; evenit, ut *ſitis*, dicente Galeno, *lib. 1. de ſimpl. med. facult. cap. 30. partim humoris nativi inopiâ, partim caloris copiâ, proveniat*, adeò, ut in iis, qui aſcite laborant, non ſolùm vehementior bibendi aviditas, à renum præter naturam exceſſu, ſed etiam ſecundùm naturam ſe habentium defectu excitetur: ſiquidem cor, caloris nativi fons & officina, à nimia vaporum, ex meſenterio aſcendentium, copiâ tam vehementer angariatur, ut ſatis refrigerari non poſſit. Unde natura, conſervationi ſuæ valdè intenta, omni

Sitis cauſa.

modo aëris, cor refrigerantis, attractioni ſtudet, ut aſcendentis corque impetentis fuliginis acrimonia & caliditas infringatur & attemperetur. Verùm cùm diaphragma non ſolùm ab exhalationibus, ex immundâ aſciticorum palude evaporantibus, graviùs offendatur, ſed & ab ipſa ſtagnantis ſucci multitudine ſæpius impediatur, quò minùs, ſe ad neceſſitatem dilatando, cordis ventilationi ſufficiat; difficilis reſpiratio oritur.

Difficilis reſpirationis cauſa.

Urinæ paucitas.

Præter hanc aſcitem indicantium ſignorum ſeriem, adeſt difficile urinæ ſtillicidium, & ejus paucitas; quæ tum propter obſtructos & compreſſos, ab incumbente, ſtagnantium, in meſenterio, ſuccorum mole urinæ meatûs oritur: tum quod, ob vitiatum hepatis calorem, exigua ſeroſi laticis portio ad renes derivatur, & per urinam excernitur. Eodem modo pulſus in aſcite eſt frequens, imbecillis & parvus, ob languentes, multúmque attritas totius corporis vires. De quibus plura deſiderantem remittimus ad Hippocratis *libr. 4. finem de morbis:* ubi plurimis de hâc materia agitur.

Prognoſtica.

Enarratis ſufficienter, ut confido, ſignis aſcitem demonſtrantibus; ad prognoſticorum ſeriem deſcendimus: ut, ſi ſanitatis fundamentum dehiſcere notaverimus, opportunis remediorum antidotis ſuccurramus; modò reddendæ adhuc ſalutis ſpes quædam affulgeat. Sin verò accidat, ut morbum, certas ob cauſas, inſanabilem deprehendamus, præſtat, ut, prædicto fatalis morbi eventu, ac morte, ea aggrediamur remedia, non, quæ morbum tollant, ſed accidentium immanitatem leniant & demulceant, ut minori cum dolore fatis concedat æger. Tantò ergo minus aſcite ægrotantibus convaleſcentiæ promittendum eſt, quantò illi longiùs à ſtatu ſibi naturaliter competente receſſerunt, atque infirmitas, attrito virium robore, temporis ſucceſſu evaſerit pertinacior: quia, innuente Aëtio, *ſermone 10. cap. 20. omnes inveterati hydropes corrum-*

Quid apud deſperatos faciendum ſit.

rumpunt habitum. Propterea Hippocrates, *aphoriſ. 8. ſect. 6.* docet, quòd *hydropicis facta ulcera non facilè ſanentur;* maximè *ſi tuſſis ſupervenerit*, volente eodem, *aphoriſ. 35. ſect. 6.* In tali enim morbi conſtitutione res deſperata eſſe cenſetur, quòd aquoſi aſciticorum humores eò usque accreverint, ut aſperarum arteriarum cavitates jam inhabitent. Ad hæc retenta diutiùs aſciticorum ſeroſitas de die in diem copiâ augetur, atque eò perverſitatis & acrimoniæ progreditur, ut interiora corporis viſcera corrodat; quibus corroſis & exeſis, neceſſum eſt, hydropicorum aquam jam in hanc, jam in illam partem defluere; nunc dyſenterias, & ſpontanea alvi profluvia concitando (quibus, ex mente Avicennæ, ſupervenientibus, trium dierum ſpatio mors adfutura ſignificatur) nunc in aliam, ut omentum, influendo, mortem accelerant. Proinde Hippocrates, experientiâ, dubio procul, frequentiori edoctus, *aphoriſ. 55. ſect. 7.* optimè dixit: *quibus hepar, aquâ plenum, in omentum eruperit, iis venter aquâ repletur, & moriuntur.*

Aquæ degeneratæ effectus.

Nec in hacce malorum claſſe hydropicorum pericula ſubſiſtunt. Nam ſi ab inveterato lienis, aut hepatis ſcirrho ſuam aſcites nativitatem habeat, aut hectica eandem confirmata comitetur, vel ex nativa ægrotantis propenſione producta fuerit; curationem non admittit; teſte Hippocrate, *lib. 2. prognoſt.* ubi ita loquitur: *de his, qui aquâ inter cutem & tabe laborant, & podagricis & morbo ſacro dicto correptis, hæc dicenda exiſtimo: qui morbos iſtos connatos habet, eum ab his non facilè vindicari poſſe, compertum eſt.* Et *lib. Coacar. prænot. text. 452.* ait: *aqua inter cutem, quæ ex acuto morbo cepit, pernicioſa & lethalis.* Eodem modo *aqua intercutem laboranti cum febre, urinâ paucâ & conturbata, perniciem denotat;* ut ait *text. 456.* Adeò, ut omnibus manifeſtum eſſe putem, quòd, quò ſymptomata in aſcite graviora occurrerint (ſive læſæ actionis naturalis, ſive animalis, vel vitalis fuerint) eò majus ſalutis diſcrimen comminentur.

Quando aſcites incurabilis.

Hacte-

Hactenus illam prognoſticorum ſeriem adduximus, quæ nobis difficilem, quin & impoſſibilem, aſcitis curationem monſtrant; nunc adhuc reſtat, ut ea è ſuis hauriamus fontibus, quæ poſſibilem ejus curationem, & ſalutarem ejusdem eventum, nos docent. Talia autem *ex lib. 2. prognoſt.* Hippocratis deſumemus, ubi aſſerit: *Eum, qui ab hydrope correptus eſt, & ſuperſtes eſſe volet, bonis viſceribus præditum eſſe oportet, ita, ut natura ſe exerat, ſimulquè facilè concoquat, & bene ſpiret, ſitquè ſinè dolore, & totum corpus æqualiter tepidum habeat, & non circa extremas partes colliquatum. Meliùs eſt autem, ut humores potiùs habeat in extremis partibus. Optimum verò eſt, neutrum horum adeſſe. Nam molles & graciles eſſe convenit extremas partes, ventrem contactu mollem. At neque tuſſim, neque ſitim adeſſe convenit, neque linguam, cùm aliàs, tum ne à ſomno quidem, quod admodum fieri aſſolet inareſcere. Cibos autem ſvaviter aſſumere, ac, ubi quis abundè comederit, nihil affligi. Ventrem quoque medicamentis quidem celeriter moveri, aliàs verò mollia & figurata excernere. Urinam in tranſitu, pro inſtituta victûs ratione & vinorum mutatione, mutationem ſentire. Defatigationem facilè ſuſtinere, nec laſſitudinem ſentire.*

Aſcitis minùs periculoſa.

Denique bona recuperandæ valetudinis ſpes eſt, ſi vires conſtent, urina ritè fluat, alvus adamuſſim reſpondeat, homines, hac affectione correpti, ſint juvenes; fortia enim juventutis corpora faciliorem admittunt curatelam, quàm ſenio fracta: leviorem quoque recipiunt curationem pauperes, quàm opulentioris conditionis homines; eò, quòd illi famem, ſitim, atque alia quàm plurima, in hujus morbi curatione occurrentia incommoda faciliùs perferant quàm lautioris conditionis perſonæ; quæ accuratam victûs diætam reſpuunt, putantes Medicos ſuis cupiditatibus debere velificari, atque ea tantùm exhibere, quæ guſtui placent; non verò morbi curatelæ ſerviunt: quorum tamen votis Medici annue-

Qui faciliùs curentur.

annuere nequeunt, ob gravem Sancti Auguſtini cenſuram, quâ dicit: crudelis eſt Medicus, qui exaudit hominem, & parcit vulneri & putredini. Et hæc de prognoſticis dicta ſunto.

Et quamvis ſint Medici, qui hydropem morbum aſpectu horribilem, toleratuquè difficilem dixerunt, eò quòd paucos, & non, niſi merâ felicitate, atque Deorum potiùs, quàm artis auxilio ab eo liberatos arbitrentur: Nos tamen, qui plurimos, hâc ægritudine irretitos, vitæ ac valetudini, etiamnum duranti, feliciſſimè reſtituimus, ad ejusdem progredimur curam; *quæ*, ut placet Galeno, *lib. 2. de art. curand. ad Glauconem, cap. 11. ad has tres reducitur intentiones: ut durum ſanemus tumorem, quo viſcus affligitur: & apponamus ea, quæ humiditatem diſſolvant: & propinemus medicamenta, quæ moveant urinas.*

Verùm nos, omnem Galeni ſententiæ reverentiam deferentes, ſtatuimus, quòd ad curationem ritè inſtituendam duæ potiſſimum indicationes obſervari debeant; ut nimirum peccantis materiæ copia expurgetur, & amiſſum hepati, aliisque viſceribus, præter naturam affectis, robur reſtituatur. Cùm igitur diæta in hoc morbo tanti ſit momenti, ut, quicunque ſunt intemperantes, fruſtrà remedia, licet optima, ſibi proficua ſoleant experiri: & non minùs verè, quàm aptè Galenus, *lib. 1. de aliment. facult.* aſſerat, tantum in alimenti ſelectione eſſe poſitum, ut *nec ſecunda valetudo ſervari, nec adverſa abſque eâ ritè curari poſſit*: meritò à ſalubri & exacta victûs ratione curationem auſpicamur, ſvadentes, ut in aſcite *aër* eligatur moderatè calidus & ſiccus, ſerenus, non ventoſus aut craſſus. Experientiâ enim compertum habemus, quòd hydropi nihil magis noceat, quàm aër craſſus & frigidus.

Aſcitis curatio duo requirit.

Diætæ præſtantia.

Aër.

Quoad *cibum*, eum oportet eſſe boni ſucci, facilis digeſtionis, & paucorum excrementorum, ad ſiccitatem vergentem, urinam provocantem; cujusmodi ſunt aves montanæ:

Aſciticorũ. Cibus.

Mmmm ut

ut merulæ, turdi, columbarum pulli, perdices, parvæque iſtæ aviculæ, quæ dumeta incolunt: capones item, & pulli, quorum carnes aſſæ elixis ſunt longè præferendæ. *Panis* ille prodeſt, qui cum *ſemine aniſi, fœniculi, coriandri* paratur. *Juſcula*, ſi quæ offeruntur, cum *radicibus apii, fœniculi, graminis, petroſelini, ciceribus rubris* ſint cocta, ut urina provocetur. Piſcium, omniumque craſſorum & crudorum leguminum eſus prohibeatur; quia obſtructiones augent, aquæ & flatûs copiam gignunt. Quemadmodum verò ciborum multitudo hanc affectionem auget; ita inedia eandem minuit; quia exuberantem ſuccorum copiam exhaurit & exſiccat.

Inediæ effectus.

Quantum ad hujus morbi ſublationem faciat tolerata ſitis, id plurimæ teſtantur hiſtoriæ; ex quibus habemus, quòd aliqui per ſolius potûs abſtinentiam fuerint ſanati. Hûc facit, quod ſcribit Plinius, *lib. 7. cap. 8.* de Julio, Equite Romano, qui, interdicto ſibi, per totum vitæ decurſum, potu, curatus fuiſſe dicitur ab hydrope. Propterea aut nullum, aut exiguum *vini tenuis, albi, veteris, & abſinthio* conditi, potum eſſe jubemus, aquam præſertim frigidam cane pejùs & angue fugiendo. Quòd ſi tamen, ab ea prorſùs abſtinere, eſſet impoſſibile, *cinnamomo, aniſo, fœniculo, liquiritiâ*, aliisque rebus lotium cientibus decoquatur.

Sitim ferre prodeſt.

Aſciticorum potus.

Eodem modo plus vigiliis, quàm ſomno indulgendum eſt: eò, quòd vigiliæ corpus potenter exſiccent; ſomnus verò immoderatus humectet. Motus aſciticis prodeſt, ſi modum ſervaverit, quia languentem partium calorem excitat. Excretiones alvi & urinæ quotidie reſpondeant: quòd ſi naturæ ductu non proceſſerint, arte adjuventur. Prout ira & triſtitia vehementer nocent, quòd digeſtionem impediant; ſic moderatæ curæ & iracundia proſunt; quia debilem viſcerum virtutem reſuſcitant.

Somnus & vigiliæ.

Præ-

Præmiſſæ competentis victûs ordinationi, pharmaca, redundantium ſuccorum copiam auferentia, & obſtructiones reſerantia, ſubjungimus: quæ duplicis ſunt generis: alia enim per ſenſibilem, eamque manifeſtam excretionem id præſtant; ut alvum, urinam, paracenteſin, venæ ſectionem, & ſcarificationem: alia verò per inſenſibilem; ut ſudoris provocationem, & peccantium ſuccorum diſcuſſionem. Medicamẽta ſenſibiliter & inſenſibiliter operantur.

Quoad venæ ſectionem, nos Victorii Faventini aſſentimur doctrinæ, qui, *cap. 25. de vena ſectione*, ſequentem in modum ſcribit: *ad hydropem compertum eſt experientiâ, phlebotomiam, & quemlibet alium ſanguinem evacuandi modum, ægrum interficere. Quapropter conſulo, ne in aſcite, aut in alia hydropis ſpecie, ſis audax ſuper phlebotomiam.* Eundem ferè in modum loquitur Galenus, *lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, dum ait: *ſi crudorum humorum copia accumulata fuerit, vena ſecanda non eſt: quùm ipſis virium robur deſit.* At ubi major crudorum ſuccorum copia, quàm in aſcite? Ergo à venæ inciſione in aſciticis abſtinendum: quia non tantùm ſuperſtitem viſcerum calorem reſolvit, ſpirtûs diſſipat; ſed & mortem ipſam hâc ægritudine laborantibus adfert. Venæ ſectio nocet Aſciticis.

Præſtat igitur ad illud evacuantium pharmacorum genus accedere, à quibus plus ſalutis ſperandum eſt, quàm à venæ ſectione. Talia autem purgantia, quæ in hac hydropis ſpecie plurimum adjumenti adferunt, ſunt hydragoga, id eſt, aquas è corporis humani latebris educentia: hoc ſaltem in eorum exhibitione obſervando, ne in primo ſtatim curationis limite ægrotos fortibus tentemus remediis. Primæ enim viæ ſvaviori pharmacorum genere ſunt priùs everrendæ, & à nimio peccantis ſucci infartu liberandæ, quàm ad fortiorum uſum procedamus; ut iis, absque ulla virium ſtrage expurgatis, potentiorum medicamentorum virtus eò faciliùs ad ſtagnantem aſcitis cloacam pertingere, obſtructiones tollere, & Aſcitici lenibus ſunt purgandi.

& redundantem in meſenterii capacitate aquam attrahere, exhaurire ac expurgare poſſit.

Medicamẽta hydragoga. Inter celebratiora, hiſce intentionibus ſervientia, medicamenta ſunt, è ſimplicium familia, *aſarum, anagallis agaricum, radix bryoniæ, ſem. carthami, elaterium, gialappa, rhabarbarum, gummi gutta, ſuccus radicis ebuli, qui* (ut tradit Crato, *conſil. 131.*) *ad ʒj. cum ſyrupo aliquo aperiente exhibitus, absque omni moleſtia purgat.* Simplicium hujusmodi remediorum vaſtiſſima, apud Practicos, proſtat ſylva. Ex compoſitorum genere, præ reliquis, commendantur *cremor tartari, cryſtalli tartari, tartarus vitriolatus, Mercurius vitæ, dulcis recenter præparatus: ſyrupus diaſereos, domeſticus, hydragogus Mynſichti, roſarum ſolutivus*: inter electuaria decantantur, *diaphanicon, diaturbit, cum rhabarbaro, hieræ cum agarico.* Pilulæ quoque ex *extracto cochiarum, diacarthami, eſulæ, catholicum, Francofurtenſe, extractum pilularum hydropicarum Bontii, pilularum de ammoniaco Quercetani.* Præter hæc, alia quàm plurima dantur, quæ à curantis Medici arbitrio in talem formam redigi poſſunt, qualis ab ægrotantis natura, ſumendique modo, atque morbi exigentia, poſtulatur.

Höferus *lib. 3. cap. 2. de ventris affectibus*, ex Horſtii *Oper. Tom. 2. pag. 439.* ſequentem Mixturam vehementèr probat:

Höferi lixivium.

℞. *Herb. abſinth.*
card. bened.
agrimon.
ſoldanell.
geniſt. cum toto, an. Miiij.
rad. ononid.
petroſel.
eryngii
aſparag. an. ʒiij.
ſummitat. juniper. cum toto Mviij.

Com-

Comburantur, & è cineribus fiat Lixivium ad ℔ij. his adde
Syr. dialth. Fernel.
d. 5 radic. an. ℥iij.
ſpir. ſalis ℈iiij.

Miſce: dentur ℥v. aliquot vicibus repetendæ. Sed hic (ut addit) *diligenter juvandus eſt naturæ motus. Vel enim ob lixivii acrimoniam, vel ob ipſius humoris mordacis commotionem, tormina ventris non vulgariæ excitantur: quæ tamen lenientibus clyſteribus, vel extra adhibitis anodinis, mitigari poſſunt.* Et ſic alii præſtantiſſimi Medici alia ſibi ſecreta habent pharmaca, quibus pertinaci hujus affectioni non ſolùm generosè obviam procedunt, ſed eandem etiam gloriosè vincunt, infirmos ſuæ curatelæ commiſſos plurimorum annorum vitæ reſtituendo. Quilibet Medicus ſua ſecreta habet.

Quemadmodum verò omnibus præſtantis doctrinæ & experientiæ viris ſuam morbos curandi methodum (quam unicè veneror) publicam in lucem edere licuit: ita & mihi meum, eventu felici probatum, aſcitem curandi modum proponere liceat, quo plurimas utriusquè ſexûs perſonas etiamnum vitæ ſuperſtites ab hac, curatu cæteroquin valdè difficili, affectione liberavi, atque longioris vitæ uſuræ reddidi. Inter hos, elapſo anno, fuit emeritus quispiam Societatis Jesu Presbiter, vir & ſenio (nam 63. annorum facilè erat) & laboribus fractus; qui in Februario, anno 1678, ob nimiam hepatis refrigerationem, ex caloris nativi defectu oriundam, in aſcitem incidit, & ſequenti remediorum apparatu, præter omnem omnium expectationem, convaluit:

℞. *Decoct. emoll. & carminat.* ℥xij.
mel roſar. ſolut. ℥i. Clyſter.
benedict. laxat. ℥ß.
vitell. ovor. num. ij.
ol. chamomill. ℥i.

Mmmm 3 *ſalis*

ſalis gem. ʒi.

Miſce: fiat Enema, quod una vice, 12. Februarii, injectum fuit. Eidem, 13 Februarii, exhibui *Potiunculam* minorantem hanc:

Potus laxativus.

℞. *Syr. de cichor. cum Rhabarb.* ℥i.
elect. diaphanic.
diacartham. an. ʒiß.
pul. gialapp. ℈ß.
crem. tartari ℈iß.
aq. malvæ ℥i.
physogon. ʒi.

Miſce: fiat Potio, unâ vice manè exhibenda, & hâc novies alvum, absque omni moleſtia, egeſſit, & levius reſpiravit. Sequentem nodulum, plenioris evacuationis causâ, ordinavi, quem 14. ejusdem menſis bibere inchoavit:

Nodulus laxativus.

℞. *Rad. gramin.*
fænicul.
aſparag.
enul. campan.
polypod. querc. an. ʒiß.
doronic.
curcum.
chelidon. major. an. ʒi.
herb. card. benedict.
ſcolopendr. an. Mj.
agrimon.
linar.
chærefol. an. Mß.
cuſcut. Mj.
flor. borragin.
bugloſſ.

ſambuc.

ſambuc. an. pij.
ſem. cartham. contuſ. ʒiß.
aniſi
fœnicul. an. ℈ij.
cort. inter. rad. ebul. ʒß.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥iß.
rhabarb. el. ℈v.
agaric. troch.
gialapp. an. ʒij.
mechoac. ℈iiß.
paſſul. minor. exacinat. ℥ß.
cortic. aurant. ℈iij.
cinnam. opt. ℈j.
mann. granat. el. ℥ii.

Inciſis incidendis, & contus: contundendis, Miſc. f. ſpecies pro *Nodulo*, quæ dentur in ſacculo, ex ſyndone alba parato, ad ſ. q. vini veteris, de quo omni manè ℥v hauſtum fecit, fluente inſigniter alvo & urinâ, quæ fluere jam magna ex parte deſierat. Abſoluto hujus noduli uſu, ad pleniorem adhuc aquoſitatis evacuationem, ſequentem obtuli *Pulviſculum*:

℞. *Cremor. tartar.* ℈iß. — Pulvis laxativus.
pul. gialap.
rhabarb. an. ℈ß.
reſin. turpeth. gr. iij.
ſcammon. cum gut. iij. ol. aniſ. ſubact. gr. ij.

Miſce: detur manè ex juſculo, cum ſemine cumini parato.

Virium refectioni plurimum conduxit electuarium, quod

℞. *Conſer. roſar. rub. vitriolat.* ℥i. — Electuarium confortans.
flor. anthos
ſalviæ, an. ʒv.

rad.

rad. enul. condit.
pimpinell. condit. an. ℥iii.
cortic. citr. condit. ʒii.
ſpec. diamargarit. calid.
dialacc.
diarrhod. Abbat. an. ℈iiß.
diatham.
diacalaminth. an. ʒß.

Cum ſ. q. ſyr. de Cinnamomo: Miſc. fiat *Electuarium liquidum:* quo aliquoties utebatur, per diem, ad caſtaneæ magnitudinem quâvis vice aſſumendo. Interdum quoque unum alterumve cochlear capiebat ſequentis Mixturæ:

Mixtura confortans.

℞. *Aq. fragor.*
ſcabioſ. an. ℥ii.
cinnam. absque vino ℥iß.
lumbric. terreſtr. ℥i.
ſpir. fragor.
ceraſ. nigr.
roſar. an. ʒiß.
Man. Chriſti perlat. ʒiij.
confect. alkerm. ʒiß. Miſce.

Hiſce diligenter uſurpatis, magnaque ſiti perpeſsâ, tumor abdominis, reliquarúmque partium abiit, & vir magnæ ſtaturæ, vaſtiquè corporis integrè convaluit: ità, ut ſuis ad populum concionibus denuò ferventer præeſſe potuerit.

Hoc eodem planè anno, in Junio, ob intempeſtivum frigidæ potum, aſcite correptus quidam fuit ex Illuſtriſſimi Domini Comitis de Paradis, Mecænatis mei gratioſiſſimi, ſubditis, in oppido Zaſchdorff; ubi quoque ruſticorum Judex conſtitutus erat. Hic, quadraginta ſex circiter annorum ætatem habens, tam graviter decumbebat, ut præ nimio ventris,

ventris, ſcroti, ac pedum tumore ambulare non poſſet: quem ſequentium pharmacorum auxilio, quatuor ſeptimanarum ſpatio, curavi:

Pulvis laxativus.

℞. *Tartar. vitriolat.* ʒß.
pul. gialap. gr. xiij.
eſſent. ſcammon. gr. vij.
Mercurii dulc. recent. præparat. gr. iiij.
reſin. gialap. gr. ij.
ol. fænicul.
cort. aurant. an. gut. j. Miſce.

Fiat *Pulvis* pro una doſi, & ſic pro aliis 6. doſibus; quorum alternis diebus unum ex competenti vehiculo aſſumebat, inſignem, quâvis vice, aquoſorum ſuccorum quantitatem, abſque omni virium dejectione, egerendo. Singulis verò diebus, quando à pulveribus abſtinebat, ſequentis *Apozematis* hauſtum manè & veſperi faciebat:

Apozema deoppilativum.

℞. *Rad. enul. campan.*
urtic.
gramin.
cichor.
ireos noſtrat. an. ℥ß.
gentian.
fænicul.
polypod. querc. an. ʒij.
fol. agrimon.
fragar.
capill. Vener.
chamædr. an. M ij.
abſinth.
ſumitat. centaur. min. an. M j.
flor. geniſt.
cichor. ſylveſtr. an. p ij.

cortic. interior. ſambuc. ℨiii.
ſem. aniſ.
fœnicul. an. ℨiß.
bacc. juniper. contuſ. ℨiii.

Coquantur ex ſ. q. aq. & vin. an. partibus æqualibus: colaturæ ℔iiiß. adde

ſyr. de 5 radic.
dialth. an. ℥iii.
tinctur. noſtr. deoppilat. ℨiii.

Miſce: Fiat *Apozema*, de quo quavis vice ℥iiij exhauſit. Hiſce verò ex ordinatione adhibitis, taliter evanuit omnium partium tumor, ut nihil difficultatis aut malitiæ retrò apparuerit. Nihilominus tamen, pro hepatis, reliquorúmque viſcerum corroboratione, mandavi, ut quotidiè aliquoties eo, quod ſequitur, *Electuario* uteretur,

Electuariũ confortans.

℞. *Conſer. roſar. rubr. vitriolat.* ℥i.
Theriac. veter. ℨvi.
radic. acor. ſylveſtr. condit.
pimpinell. condit.
cort. citr. condit. an. ℨiij.
ſpec. dialacc. ℨij.
diarrhod. Abbat. ℨiß.
cinnam. acutiſſ. ℈ij.

Miſce: & cum ſ. q. *ſyr. cortic. aurantior.* fiat l. a. *Electuarium liquidum.* *Quibus* à viro, longioris vitæ vehementer avido, cum induſtria adhibitis, quatuor ſeptimanarum intervallo ita convaluit, ut nullus eum ægrotaſſe crediđiſſet, niſi qui oculatus teſtis ejus calamitates viderat.

Perilluſtrem Dominum, Joannnem Henricum de Lõwenfels, Regiæ in Bohemia Civitatis Teutobrodenſis Cæſareum Judicem, virum 67. ætatis annum agentem, & de patria

tria ſua in tantum benè meritum, ut æternâ ſit digniſſimus laude & memoriâ, iis, quæ ſequuntur, anno 1666, aſcite laborantem curavi:

℞. *Cremor. tartar.* ℈iiß.
pul. gialapp. gr. xv.
eſſent. ſcammon. gr. vij.
reſin. turbet. gr. v.
gialap. gr. ij.
ol. cort. aurant. gut. ij.

Pulvis laxativus.

Miſce, fiat *Pulvis* pro una doſi: quo vir obeſus, magnæquè ſtaturæ homo, absque defatigatione, octies purgatus fuit, atque liberius reſpiravit. Eapropter ferrum, dum candet, cudendum eſſe ratus, ad ſequentium ordinationem tranſii:

℞. *Rad. enul. campan.*
urtic.
ebul.
cichor. an. ℥iij.
ireos noſtrat. ℥vi.
mechoac. ℥iii.
ſcyll. præparat. ℥ß.
aſar. cum toto ℥iii.
herb. marrub.
ſcolopendr.
fragar.
agrimon. an. Mj.
ſoldanell.
gratiol. an. ℥ij.
fol. ſenn. Orient. ſelect. ℥i.
flor. ſambuc.
geniſt.
cent. min. an. pj.

Nodulus laxativus.

cort. inter ſambuc. ℥ij.
ſem. ebul. ℥i.
anis ℈iiß.
Zedoar.
cinnam. el. an. ℈iß.
cortic. aurantior. ℥ij.
Mann. granat. elect. ℥ij.

Ex inciſis incidendis, & contuſis contundendis fiant ſpecies pro *Nodulo*: quæ mixtæ dentur in ſacculo, ex ſyndone alba parato, ad ſufficientem vini veteris quantitatem: de quo quotidie, horis matutinis, tantum ſumpſit, quantum ſibi ſufficere jam noverat. Urinam difficiliùs fluentem, moramquè longiorem in corpore trahentem, ſequenti *Mixturâ* promovimus:

Mixtura urinam promovens,

℞. *Aq. lumbricor. terreſtr.* ℥vi.
flor. ſambuc. ℥iii.
cinnamom. bugloſſ. ℥i.
ſpir. tartar. rectificat. ℥iß.
fragor. ℥iii.
nucl. ceraſor. ℥i.
ſyr. dialth. ℥iß.

Miſce: de qua, per diem, aliquoties cochlear delibabat. Quando autem accidebat, ut difficiles, poſt prandium, urgerent reſpirationes, & æger non, niſi erectus, reſpirare poſſet, unum alterumquè ſequentis *Mixturæ aſthmaticæ* cochlear pitiſſabat:

Mixtura Aſthmatica.

℞. *Aq. aſthmatic.* ℥iß.
Zedoar.
cinnamom. an. ℥vi.
ſpir. gentian. ℥i.
aq. ſcabioſ. ℥iß.

ſyr.

ſyr. violar.
de cortic. aurant. an. ℥v.
extract. enul. ʒß.
croc. ℈j.
ſacch. cand. alb. ℥iii. Miſce.

Poſt aſſumptos verò, in prandio, cibos, & ad ingreſſum lecti, ex ordinatione atque conſilio meo ſequentis Tragææ quatuor cultri mucrones, pro quâvis doſi, ſiccè ſumebat quæ

Tragæa confortans.

℞. *Pulver. viperin. elect. ʒi.*
radic. Zedoar. ℈iß.
ſpec. diambr.
diamoſch. dulc.
contra apoplex. an. ℈i.
diatr. ſantal. ℈ii.
diamargarit. calid. ʒi.
Man. Chriſt. perlat. ʒi.
ſacchar. cand. alb. ʒii.
ol. cinnamom. gut. xii. Miſc. fiat l. a. *Tragæa.*

Interea verò temporis Generoſus Dominus Patiens præſcriptum abſolvit nodulum, cum tanto abdominis ac crurum, reliquarúmque partium tumoris decremento, ut plus, quàm tertia ejusdem pars, deceſſerit. Proinde ad pleniorem aquoſi laticis evacuationem, cùm potiones ac pulveres jam parumper nauſearet, has ei præſcripſi *Pilulas*:

Pilulæ.

℞. *Extract. pilular. hydropic. Bontii*
diacartham. an. ℈iß.
hydragog. Zvvelfer.
ebuli, an. ℈ß.
reſin. turbeth. gr. vii.
gialapp. gr. v.
ol. cinnamom. gut. iij.

Cum ſ. q. *tinctura proprietatis Mynſichti*, Miſc. formentur *Pilulæ num. xxviij*, dentur ex pulvere fæniculi, pro quatuor doſibus: quârum ſecunda, vel tertiâ quâque die unam doſin deglutiit, cum tali ſucceſſu, ut integrè convaluerit. Virium refectioni atque hepatis corrobarationi tali electuario proſpeximus.

Electuarium confortans.

℞. *Conſer. roſar. rubr. vitriolat.* ℥iß.
rad. acor. ſylveſtr. condit.
enul. condit.
cichor. condit. an. ʒvi.
cortic. citri condit. ℥ß.
Theriac. optim.
confect. alkerm. an. ℥ß.
ſpec. diamargarit. calid.
diarrhod. Abbat.
cordial. temperat. an. ʒi.

Cum ſ. q. *ſyr. acred. citr.* Miſc. fiat *Electuarium liquidum*; de quo, ad nucis moſchatæ magnitudinem, aliquoties per diem capiebat. Atque hiſce quinque facilè ſeptimanarum ſpatio continuatis ægrotus hic, annis cæteroquin, laboribus & morbo vehementer fractus, ita ad ſe rediit, ut duobus circiter annis benè valuerit: quibus præteritis, recidivam paſſus, extremis etiam tentatis, curari non potuit; ſed, poſtquàm eum ſummâ diligentiâ, ab Octobri 1667, usque ad 12 Maij 1668 ſervaſſem, ex eodem tandem morbo piiſſimè vitâ defunctus fuit; cujus anima Deo æternum vivat.

Verùm quando Reverendus Pater Norbertus Dvvorſak, Sacri Ordinis Canonicorum Præmonſtratenſium, in Neoreuſchenſi Monaſterio profeſſus, recidivam (nam eum jam aliquot ante annos, à gravi hac affectione liberaveram) patiebatur, cum tanto abdominis, ſcroti ac pedum tumore, ut, teſtante id toto venerabili Conventu, nec ambulare, nec reſpirare facilè

cilè poſſet, adeóque ab omnibus pro incurabili haberetur: eum hac, quæ ſequitur, mihiquè in graviori aſcite uſualis & ordinaria eſſe ſolet, methodo aggreſſus fui, cum tali ſucceſſu, ut bonum Patrem omnibus, qui eum viderant ac noverant, ſtupentibus quaſi è cymba Charontis eripuiſſe viderer. Huic ergo 3. Maij, 1671. (ut à leviori pharmacorum apparatu curam auſpicarer) ad primarum viarum expurgationem tales præſcripſi *Pulviſculos:*

Pulveres laxativi.

℞. *Crem. tartar.* ℈iiß.
pul. gialap. ℈ß.
reſin. turbeth. gr. vi.
ſcammon.
gialap. an. gr. iii.
mercur. dulc. gr. iiii.
ol. aniſ. gut. ii.

Miſce pro una doſi: & ſic pro aliis 5, quorum quivis, unâ ſemper die interpolatâ, aſſumptus, quinque vel ſex dejectiones, cum facili virium tolerantiâ, cauſabat. Hiſce conſumptis, faciliùs quidem reſpirabat, verùm ingens ventris, reliquarúmque eidem ſubjectarum partium tumor necdum minuebatur: unde, ad pleniorem humorum ſubtractionem, 14 Maij, hunc offerebam Pulviſculum:

℞. *Tartar. vitriolat.* ℈i.
pul. gialap. gr. xii.
rhabarbar. gr. xv.
eſſent. ſcammon. gr. vii.
ſal gemm. gr. v.
reſin. gialap. gr. ii.
ol. ſtil macis gut. ii.
fænicul. gut. i. Miſce.

Poſt hujus pulveris, novies, cum bono effectu, aſſumpti uſum venter aliqualiter detumuit, evadente adhuc liberiore reſpiratione;

ratione; atque propterea ad decocti mei aperitivi exhibitionem deſcendi; quod tantæ ſemper efficaciæ deprehendi in aſcite, ut, nullis omnino pharmacis prævalentibus, ejus uſu, & aquas & flatûs (qui in aſciticorum ventre ſunt valdè copioſi) diſcuſſerim, & per alvum ac urinam eduxerim, omnésque, quorum interiora viſcera ſalva erant, amiſſo corporis vigori reſtituerim. Decocti verò deſcriptio hæc eſt

Flatus in Aſciticis copioſi.

Deſcriptio decocti mei ſpecifici.

℞. *Radic. fænicul.*
petroſel.
ireos noſtrat.
graminis
rub. tinct. an. ℥iij.
ononid.
ſambuc.
enul. campan.
aſparag.
cichor.
polypod. an. ℥iij.
herb. agrimon.
capill. Vener.
linar.
ſcolopendr.
naſturt. aquat.
cichor. an. Miß.
abſinth. Pont.
chamædr.
chamæpyth.
cochlear.
pulmonar.
hepat. nobil. an. Mß.
cuſcut. ℥iij.
cort. inter. ebul. ℥iiß.

rad.

rad. capparum,
fraxin.
tamariſc. an. ʒiß.
flor. quatuor cordial.
geniſt.
cent. min.
ſambuc.
hypericon. an. Mj.
ſem. 4. frigid. minor, an. ʒiß.
aniſ.
fœnicul. an. ʒij.
bacc. juniper. ℥ß.
alkekeng. ʒiij.
ſcyll. præparat. ℥ß.
cort. aurantior. ʒiiß.
cinnamom. acutiſſim. ℈ij.
acimor. ſambuc. Mj.
ſpec. dialacc. ʒiij.
Theriac. veter. ʒvj.

Hæ ſpecies omnes inciſæ & contuſæ in optimi vini veteris parte unâ, & aquæ agrimoniæ ac hepaticæ nobilis altera, in loco calido, per diem & noctem macerentur, vaſe benè cooperto, dein coquantur ad quartæ partis conſumptionem, ita tecta, ne inter coquendum volatilior pars evaporet: colaturæ ℔iij. adde *tincturæ noſtræ deoppilativæ* ℥ß. Miſce. Hujus decocti ℥v. offerebam Reverendo noſtro patienti, tribus horis ante prandium; veſperi verò, duabus ante cœnam horis, dabam ℥iij, taliter quatuor vel quinque diebus continuando, ita, ut quintâ vel ſextâ, prout rei neceſſitatem poſtulare videbamus, purgaretur *Pilulis* ſequentibus:

℞. *Extract. pilul. hydropic. Bontii*
hydragog. Zvvelfer. an. gr. vij. Pilulæ purgantes.

 diacar-

diacartham gr. vj.
reſin. turbeth. gr. iiij.
gialap. gr. ij.
ol. cort. aurant. gut. ij.

Cum ſ. q. *aq. phyſogon.* formentur *Pilulæ num. 9*, inauratæ dentur pro una doſi. Poſtquàm hiſce bene purgatus venter detumeſcere, atque urina ritè fluere incepit, repetiit uſum decocti noſtri aperitivi, per quinque dies: quibus transactis, pilulas, & hiſce denuò adhibitis, decoctum renovavit & aſſumpſit, tamdiu horum pharmacorum uſum per vices mutando, usque dum & alvus reſponderet, tamquè copioſa urina flueret, ut unius diei noctisquè ſpatio plures tribus urinæ menſuris redderet; cùm tamen vix unam bibiſſet. Quibus ita evenientibus, & venter & pedes, cum reliquis corporis partibus, adeò detumeſcebant, ut, ſeptem hebdomadarum ſpatio, in tantum convaluerit deſperatus hic Æger, quò multarum leucarum itinera pedes facere potuerit.

Urinæ profluvium.

Præter exactiſſimum pharmacorum jam memoratorum uſum, ad exquiſitam victûs rationem adſtringebatur: adeò quidem, ut nihil daretur, quod prohibitum ſciebatur; unde raro ad votum comedeba[t], minùs ad ſatietatem bibebat: quod, vinum bono Patienti ſine intermiſſione ſitienti, erat martyrium. Vinum his herbis conditum bibebat:

Victûs ratio.

Hepar confortantia.

℞. *Herb. card. bened. Mij.*
ſcolopendr. Mij.
ſummitat. cent. min. Mj. Inciſa dentur pro uſu.

Duos harum herbarum, petiæ illigatarum, manipulos imponebat vino, indequè biduo bibebat, novásque, iis abjectis, capiebat. Nec illa omittebantur, quæ hepatis, reliquorúmque viſcerum confortationi ſciebamus conferre. Inter quæ fuit primò ſequens *Mixtura*:

℞. *Aq.*

℞. *Aq. flor. ſambuc.* ℥iß.
rub. Idæi,
cinnam. an. ℥i.
lumbric. terreſt. ℥ij.
ſpir. rub. Idæi
ceraſor. nigror. an. ℥ß.
ſambuc. ʒiij.
roſar. ʒij
corallor. rubr. præparat.
ocul. cancr. præparat. an. ℈ij.
ſyr. dialth. Fernel.
acredin. citri, an. ℥ß.

Miſce: de qua ſæpiùs unum vel alterum cochlear capiebat. Huic quoque intentioni plurimùm ſerviebat *Electuarium* hoc:

℞. *Conſerv. roſar.* ℥iß.
flor. tunic.
anth. an. ʒvi.
citri ℥ß.
rad. cichor. condit.
ſcorzon. condit.
acor. vulg. condit. an. ʒv.
myrobalan. cheb. condit. ℥i.
nuc Indic. condit. ʒiij.
ſpecier. diatrion. ſant.
diarrhod. Abbat. an. ʒiß.
Theriac. veter. ℥ß.
confect. alkerm. ʒiij.

Cum ſ. q. *ſyr. cinnam.* Miſce: fiat l. a. *Electuarium liquidum:* de quo aliquoties per diem modicum ſumebat.

At ne tincturæ noſtræ deoppilativæ (cujus ſupra meminimus) deſcriptionem lectorem, illius ſciendæ cupidum, celemus, eam hoc, quo paratur, modo hîc ſubjicimus:

Tinctura noſtra deoppilativa.

℞. *Antimonii*
nitri an. ℔i.
ſal. tartar. ℔ß.

fluant in tigillo, refrigerata pulveriſentur: addendo
calcis vivæ ℥iij.

infundantur ſ. q. aceti vini deſtillati, quo tinctura extrahatur: acetum tinctum & filtratum abſtrahatur ad mellaginem: hæc miſceatur alumini uſto, & per retortam deſtilletur, oleoſitas, ſeu liquor rubeus, optimo ſpiritu vini exaltetur: & tinctura deoppilativa habetur, quam hactenus in hujusmodi affectibus magnæ inveni virtutis.

Redditâ jam Reverendo Patri commodâ ſanitate, majoris ſecuritatis gratiâ, per integrum adhuc menſem, ſequentium pharmacorum uſum continuabat:

Pilulæ purgantes.

℞. *Extract. diacartham.*
rhabarbar. an. gr. ix.
tartar. Schröder. gr. iiij.
reſin. ſcammon. gr. iij.
trochiſ. alhandal. gr. ij.
ol. cinnamom. gut. ij.

Cum ſ. q. *tinctur. proprietat.* Mynſichti miſce: & fiant *Pilulæ num. 9.* pro una doſi, & ſic pro aliis tribus; de quibus ſingulo octavo die unam adhibebat doſim. Harum ope præpedivimus, ne nova colligeretur materia, &, ſi quæ veteris fermenti adhuc laterent reliquiæ, tollerentur. Hunc quoque in finem urinam promovimus ſequentibus;

℞. *Spir. ſal. coagulat.*
ſal. juniper.
petroſel.
geniſt.
abſinth. an. ℈ij.
card. bened.
cent. minor. an. ℈iß.
cremor. tartar. ʒv.
ſacchar. albiſſ. ℥ß.

Pulvis digeſtivus.

Miſce: cujus quotidie manè, ex juſculo chærefolii, per integrum menſem, aſſumebat, quantum tribus cultri mucronibus capi poterat. Nam tantæ, in hujus morbi curatione, à diureticis feruntur ſuppetiæ, ut ego omnes, quotquot curavi, urinæ benè fluentis beneficio ſanatos fuiſſe obſervaverim.

Atque hiſce, iisquè ſimilibus, pharmacorum auxiliis non ſolùm eos, quos recenſui; ſed etiam alias quàmplurimas, utriusquè ſexûs, perſonas amiſſæ valetudini reſtitui. Inter quas fuit A. R. Dominus Jacobus Blazowsky, Decanus Civitatis Chrudimenſis: Domina Suſanna Gartnerin, Civis Echinopolitana: Venerabilis Virgo Thereſia Kaſtnerin, Monialis Fravventhalenſis: Dominus Steiner, Crumlovienſis Civitatis, mihi chariſſimæ, Senator: Margaretha, Stephani Reichardi uxor, 73. annos nata: Paulus Ransky, qui 82. ætatis annum tunc egit, etiamnum vitæ ſuperſtes: & alii quàmplurimi, quos omnes hic recenſere, nimis mihi foret longum. Ego nunc ad tertiæ hydropis ſpeciem, ejúsque definitionem, cauſas, ſigna & curationem transeo.

Caput VII.

De Tympanite.

Tympaniti humores conjunguntur.

TErtia hydropis ſpecies eſt *Tympanites*, quam Hippocrates, *in Coac. prænot. text. 304. & aphoriſ. 11. ſection. 4. hydropem ſiccum* nuncupavit: non, quòd tympanites omnimodâ humoris præſentiâ deſtituatur; ſed *hypogaſtrium* (ut loquitur Galenus, *in commentario aphoriſmi jam citati*) hâc ægritudine laborantium *percuſſum talem reddat ſonitum, qualem pulſata tympana edere ſolent.* Hanc hydropis differentiam reliquis longè deteriorem, longequè periculoſiorem, ſequenti modo deſcribimus:

Tympanitis deſcriptio.

Tympanites eſt diſtenſivus & vehemens abdominis tumor præter naturam, ex flatibus, à debili aut impari viſcerum concoquentium calore productis reſultans. Dicitur: *diſtenſivus & vehemens abdominis tumor præter naturam, ex flatibus;* quia hæc hydropis ſpecies aliunde non generatur, quàm à flatibus, tantâ non raró copiâ tympaniticos affligentibus, ut ab iis venter in magnum elevetur tumorem, cum vehementi partium à partibus dislocatione, atque violentâ unitarum ſolutione. Hinc contingit, ut miſerrimi, hâc ægritudine correpti infirmi, graviſſimis torqueantur doloribus, reſpirare nonnunquam vix poſſint; quòd requiſita diaphragmatis, ſtomachi, reliquarúmque partium, reſpirationi ſervientium, dilatatio ab exorbitantis flatûs multitudine impediatur: anxiis quandoquè ſudoribus conficiuntur, quoniam cor, ob impeditam organorum reſpirationi ſervientium dilatationem, eo reſpirationis uſu & libertate privatur, quâ eidem ad calidæ fuliginis excluſionem, recentisquè auræ attractionem opus eſt: quin imò ab improviſo aliquando fato hujusmodi infirmitate decumbetes abripiuntur; dum nimirum flatûs, facto violentiùs

Tympaniticorum ſymptomata.

tiùs

tiùs impetu, cohibitionis ſuæ habenas disrumpunt, & in cor, utpote regium illúdque primarium vitæ domicilium irruunt, & omnem inibi vitalium functionum authorem, calorem ſcilicet nativum, radicitùs evellunt, ſuffocant, & delent.

Dicitur: *à debili, aut impari viſcerum concoquentium calore productis reſultans*, eò quòd flatûs à nativi caloris debilitate, aut impotentia generentur: quando enim calor, aut ab antecedentium morborum vehementia, aut ſenii, aut aliarum rerum incommodis, potenter attritus, in materiam flatibus imprægnatam agit, & ob debilitatem ſuam ejusdem reſolutioni non ſufficit; accidit, ut materia in viſceribus ſtagnans bulliat & ebulliat, continuos pariendo flatûs, qui, paulatim increſcentes, tympaniticum abdominis tumorem excitant. Subinde etiam flatûs, tympanitem generantes, ab ejusdem nativi caloris impotentia oriuntur: quando nimirum ille per ſe quidem eſt ſat fortis & vegetus; verùm materiæ flatûs edentis quantitati gubernandæ impar. Hinc continuæ actionum & paſſionum mutuationes calorem agentem inter, & flatuum materiam reſiſtentem, intercedunt: & ſucci flatulentiâ ſcatentes fermentant quidem, ſed, ob nimiam ſuam redundantiam à calore, etiam ritè ſe habente vinci & digeri non poſſunt; quin imò continuâ, eâquè lentâ, fermentatione agitati, copioſiſſimos gignunt flatûs, qui, prout in diverſis corporis partibus enaſcuntur; ita etiam diverſas ejusdem calamitates pariunt, dum jam oſcitationes, & totius corporis horrores concitant: jam frigus, jam corporis æſtum, & capitis dolorem inferunt: nunc, in faucibus, & organis reſpirationis commorantes tuſſim & anheloſam reſpirationem cauſant; jam verò, in abdominis capacitate occluſi, tympanitem producunt: de quibus Hippocratem, *libro*

Quî flatus generentur.

Diverſi flatuum effectus.

libro de flatibus fuſiſſimè agentem conſulere licebit. Nos tympanitis cauſas viſuri accedimus.

Et primo quidem intuitu advertimus, quòd etiam in
Diverſæ Authorum mentes. hujus affectionis cauſarum determinatione Authores non conveniant: dum alii caloris debilitatem; alii ejusdem torrefacientis exceſſum; alii demum viſcerum concoquentium frigiditatem accuſant. Inter eos, qui à vehementioris & torrefacientis caloris exceſſu flatûs tympanitem inducentes fieri docent, eſt Averroës, & Jonſtonus; quorum hic, *lib. 10.*
Jonſtoni opinio. *cap. 4. articul. 5.* ait: *Tympanitis cauſa eſt flatus, qui, ſi ortum ſpectes, vel à calore debili, vel ab eodem nimio & torrefaciente, qui id, quod ſubtile eſt, violenter agitatum in vapores reſolvit, oritur.* Averroës autem, *3. collect.* ſtatuit, quòd ideo tympania à vehe-
Averrois opinio. mentiore naſcatur calore, quod à calidorum uſu flatuum copia augeatur, & calidæ dyſcraſiæ augmentum ab iisdem intendatur.

Jonſtoni opinio refellitur. Verùm, primæ Jonſtoni ſententiæ parti annuens, alteri accedere nequeo. Prout enim ex unanimi facilè Medicorum conſenſu habemus, quòd flatus à debili, aut impotenti calore, tanquam cauſa efficiente, producatur: ita à ratione ipſa, quotidianaquè experientiâ docemur, quòd fortior partium caliditas non ſolùm attenuet, ſed etiam diſcutiat, & flatûs generationem impediat. Unde Cardanus, *in commentario aphoriſ. 22 ſect. 1.* tradit, quòd *in febribus ſit flatuum defectus, eò quòd abſumantur à calore febrili.*

Eundem in modum Averroi, ſubtiliori Philoſopho, quàm Medico, reſpondeo, & nego, tantam in tympanite caliditatem exorbitare, ut ea à carminativorum pharmacorum uſu intendi poſſit; niſi, præter jam dictam affectionem, adhuc
Averroës refutatur. alia calidioris naturæ infirmitas lateret, uti febris, hepatis aut lienis phlegmones, vi cujus intenſio quædam accidere poſſet. Minùs adhuc concedo, quòd flatûs à carminativis, cum ju-

dicio

dicio datis, cumulentur: cùm id legitimæ Hippocratis, Galeni, atque totius Medicorum ſcholæ medendi methodo repugnet; quâ docemur, materiam, flatibus occaſionem præbentem, eſſe digerendam, evacuandam, & flatûs diſcutiendos: quod pharmacis inſigni calore præditis abſolvitur. Nam, dicente Cardano, *in commentario in aphoriſ. 50. ſect. 5. planum eſt, quòd humorum digeſtio à valido calore fiat, qui flatum reſolvit.* Unde, ſi calor nativus humorum digeſtioni ſe ſolo non ſufficiat, calidorum aptorum auxilio juvandus eſt: de quibus in curatione fuſiùs.

Jonſtoni & Averrois ſententiæ non abſimilem tuetur Schenckius, qui, *Obſervationum ſuarum lib. 3. obſervat. 113.* vult, omnem hydropem à cauſa calida proficiſci; proinde frigidis eſſe curandam. Inquit enim: *Omnis hydrops fit à cauſa calida, ſaltem aſcites & tympanites, omitto hypoſarcam. Nam hoc apparet ex textu Hippocratis: ponit enim, utramque hydropem ſequi ad morbos acutos: ergo ad cauſam calidam & ſiccam. Iſtud argumentum demonſtrat de univerſali hydrope. Secundò videmus in hydrope ſitim: & ſitis eſt indicium caloris vel ſiccitatis: & Medicus debet credere evidentibus ſignis potiùs, quàm rationibus perſuaſivis, vel à priori: ergò debet credere, quòd hydrops fiat à caliditate, vel ſiccitate, vel utroque. Et ſi dicas, quòd eſt alia hydrops, maximè tympanites, prorſùs ſine ſiti; reſpondebo, quòd de illa, ſi ita ſit, non litigabo.* Opinio Schenckii.

Hanc Schenckii aſſertionem, docentis, *omnem hydropem oriri à cauſa calida, ſaltem aſcitem & tympanitem*, minimè ſubſiſtere poſſe, patet tum ex ipſiuſmet Schenckii verbis, tum ex iis, quæ ſuperioribus capitibus de aſcite & anaſarca diſceptavimus. Nam anaſarcam ipſe excipit, videturquè tacitè concedere, hanc ortum à cauſa calida neutiquam ducere. Aſcitem verò generari à cauſa calida non poſſe, ſupra ſat fusè & nervosè (ut reor) probatum eſt; ad quæ (ne cramben Refutatur Schenckius.

recoquamus) Lectorem remitto. Proinde ſi textum Hippocratis, quo Schenckius probare contendit, tympanitem à cauſa calida oriri, nil pro illius ſententia facere oſtendero, evaneſcet doctrina Schenckii: ſtabit verò inconcuſſa noſtra ſententia, nec hydropem omnem, nec ullam hydropis ſpeciem, à cauſa calida oriri poſſe. Ad textum autem, ex Hippocrate allatum, reſpondeo: verum quidem eſſe, quòd aſcites & tympanites aliquando acutos morbos ſequantur; nego tamen legitimè inferri: ergò aſcitis & tympanitis cauſa eſt calor vel ardor febrilis; cùm eo tempore, quo febricantes immodico febris ardore æſtuant, nec aſcites, nec tympanites in iis advertatur. Aliam ergo cauſam, ob quam hydrops acutos morbos ſubſequi ſoleat, aſſigno, videlicet hanc: quòd, dum immodicus febrium acutarum calor nativum viſcerum, ac præſertim ſtomachi Vulcanum atterit, is, ita attritus, nec aſſumptorum alimentorum quantitatem digerere, nec in laudabilem ſanguinis ſubſtantiam valeat transmutare, ſed ſuccos crudos, frigidos ſeroſóſque producat, ex quibus hydrops tam facilè producitur, quàm facilè flamma ex igne, ſtuppæ ſuppoſito, producitur.

Qualiter Tympanites acutos morbos ſequatur.

Nec obſtat, quòd Schenckius aſſerit, ſitim eſſe caliditatis & ſiccitatis indicium. Reſpondeo enim (prout jam, *capite præcedenti*, feci) quòd hydropicorum ſitis non oriatur propter partium digeſtivarum calorem; ſed humorum in abdomine contentorum ſalſedinem, nitroſitatem, putredinem, & hinc oriundum aſcititium aquoſi laticis calorem.

Hydropicorum ſitis cauſa.

Quòd autem Schenckius dicit, Medicum debere potiùs evidentibus ſignis credere, quàm rationibus perſvaſivis, & propterea credere, quòd hydrops à caliditate & ſiccitate, vel utroque, procedat, id ego diſcernendum aliis relinquens nego, quòd ſitis in hydrope ſignum evidens dici mereatur, quia nec omnes hydropici ſitim patiuntur, nec omnes hy-

Sitis in hydrope non eſt ſignum evidens.

dropis ſpecies eandem, utpote ſignum pathognomonicum, ſibi adjunctam habent; ut ipſe agnoſcere videtur, dum dicit: *Et ſi dicas, quòd eſt alius hydrops maximè tympanites, prorsùs ſine ſiti; reſpondebo, quòd de illa, ſi ita ſit, non litigabo.* Ex quibus luculenter patet, quòd & hîc concedat, ſitim in omnibus hydropis ſpeciebus non dari, adeoquè quòd nec poſſit eſſe ſignum evidens; cùm non ſit pathognomonicum. *Ideo enim* (ut docet Cardanus, *in commentario aphoriſ. 8. ſect. 6.* *in hydrope ex flatu non ita ſitiunt, etiam vehementer laborantes; quia intemperie frigidâ manifeſtè laborant.* *Nam flatûs* (innuente Galeno, *lib. 3. de ſympt. cauſ.*) *in abdominis ſpatiis oriri, cùm vel humores pituitoſi illic contenti, vel cibi, in vapores, ab imbecillo calore ſolvuntur. Quemadmodum enim frigidiſſima conſtitutio, maximè ſpirante Boreâ, aërem ſereniorem reddit; ac rursùs calidiſſima conſtitutio æſtatis, efficit aërem nos ambientem puriſſimum; mediæ verò conſtitutiones nebulas pariunt: ſic in animalium corporibus à ſolo moderato imbecillóque calore flatulentum gigni excrementum contingit.*

Cur Tympanitici non ſitiant?

Ad hæc flatus eſt frigidus, quia ex pituita, tanquam cauſa materiali, enaſcitur. Hinc Hippocrates, *libro de flatibus*, dicit: *Obſtructo inferiore ventre, in univerſum corpus flatûs percurrunt, & ad ſanguine refertas corporis partes illapſi, eas refrigerant;* quòd nunc fortiùs, nunc verò remiſſiùs faciunt, prout vehementior, aut remiſſior materialis eorum cauſa fuerit. *Eſt enim* (referente Valleſio, *lib. 4. epidemiorum, pag. 387.*) *magna, etiam in ipſis flatibus, qualitatis differentia, quæ ex differentia ſuccorum, qui illis materiam ſuggerunt, ortum habet. Nonnunquam enim flatus eſt valdè frigidus & craſſus; qui ſanè vehementem dolorem infert inteſtinis: nonnunquam etiam eſt acer & fumoſus, qui mordendo cruciat: aliquando etiam eſt ſimplex, ſeu qualitatis expers, diſtenſione tantùm dolorem faciens.* Si quis tamen,

Flatus eſt frigidus.

Flatus à frigida oriuntur cauſa.

men, ſpretis hiſce jam allatis, in opinione ſua pertinacior adhuc vellet perſeverare, negando, quòd flatûs à frigida oriantur cauſa; illi adhuc ſequentem Divini Senis Hippocratis doctrinam, experientiâ & ratione fundatam, obtrudimus, quam quilibet, *circa finem libri de morbo ſacro*, inveniet, ubi dicit: *ſi laboribus exercitatum corpus incaluerit, incaleſcit etiam ſanguis; qui calefactus flatûs quoque calefacit: ii verò calefacti, diſſolvuntur, & ſanguinem coactum ſimul diſſolvunt, partimq́; cum ſpiritu, partim cum pituita, foràs prodeunt.* Qualiter ergo Schenckius, Hippocratis doctrinæ aut oblitus, aut planè ignarus, tympanitem frigidis curare potuerit, id non video. Timeo; ne id, quod, de fundata aliorum doctiſſimorum virorum medendi methodo, ſat inſulsè effutiit, in ipſius, exiguo nixam fundamento curandi methodum, jure potiori, poſſit retorqueri.

Tympanitis cauſa.

Si ergò flatus à pituita ſuam plerunque habet originem; nos, relictâ fuſiore diſceptandi occaſione, dicimus, tympanitis cauſam eſſe flatûs: cauſam verò flatûs ſtatuimus caloris debilitatem aut impotentiam. Quando enim major eſt pituitæ copia, quàm aut debilis, aut humoris copiæ impar calor poſſit digerere, ille quidem in materiam agit, ſed eam evincere nequit: unde non, niſi meri gignuntur flatûs, ob continuam materiæ agitationem & fermentationem; abſque tamen eo, quòd materia digeratur, & in laudabilem ſuccum convertatur.

Cauſæ tympanitis antecedentes.

Hæ autem cauſæ oriuntur ab aliis, antecedentibus dictis, quarum ea eſt natura, ut digeſtivum viſcerum calorem obtundant, affligant, opprimant & ſuffocent. Quemadmodum contingit in iis, qui, neglectâ ſobrietatis regulâ, continuæ ventris ingurgitationi ſerviunt; quorum ea eſt natura, ut piſces è ſupero inferóque mari, è fluviis & lacubus evo-

evocent, è cælo aves detrahant, è ſylvis feras rapiant, diverſa vini genera continuò potent, & quidquid demum eſculentorum & poculentorum aut è terra prodit, aut ab arte delicatum paratur, inceſſanter deglutiant. Ut proinde non niſi bene dixerit Seneca: quòd nimirum *multa fercula multos generent morbos.* Dum enim plus abſorbetur, quàm natura poſſit digerere; aut nova alimenta priùs aſſumuntur, quàm primò aſſumpta ſint concocta, aut mera cruda, & ad pituitoſi ſucci generationem planè diſpoſita, eduntur; ita paulatim calor digeſtionum opifex atteritur, ut ſemicocta ad venoſum genus transmittat. Inde tandem pars ad ſpatia meſenterium inter & inteſtina migrat; quæ ab exceſſibus frequentiùs reiteratis cumulatior evadit, & tantam paulatim flatuum quantitatem producit, ut ſuæ inhæſionis locum dilatent, partem à parte divellant, & maximis cum doloribus diſtendant. *Quando enim* (ut loquitur Hippocrates, *in fine libri de priſca medicina*) *propter denſitatem aliquid flatibus reſiſtit & non cedit, flatus verò ſubiens augeſcit, ac fortior evadit; graviſſimi creberrimiquè dolores in eâ parte excitantur.* Propterea idem Hippocrates, *aphoriſ. 11. ſect. 4.* dicit: *quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento, neque aliter ſolvatur, in hydropem ſiccum firmatur.* Tormina enim & & dolores in jam dictis locis excitari ſolent, quòd partes à redundante flatu vellicentur & dilatentur; qui dum nec ab injectis clyſteribus, nec pharmacis per os aſſumptis, leniuntur, ſignum eſt, quòd flatus, cauſaquè eorum materialis in diſtantioribus meſenterii receſſibus hæreat: ad quos pharmacorum virtus penetrare, & hærentem materiam evacuare nequit: & ideo neceſſum eſt, ut tympanites altiùs radicetur.

Multa fercula multos faciunt morbos.

Lumborum dolores quid indicent.

Signa porrò, tympanitem demonſtrantia, diverſi ſunt generis. Nam primò venter à flatu, in abdominis capaci-

tate occluſo, vehementer inflatur & extenditur; adeo, ut, manu pulſatus, ſonum tympano conſimilem edat: ægro ſupino jacente, venter non cadit ad latera, prout in aſcite fieri diximus: umbilicus aliquando, à flatuum vehementia protruſus, valdè prominet. Et quamvis homines, hac ægritudine excruciati, majorem ventris inflationem patiantur, quàm aſcite laborantes; minorem tamen iis gravitatem patiuntur. Tympaniticorum venter compreſſus obſcurum planè digiti prementis veſtigium admittit, &, ſi quod appareat, mox à reluctantis flatûs impetu repletur: ructûs ſolent eſſe frequentes, eo commodo, quòd difficilem pectoris dilatationem facilitent, & ægros læviùs habere faciant: crepitus erumpunt rari: murmura & borborigmi audiuntur crebri. Urina, ob ſpecialem coquentis virtutis atoniam, redditur cruda & pauca, eò, quòd glandularum ſecretoriarum facultas oppreſſa jaceat, atquè ſeroſitatis excretio à vaſorum, per quæ eidem transeundem eſt, per flatus facta compreſſione, impediatur. Tympanites denique (ut ait Galenus, *lib. 4. de pulſuum cauſis*) *pulſûs ſubduros gignit, cum nonnulla tenſione; ſed aliquanto celeriores, minusquè imbecillos, quàm aſcites: at crebros, iisdem de cauſis ac ille. Longiores, ob levitatem tegentium arterias corporum, quæ quidem in tympanite adeſt: etenim ſpiritu univerſum corpus replet.*

Signa diagnoſtica.

Urina.

Pulſus.

Quamvis, ex communi & unanimi omnium Medicorum prædictione, hydrops inveteratus, qui jam corporis habitum corrumpit, dicatur malus; aut qui acutorum morborum deferveſcentiam ſequitur; quia & hic non, niſi ob ingentem nativi caloris ſtragem, naſcitur: quem propterea Hippocrates, utpote periculo pleniſſimum, *in Coac. prænot. text. 452.* valdè damnat, aſſerens: *aqua inter cutem, quæ ex acuto morbo cœpit, moleſtiam ac perniciem affert*: omnium tamen ſpecierum periculoſiſſimam tympanitem eſſe dicendam judicamus; eò quòd

Tympanites ex hydropis ſpeciebus periculoſior.

quòd hæc affectio à viſcoſa, frigida ac cruda materia, in meſenterio & exterioribus inteſtinorum tunicis hærens, ex iis cavitatibus difficulter evellatur & expurgetur. Hinc contingit, ut, evacuatâ aliquando flatuum copiâ, malum ſubitò recrudeſcat; id quod expertus fuiſſe videtur Hippocrates, qui, *libro de flatibus*, ſcribit: *Si univerſus venter penitus ab aqua evacuetur, non tres elabentur dies, & rursùs plenus erit. Quidnam ergo aliud eſt, quod impleat, quàm ſpiritus? quidve aliud tam repentè replere poſſet? neque enim tantum potûs in corpus ingeſtum eſt.* Si ergo tympaniticorum tumor, parumper imminutus, tam ſubitò recrudeſcat, id à prompta quadam, & difficulter diſſipabili cauſa proveniat, neceſſum eſt: quæ alia eſſe non poteſt, quàm viſcoſa, lentaque pituita, exterioribus inteſtinorum parietibus tenaciſſimè adhærens; quæ, continuò à debili calore agitata, ebullit, ac copioſum flatum producit; qui ab inſpirati, & attracti per reſpirationem aëris adventu auctus, talem ſubitò ventris inflationem parit, ut ſæpe poſterior tympaniticorum tumor ſit priore longè deterior. Tympaniticorum recidiva.

Si igitur prima curationis principia neglecta fuerint, adeò, ut malum, ex natura ſua periculoſum, altiores agat radices, curationem non facilè admittit: maximè ſi hic affectus tales homines invaſerit, qui potiorem vitæ partem comeſſationibus tranſigerunt; atque eo usque jam ventris inflatio ſit progreſſa, ut ſpirandi difficultas accedat, & non, niſi erectâ cervice, reſpirent, & urinæ ſtillicidium ſubſequatur: tunc res deſperata eſſe cenſetur. Hinc Hippocrates, *in Coac. prænot. text. 453.* ait: *in hydrope ſicco, urina ſtillatim effluens, malum denuntiat. Mala quoque eſt, quæ exigua habet ſedimenta.* Eodem modo, *in hydrope ſicco ſui ſignificationem præmittente, tormina circa inteſtinum tenue incidentia, mala ſunt.* Denique, ut rem paucis eloquar, quo tympanitis curatio diutiùs neglecta fuerit, eò graviora mala ſuccreſcunt, collabentibus paulatim Tympanites quæ periculoſior?

viri-

viribus: adeò, ut tympanites continuò periculoſior evadat. Proinde huic malo conſtantibus adhuc viribus, in primo ſuo ortu, obviandum eſt.

Quid ante curationem faciendum ſit.

Quapropter Medicum, ad hujus infirmitatis curationem acceſſurum, decet, ut, quam æger vitæ victúsque rationem tenuit, diligenter inquirat, præſertim virium valorem examinet, atquè morbi vehementiam probè perſpiciat: ut, hiſce omnibus ritè perſpectis, priùs ſciat, quid fieri poſſit, aut non poſſit, quàm curam aggrediatur. Nam hiſce neglectis, & ægro, ob morbi magnitudinem, viriúmque imbecillitatem, fatis concedente, mortis cauſa in Medicum conjici poſſet, non attento, quòd tympanites ex naturâ ſua fuerit incurabilis.

In curatione tria ſpectanda.

Ut autem fructuoſam, quoad fieri poteſt, tympanitis curationem inſtituamus, tria potiſſimum obſervanda veniunt: quorum primum ſunt flatûs, qui diſcuſſionem poſtulant: ſecundum eſt eorum cauſa, quæ amotionem & evacuationem exigit: tertium ſunt vires, quæ præſentes conſervationem, & amiſſæ ſui reſtitutionem flagitant. Quantum autem exquiſita diæta, ad harum intentionum executionem, conferat, id cuilibet, rem æquâ rationis balance ponderanti, facilè innoteſcet.

Diætæ virtus.

Nam neglectâ competente diætæ regulâ, tympanites, ejusquè cauſa augentur, & vires decreſcunt. Si itaque ſtudioſè obſervata fuerit, plurimum adjumenti curationi conferet; quia, debite inſtituta, flatûs diſcutit & reſolvit; materiam, flatûs producentem, incidit, digerit, & paulatim imminuit, atquè gravatas vires conſervat, lapſas erigit & inſtaurat.

Qualis aër tympaniticis proſit.

Quare *aër* ſit calidus & moderatè ſiccus; qui ſi talis, ob frigidam anni conſtitutionem, non fuerit, arte corrigatur & paretur. Hoc perfici poterit ſuffumigiis gratum odorem ſpirantibus, qualia ſunt *lignum* & *baccæ juniperi*, *roſmarinus*, *folia lauri*, *roſarum*, *lavendula*, *cortices citri*, *aurantiorum*, *aſa dulcis*,

dulcis, maſtix, olibanum, thus, atque alia hujus ſortis plura odorata aromata.

Non minorem *ciborum* delectum requirit tympanites, qui tam exquiſitè qualitate, quantitate & utendi modo debent reſpondere, ut nec minimam demus occaſionem, flatulentam materiam colligendi. Proinde in hac affectione convenient facilis digeſtionis, & paucorum excrementorum cibi, qui moderatam calefaciendi virtutem habeant; &, *ſi quid flatulentum cibariis ineſt, corrigatur per calefacientia & tenuantia*, mandante ita Galeno, *lib. 1. de alimentis*. Tales autem ſunt *carnes vervecum juvenum, pullorum, gallinarum, caponum, avicularum, perdicum*, quæ tam elixæ, quàm aſſæ offerri poterunt; id ſaltem obſervando, ut *cinnamomo, ſemine aniſi, fœniculi, corticibus citri*, atque aliis hujusmodi carminativis, id eſt, flatûs diſcutientibus, condiantur. Quemadmodum verò ova ſorbilia, utpote laudabilem, paucique excrementi ſuccum generantia, unicè commendantur; ita omnia *olera, lactucæ fructûs recentes, lacticinia, piſces lacuſtres, carpiones, anguillæ, omnesquè* reliqui piſces, atque carnes, viſcoſum & flatulentum nutrimentum præbentes, magnoperè ſunt fugiendæ. Nec ſufficit, ut accuratam qualitatis rationem obſervemus, niſi etiam quantitatis exceſſum caverimus, & utendi modum obſervaverimus, ſvadentes, ut nunquam novos aſſumamus cibos, niſi priùs ingeſta alimenta ſint probè concocta: nunquam ſatiari cibis, in hoc affectu magnum eſt remedium, quia (ut docet Crato, *Conſil. 128.*) *materiam flatuum rectiſſimè vitant ii, qui ſimpliciſſimam victûs rationem obſervant; imo uno cibo, qui minimè excrementoſus ſit, contenti ſint.*

Ciborum delectus.

Qui cibi noxii.

Potus ſit vinum album, tenue & aquoſum; *quia illud omnes vacuationes promovet* (teſte Galeno, *lib. 11. meth. med.*) *& urinæ ciendæ valdè idoneum, nec capiti ullam infert noxam*, docente eodem, *lib. de euchym. & cacochym.* quin imò *modicè hauſtum*

Potûs Tympaniticorũ.

ſtum (prout extat *lib. 1. de morb. cauſis*) *cùm familiare ſit alimentum, mirè calorem auget, & , quia calidum eſt, ad motum corporis conducit*, eò, quòd calefaciat ſanguinem; qui calefactûs flatûs quoquè calefacit, calefactos reſolvit, & foras abire cogit, atque omnia membra calore ſuo deſtituta blandiſſimè reficit.

Exercitium. Quantum jam etiam moderata corporis exercitatio ad hujus ægritudinis curationem conferat, id cuilibet facilè innoteſcet, ſi Hippocratis mentem, *circa finem libri de morbo ſacro*, expreſſam, & Galeni doctrinam, *lib. 2. de ſanitat. tuend.* ſecum ruminaverit, ubi dicit: *moderatâ corporis exercitatione inſiti caloris augmentum excitatur, & robur augeri ſolet, & corpus incaleſcit: quùm verò corpus* (ut ait Hippocrates, *lib. 2. diæta, cap. 11.*) *incaleſcit; & humiditas in corpore abſumitur, & unà cum flatu foras excernitur, & per lotium ejicitur.*

Somnus. Eodem modo ſomnus, in hac affectione, ſit brevis, *quia non longi præſentem humiditatem evacuant;* dicente Hippocrate, *lib. 2. de diæta, cap. 10.* *Diuturnus* è contra *nec crudos ſuccos digeri ſinit, & viſcera reddit graviora*, ut habet Galenus, *lib. 12. meth. med.* proinde flatûs in tympanite auget. Diurnus quoque, utpote peſſimæ naturæ ſomnus, in tympanite fugiendus eſt, quia corpus refrigerat & humectat, adeoque tympanitem, ejusque cauſam fovet & auget.

Quales alvi excretiones eſſe debeant. Excrementa alvi quotidiè ſemel, aut bis ad minimum, excernantur; eò, quòd, unà cum iis, flatûs prodire ſoleant. Curæ, cum modica irâ proſunt, quia calorem excitant, & ad flatûs, ejusque cauſæ digeſtionem atque diſcuſſionem plurimum faciunt. Balnea quoque ſicca & reſolventia à nonnullis viris Medicis vehementer in tympanite commendantur; maximè cum aquis nitroſis parata; ſiquidem flatus diſcutiunt, cauſam eorum materialem reſolvunt, digerunt, & ad evacuationem habiles reddunt.

Ira, Curæ, Balnea.

Verùm

Verùm enim verò, cùm ſit quaſi impoſſibile, ut tam exquiſitus eſculentorum & poculentorum delectus, tamquè accurata reliquarum rerum non naturalium inſtituatur ratio, ut ipſius ſolius obſervatione collecti in viſceribus humores, & tympaniticorum flatûs producentes evacuentur, diſcutiantur, atque ægroti ad ſtatum ſibi naturaliter competentem reducantur; præſtat, ut impotenti victûs rationi neceſſario pharmacorum auxilio ſuccurramus, flatûs diſcutiendo, cauſam eorum materialem reſolvendo, evacuando, & viſcerum concoctionibus deſtinatorum robur intendendo. Huic intentioni inſerviunt enemata, ex carminativis emollientibus & laxantibus parata, purgationes lenes per vices repetitæ, apozemata meſenterii obſtructiones reſerantia, peccantem in eo materiam reſolventia. Hanc enim tenendo methodum, plurimas utriusque ſexûs perſonas à difficillimo hoc malo liberavi. Inter haſce fuit Illuſtriſſima Domina Comitiſſa Hiſerlin, Domina in Koſſumberg, quæ, anno 1672. tam gravi laborabat tympanite, ut illam de vita periclitari omnes putarent; quamvis tamen, DEO benedicente, præter omnem omnium expectationem, ſequenti pharmacorum ſerie, amiſſæ valetudinis ſtatui eam reddiderim. Nam ſecundâ Julii jam citati anni ad jam dictam Comitiſſam evocatus, tympanite laborantem inveni; unde mox hunc clyſterem injici curavi:

Quibus Tympanites ſit curanda.

℞. *Rad. alth.* ℥ij.
leviſt.
aſparag.
fœnicul. an. ℥ij.
Zedoar. ℥i.
herb. origan.
mercurial.
parietar. an. Mß.

Clyſter emolliens & carminalius,

 flor.

flor. chamomill. Mj.
ſambuc.
violar.
melilot. an. pij.

Coque ex ſ. q. aquæ. Colatur. ℥xi. adde

elect. diaphanic. ʒvi.
de bacc. laur. ʒiij.
mel anthoſat. ℥i.
ol. chamomill. ℥i.
ſal. gemm. ʒi.

Miſce: fiat *Enema* pro una doſi: quod injectum non tantùm conſtipatam alvum reſolvit, ſed etiam copioſa excrementa & flatûs eduxit.

Et, cùm in tympanite eadem ferè purgantia conveniant, quæ in aſcite conferunt, niſi quòd in tympaniticis carminativa, id eſt, flatûs diſſolventia, in majori quantitate addi ſoleant; ad pleniorem primarum viarum evacuationem mox deſcendi, alterâ ſtatim die ſequentem exhibens *Potionem*:

Potio purgans.

℞. Rad. enul. camp.
alth.
polypod. quer. an. ℈ij.
eryng.
aſparag.
fœnicul. an. ʒß.
curcum.
doronic. an. ℈i.
fol. capill. Veneris
ſcord.
agrimon. an. Mß.
flor. bugloſſ.
ſambuc.
cichor. ſyl. an. pj.

ſem.

ſem. aniſ.
fœnicul. an. ℈ß.
fol. ſenn. ſ. ſ. ʒiiß.
agaric. trochiſ. ʒiß.
rhabarb. elect. ℈ij.
cort. aurant. ℈ß.
Coque ex ſ. q. aq. fontan. Colatur. ℥iiß, adde
elect. diaphanic.
diacathol.ic. an. ʒij.
lenit. Florenzol. ʒi.
aq. phyſogon. ʒß.

Miſce: fiat *Potio*, quæ tertiâ Julii, anni jam ante citati, tanto cum fructu aſſumpta fuit, ut, eductâ magnâ flatuum, & hos producentis materiæ, copiâ, facilior reſpiratio ſucceſſerit, & venter emolleſcere & tantiſper detumeſcere notaretur. Verùm cùm, poſt alimentorum aſſumptionem, abdominis tumor ſemper intenderetur; ad majorem peccantium humorum detractionem, & flatuum diſſolutionem, hunc præſcripſi *Nodulum*:

℞. *Rad. apii* — Nodulus laxativus.
curcum.
doronic. an. ʒiß.
enul. camp.
eryng.
ononid.
petroſelin.
ſcorzoner. an. ʒi.
fol. capill. Veneris
chamædr.
linar.
parietar.
pimpinell.

veronic. an. M ß.
ſummitat. cent. minor.
abſynth. Pont. an. pj.
flor. cichor. ſylveſtr.
borrag.
bugloſſ. an. pj.
geniſt.
anthos an. pij.
ſem. cartham. contuſ. ʒiß.
aniſi
fœnicul.
urtic. an. ℈iiß.
fol. ſenn. ſ. ſ. ℥iß.
agaric. trochiſ. ʒiij.
rhabarb. elect. ʒiiß.
gialapp. ʒij.
cortic. aurant. ʒi.
cinnamom. elect. ℈iß.

Inciſis incidendis, & contuſis contundendis, adde
mann. granat. elect. ℥ij.

Miſc. fiant *ſpecies*, quæ dentur in *ſacculo* ex ſyndone alba parato, ad tres vini veteris ſextarios. Hujus vini hauſtulum quotdiebus manè faciens, talem & flatuum & materiæ flatûs generantis copiam excrevit, ut, decem dierum ſpatio, ventris intumeſcentia, potiori ex parte, evanuerit.

Intereà tamen corporis non ſolùm evacuantia, ſed etiam moderatè aperientia, & flatûs diſcutientia, tum intrò ſunt data, tum extra applicata; atque lapſam virium energiam inſigniter reſtaurantia pharmaca ſunt oblata: inter quæ, præ reliquis, ad obſtructionum reſerationem faciebat *ſpiritus ſalis coagulatus, qui* (dicente Mynſichto, *ſect. 1. tractat. de ſpiritu ſalis coagulato*) *diureticum eſt efficaciſſimum, adeóque ſpecificum hydropicum,*

Laus ſpiritûs ſalis coagulati.

cum, omnes quippe aquoſas humiditates, & flatûs, potenter diſcutit & expellit. Hunc autem die illâ, quâ laxabat, ſemel: quâ verò non laxabat, bis, ex ſequentium aquarum Mixtura, obtuli:

℞. *Aq. fænicul.*
fl. ſambuc. an. ℥ß.
capill. Vener.
abſinth. an. ʒiij.
ſyr. è duabus radic. ʒiij.
ſpir. ſal. coagulat. gr. xv.

Aquæ pro ſpiritu ſalis coagulato.

Miſce: fiat *Potio*, quæ duabus ante cœnam horis aſſumebatur.

Abſoluto, intra decem dierum tempus, nodulo laxativo, ad pleniorem diſpoſitorum ſuccorum abſterſionem acceſſimus, hanc offerentes *Potiunculam:*

℞. *Rad. eryng.*
leviſtic.
ſcorZon.
curcum.
doronic. an. ℈ij.
herb. capill. Vener.
agrimon.
*ſcolopendr. an. M*ß.
flor. ſambuc.
borrag.
cichor. ſyl. an. pj.
ſummitat. centaur. minor. pj.
ſem. cartham. contuſ. ʒi.
aniſi
fænicul. an. ℈i.
fol. ſenn. ſ. ſ. ʒiiß.

Potio purgans.

agaric.

agaric. trochis. ℥ij.
rhabarb. elect. ℈iiij.
paſſular. minor. exacinat. ℥ij.
crem. tartar. ℈iij.
cortic. aurant. ℈i.
flor. anthos,
macis, an. gr. vij.

Coq. ex ſ. q. aq. fontan. ſtent infuſa per noctem: manè, repetitâ levi ebullitione, colatur. ℥iiß. adde

ſyr. d. cichor. cum rhabarb. ℥vi.
elect. diacartham.
diacathol. an. ℥iß.
extr. pil. hydrop. Bontii ℈ß.

Miſc. f. *Potio* pro una doſi.

Et licet, poſt deſideratiſſimam hujus potiunculæ operationem, periculoſus abdominis tumor ita detumuerit, ut ne minimum quidem ejusdem ampliùs indicium appareret, atquè adeò curationem noſtram optatum ſecuritatis portum aſſecutam eſſe arbitraremur: nihilominùs tamen, cùm non tantùm ipſe Hippocrates, *lib. de flatibus*, dicat, quòd *venter penitùs vacuatus, intrà tridui ſpatium, rurſus aliquando impleatur;* ſed illud ipsâ etiam experientiâ didicerimus, quòd videlicet, ſi crudæ quædam materiæ, flatûs producentis, ſeminia in ſpatiis, meſenterium & inteſtina intercedentibus, relinquantur, tympanites recrudeſcere ſoleat; nos digeſtivi hujus *Pulveris* uſum, per notabile tempus, continuandum ſvaſimus:

Pulvis digeſtivus.

℞. *Sal. hydrop. Mynſicht.* ℥iß.
ſpir. ſalis coagulat. ℥i.
ſal petroſel.
juniper.

geniſt.

geniſt. an. ℈ij.
tartar. vitriolat. ℈iiij.
ſpecier. diarrhod. abbat. ℈v.

Miſc. fiat *Pulvis*; detur: de quo omni manè, & duabus ante cœnam horis, pro doſi ℈j accipiebat, ex juſculo petroſelini, aut chærefolii.

Durante curâ, flatuum diſcuſſioni, ſtomachi atque reliquorum viſcerum corroborationi diverſa profuerunt remedia, ut *ſpiritus ligni Guajaci*, *decoctum ligni ebeni*, quæ miris laudibus à Jonſtono extolluntur. Inter reliqua autem mirificè conduxit *Tragæa*, quæ

Tragæa confortans & carminativa.

℞. *Sem. aniſi*
fœnicul. an. ʒi.
flaved. cort. citri ʒß.
pul. rad. acor. ſylveſtr. ℈ij.
bacc. juniper. ʒi.
lauri ʒß.
raſur. ebor.
corall. rubr. præp. ãn. ℈ij.
ſpec. diacalaminth. ʒi.
diarrhod. abbat.
diamargarit. frigid. an. ℈ij.
magiſt. perlar. ℈i.
ol. aniſ. gut. xv.

exactiſſimè miſceantur, quibus ritè unitis adde *ſacchar. albiſſimi* q. ſ. ad bonam ſvavitatem: de qua, ſumpto prandio, & ad ingreſſum lecti, quâvis vice tantum ſiccè, aut cum ſemella toſta, & vino intincta, capiebat, quantum ter cultri mucrone accipere poterat.

Externam ventris regionem, ab exceſſiva flatuum copia vehementiùs protuberantem, tali *Unguento* bis quotidiè inungi jubebam:

℞. *Unguent. carminat. Mynſicht.* ℥i.
Agripp.
populeon. an. ℥ß.
ol. laurin. ʒiij.

Unguentũ carminativum.

Miſce: detur in fictili, ad uſum. Quibus remediis, præter exquiſitam victûs rationem adamuſſim obſervatam, diligenter adhibitis, Illuſtriſſima Domina Patiens integrè convaluit, etiamnum optimæ valetudini ſuperſtes.

Eodem ferè tempore Illuſtriſſimam quandam Baroniſſam, Urbi Echinopolitanæ vicinam, cum atrociſſimo affectu tympanitico colluctantem, eo, qui ſequitur, pharmacorum apparatu curavi:

Potio purgans.

℞. *Rad. alth.*
eryng. an. ʒij.
galang.
Zedoar. an. ℈i.
herb. puleg.
agrimon.
ſcolopendr. an. Mß.
flor. geniſt.
violar.
melilot.
ſambuc. an. pj.
cortic. aurant. ℈i.
cinnam. el.
caſſ. fiſtul. an. ℈ß.
fol. ſenn. Orient. el. ʒiij.
agaric. troch. ʒij.
gialapp.
rhabarb. elect. an. ℈iiß.
ſem. cartham. contuſ. ℈iij.

Inciſa

Inciſa & contuſa coquantur ex ſ. q. *decoct. aperit. major.* Stent per noctem in loco calido; manè, repetitâ leni ebullitione & expreſſione, Colatur. ℥iij adde

ſyr. d. cichor. cum rhabarb. ℥i.
el. diaphænicon.
diacartham. an. ʒiß.
aq. phyſogon. q. ſ. pro aromatiſatione.

Detur potio pro una doſi. Huic tandem, aperto atque liberato à nimia excrementorum ſaburrâ corpore, quovis manè dedi drachmam unam ſequentis pulveris, qui

Pulvis laxativus & carminativus.

℞. *Pulv. fol. ſenn.* ʒiij.
rhabarb. ℈iiij.
crem. tartar. ʒij.
pul. gialapp. ℈v.
turbith. ℈ij.
ſal. abſinth.
cent. min. an. ℈iß.
flaved. cort. aurant. dulc.
recent. decorticat. ℈v.
raſur. ebor. ʒij.
ſem. aniſi
fænicul. an. ℈i.

Miſce: fiat *Pulvis*: quo aſſumpto alvus ter aut quater ſingulis diebus reſpondebat, flatusquè diſcuſſi evaneſcebant. Externam corporis regionem inungebat ſequenti *Linimento:*

Unguentum carminativum.

℞. *Unguent. carminat. Mynſicht.* ℥iß.
ol. laurin. ʒiij.
carui ʒi. Miſce.

Detur pro toto pro ventre, bis per diem, inungendo. Flatuum diſcuſſioni plurimum proderat ſequens *Mixtura*:

Mixtura Carminativa.

℞. *Aquæ nuciſt.* ℥i.
Zedoar. ʒvi.
ſpirit. cort. aurant. ℥ß.
aq. phyſogon. ʒvi.
ſyr. cort. aurant. ℥ß.
confect. alkerm. incompl. ʒij.

Miſc. Detur: de qua aliquoties unum cochlear ſumebat. Quâvis ſeptimanâ ſemel ſumebat *Pilulas* ſequentes.

Pilulæ.

℞. *Extract. diacartham.*
diacathol. an. gr. vij.
tartar. Schröder.
hydropic. Bont. an. gr. v.
reſin. ſcammon. cum ol. cort.
aurant. gut. ij. ſubact. gr. iij.

Cum ſ. q. *aqua phyſogon.* Miſc. f. *Pil. num. 9.* inaurandæ. Dentur pro una doſi. Quibus remediis, per quatuor ſeptimanas diligenter continuatis, atque congruo diætæ regimine obſervato, optima Baroniſſa convaluit.

Similibus ferè remediis reſtituta fuit Domina Anna Stutzin, Echinopolitana, ſexaginta quatuor annorum ætatem agens; quam anno 1677. quaſi è Cymba charontis eripui. Eodem modo alias quàmplurimas, utriusque ſexûs perſonas, tam nobiles, quàm ignobiles (quas omnes hic referre, nimis longum foret) pro rei exigentia, eâ tractavi diligentiâ, ut purgando, obſtructiones reſerando, flatuum materiam incidendo, educendo, flatus tum per interna, tum externa pharmaca diſcutiendo, viſcera corroborando, magnam hydropicorum partem ſanaverim; præſertim eos, qui viribus adhuc valebant, & incorrupta viſcera habebant. Huic autem operationi mirificè ſerviebant enemata, ſuppoſitoria. Et quamvis potior pars Medicorum, cum Galeno noſtro, dicant, cucurbitulam magnam, ventri appoſitam, in difficiliori flatuum diſcuſſione,

unicum quaſi eſſe remedium: ego tamen ingenuè fateor, me ejus operatione nunquam indiguiſſe. Sed & venæſectioni, in Tympanite, nullum reperio locum; cùm affectus à cauſis frigidis oriatur. Denique in tympanitis curatione in id unicè incumbendum eſt, ut ea adhibeantur, quæ ſtomachi conſervationi & digeſtioni ſerviunt; hic enim, præ reliquis corporis viſceribus, in hac ægritudine affectus, videtur omnem flatuum generationi ſubminiſtrare mineram.

Atque hæc fere ſunt, quæ, prolongandæ bonis omnibus vitæ cupidus, horis illis, quas tum à frequenti ad infirmos peregrè degentes excurſione, tum à ſedula domi ægrotantium cura vacuas habui, è diverſis probatiſſimìſque Authoribus ſelegi, &, in morem argumentoſæ apiculæ, certos in titulos, velut in quaſdam cellulas, diſtribui atque digeſſi. Ea quemadmodum doctis limatique judicii Viris placitura probè confido; ita imperitorum cenſuram, aut Zoilorum dentes, non magnoperè curo, aut reformido.

Ferendum nimirum eſt excelſo atque imperturbato animo etiam à me, quod effugere ne quidem præſtantiſſimis Archiatris eſt conceſſum. Eſt is ſæculi noſtri, Momorum feraciſſimi, genius; eſt ea hominum, etiam è trivio, quidvis carpendi cavillandiquè licentia; ut ipſum Apollinem & Æſculapium, ſi Medicinam exercerent, à dicacibus obtrectantium linguis haud immunes futuros mihi perſuadeam. Alii, quam ipſi penitùs ignorant, artem, neceſſariámque deeſſe Medicis queruntur ſcientiam, quaſi periculum illius facere meliùs poſſent Arcades, quàm Athenienſes; à quibus tamen approbari, & publico ſcientiæ teſtimonio condecorari omnes neceſſum eſt eos, quotquot Medici nomen cum dignitate ſuſtinent, artémque medendi palam exercent. Sunt, qui in Medicis praxim præ ſcientia deſiderent; quaſi verò praxis tutò ſuſcipi poſſit, quæ independenter à ſcientia exercetur, aut

certius ſcopum cæcus pro oculato Argo valeat attingere. Alii à Medicis imprudenter exigunt, quod omnem humani ingenii viriúmque excedit facultatem, dum vitam ab iis non ſolùm prorogari, ſed immortales reddi cupiunt, & valetudinem, quam ipſi nullâ victûs diætæquè ſervata ratione peſſum eunt, à Medico ſartam tectam volunt ſemper conſervari. At fruſtra ganeones ejusmodi, epulis cyathisque continuis aſſueti, longius ſperent ævum. Quare, ſi labefactam toties tot cruditatibus & indigeſtionibus valetudinem recuperare nequeant, id non artis Medicæ, ſed propriæ eorum ingluviei vitium eſt cenſendum. Alii denique, quaſi ſcientiæ Medicæ cum virtute non bene conveniret; Medicos impietatis ſugillant, & velut Atheos, quibus nullum, præter nummos, Numen eſt, criminantur. Ego, qui novi, quemvis ſuos manes pati, ſicut non omnes Medicos integros vitæ, ſcelerisque puros, aſſerere audeo: ita paucorum vitium omnibus attribui, aut labem, quæ Medicorum eſt, ipſi ſcientiæ Medicæ inuri non ſuſtineo. Eſt ſanè, ut ubivis aliàs, ita etiam in Medicina, ſuus virtuti locus; cujus exercendæ opportunam occaſionem ſi ſemper arripiat Medicus, audebit de probitatis palma in certamen deſcendere etiam cum iis, quos ſuo pietas gremio fovere & educare videtur. Quantæ charitatis opus eſt, infirmos, quos ſæpe amiciſſimi nauſeant, inviſcere, afflictos ſolari, viribus exhauſtos reficere, immanémque dolorum, quibus excruciantur, lanienam aut penitus avertere, aut ſaltem congruis pharmacis lenire? Quid? an majorem charitatem quis habere poſſit, quàm ſi animam ponat pro amico? At hæc tam frequens eſt Medicis, quàm frequens eſt, contagioſo morbo laborantes accedere, graves corruptósque aliorum halitûs excipere, putida aliorum ulcera & carcinomata non ſolùm oculis, ſed manibus etiam explorare. Hæc, & alia hujusmodi, dum, pro muneris ſui ratione, ægris impen-

pendunt obſequia, non raró propriam diſcrimini vitam exponunt, ut conſulant alienæ.

Quantæ jam opus tolerantiæ, in ægrorum gratiam noctes diesq; inſomnes ducere, amara pharmaca non raró prælibare, malé redolentia infirmorum conclavia ſubintrare, ægrotantium querelas & faſtidia ſine faſtidio audire, & plurima alia, quæ paſſim in cura ægrorum obveniunt, ſenſibus ingrata, nullo diſplicentiæ dato ſigno, quaſi ſine ſenſu tolerare; quin & ægrotantium dolores in ſe transferre, & cum infirmis infirmari? Quòd ſi dicas, hæc, & ſexcenta alia incommoda, Medicis reddi ſvavia, ob ſpem meſſis aureæ, quæ non minùs ipſos, quàm ſudore perfuſos alit Agricolas: reſpondebo, nimium vili abs te fieri Medicorum obſequia, ſi ea tantillæ mercedis ſpe, quæ ſæpe aut vana, aut exſpectatione & merito eſt minor, putas ex æquo poſſe compenſari. Aliud ſenſati Medici ſuis ſpectant obſequiis; ſublimiorem laboribus ſuis ingenuis præfiguunt ſcopum. Prodeſſe publico, homines Patriæ utiles ſervare, viros in utraque Republica conſpicuos, ad publicum ſcientiæ virtutisque exemplum, ab interitu vindicare, liberos parentibus, parentes liberis, maritos conjugibus, conjuges maritis in orbitatis ſolatium remediúmque ſervare, atque ita Numinis ter Optimi Maximi honorem procurare per vivos ſatagunt & contendunt. Quòd ſi in has curas ſedulò intentis Medicis offeratur aut ſtipendium publicum, aut privatum minerval aliquod; nemo id Medicis in ſubſidium vitæ, ſtatui ſuo competentis, acceptantibus poteſt jure ſuccenſere, qui novit, ne bovi quidem trituranti eſſe os alligandum, & dignum quemvis eſſe operarium, multò maximè valetudinis ſervandæ ſtudioſum, mercede ſuâ.

Ad hæc, cum ſæpius accidat, ut par impenſæ operæ pretium non rependatur; vel quia tenuis facultas par pari referre pauperes vetat; vel quia divites immodica habendi retinen-

tinendíque cupiditas, aut facilis accepti beneficii oblivio, æquum rependere non ſinit: infeliciſſimus, profectò, is foret Medicus, qui aliam indefeſſis laboribus curiſque ſuis mercedem non ſtatueret, quàm quæ vel à ſervis, vel ab illiberali manu exſpectatur.

Illum igitur prudens Medicus operæ ſuæ pretium præmiúmque ſtatuit, qui magna & copioſa merces eſt nimis, videlicet Deus: cujus honori & gloriæ omnes libri hujus apices cedere voveo & volo. Quòd ſi aliis quoque, quorum valetudini ſalutíque tuendæ hunc librum publicum luci commiſi, opellam meam probari advertero; animus ad auſûs majores creſcet, ſtudiúmque in me, quo bonis omnibus prodeſſe cupio, benevolus Lectoris benigni oculus mirum in modum promovebit. Vale, & hac meâ, ad longiorem vitam, Iſagoge, ſeu Manuductione, diu incolumis frue-re, quisquis eam oculis non hirquis leges.

INDEX

INDEX RERUM.

Abracadabra Sereni. 349
Acetoſellæ fæculæ laus. 249. 250
Acidulæ Egranæ. 296
Acidularum promotio. 297
Ægranæ acidulæ. 296
Ægrani fontis mineræ. 296
Ægrorum natura obſervanda. 623
Aër bonus bonum gignit ſpiritum. 376.
diverſus diverſæ naturæ prodeſt. 35
quomodo corrigendus. 40. 41
Aëris frigidi noxæ. 31. 32
humidioris incommoda. 32
intemperati damna. 31
neceſſitas. 30. 376
puri utilitas. 33
ſicci uſus. 32. 33
Aër in Peſte qualis. 33. 34
qualis conducat. 30. 31
vitioſus cur alios citius; alios difficilius inficiat. 33
Agarici vires. 277
virtus in venenis. 355
Alexipharmaca. 334. 335
qualia ſint offerenda: 368
Alimenta diverſorum diverſa. 43
homogenea non dantur. 208
Alimenta infecta morbos ſibi ſimiles pariunt. 494. 495
inficiuntur à fermento terræ. 485
Alimenti corruptio. 200
Alimentis heterogeneæ particulæ in ſunt. 197. quomodo noceant. 198. alimentum ab iis corrumpitur. 198. 199
Alimentorum heterogeneitas. 486
Alimentum duplex. 256
eſt triplex. 28. 29
Allii effectus.
Aloës ſuccotrinæ vires. 251
Alvum ſtimulantia. 210. 211
Alvus laxa bona. 332
ſegnior irritanda. 211
Ambitionis vires. 148 149
Ambræ virtus. 392. 393
Amoris deſcriptio. 137
immoderati miſeriæ. 137. 138
inſani hiſtoria. 138
moderati commoda. 137
Amor veſanus. 278. 279
Amuleta. 345. 346
ex Arſenico. 345. non videntur tuta. 345. 346
Hecatea damnantur. 347. 348
ex Mercurio. 345
prohibent jura. 348. 349
Amuletorum vanitas. 348. 349
Anaſarca. 612

Anaſarcæ balnea noxia. 623
Anaſarcæ cauſa aër frigidus. 615
 cibos ſumendi vitioſus modus. 616
 immediata. 614
 mediata, 615
 primaria hepatis refrigeratio. 614
 cura per Electuar. confortans. 625
  Nodul. laxativ. 624. 626
  Potion. laxativ. 226
  Pulver. digeſtiv. 626
   laxativ. 623. 625
 deſcriptio. 612
 diaphoretica medentur. 627
 diarrhœa cur proſit. 620
 diuretica proſunt, 628. quæ ſint, ibid. 629
 cur fœminæ obnoxiæ, 615
 duæ Indicationes: aër in illa qualis eſſe debeat: qualis cibus, 621. potus competens: exercitia & ſomnus qualia conducant. 622
Anaſarcæ ſigna aſſidentia, 620
  diagnoſtica. 618
  prognoſtica. 620
  ex urinis & pulſibus. 619
Anaſarca aliquando ſubitanea. 618
Anaſarcâ nemo facilè moritur. 620
Anaſarcam cur pariant evacuationes conſvetæ ſuppreſſæ, aut nimiæ. 618
in Anaſarca quando venæſectioni ſit locus. 628
Animalia pro cibo quomodo ſint nutrienda. 54
Animalium excrementa venenata. 311
Animi affectûs. 135. moderati utiles: excedentes peſſimi. 135. 136
 moderationis exempla. 146
 morbi flagella Medicorum. 137
 morbus quid ſit. 136. 137
Anni mutationes obſervandæ. 53. 54
Anticyra Inſula, patria hellebori. 290. 291
Antidota potentia. 343
Antimonii encomium, 388. de eo opinio Zwelferi. 388
 exhibitio cautelam requirit. 390. 391
 tincturæ præſtantia, 387. de ea Paracelſ. opinio. 387. 388
Antimonii tinctura forte medicamentum eſt. 390. cum prudentia danda. 388. 389
 vitri infuſi uſus. 226
Antimonium eſt tutum. ibid.
Aperientia ſunt calida. 634
Apozema deoppilativ. 649
Aqua ceparum River. 575
Aqua pro cereviſia quæ commodior. 68
 cinnamom. pro Potu. 451
 deſtill. confortativ. 381
Aqua Echinopolitana bey der langen Wand qualis. 63. ejus electio. 64
Aquæ corruptæ in Aſcite effectus. 639
Aquæ ferinæ ſtomachum non gravant. 296. 297
 fluviales cur malæ. 64. 65
 Duc. Lotharingiæ deſcriptio. 579
 malæ quæ. 63
 neceſſitas. 61
 nimis frigidæ damnum. 64
 paluſtres malæ. 63
Aquæ potabilis frigidæ uſus. 59. 60
Aquæ virtutes. 67
 uſus. 61
Aqua an nutriat. 66. 67. 68
 juniperina. 572. 573

Aqua pluvialis bona. 62. 63
pro ſpiritu ſalis coagulato. 679
tonitrualis mala. 62. 63
vitæ quid. 22
Aquarum acidularum uſus. 295. 296. quibus noceant. 296. earum differentiæ, ibid.
bonitas ex hominum valetudine judicanda. 65
differentiæ. 61. 62
Aqua ſtomachum calidum non gravat. 296
Arbor vitæ an ſit poſſibilis. 414. 415
Archeus quid. 610
Argumentum à raro contingenti non valet. 605
Ariditas vel areſcentia quid. 20. 21
Aromata ſtomacho amica. 56. 57
Arſenicale amuletum non videtur tutum. 345. 346
Arſenicum quomodo ſit alexicacum. 345
Arthritici dolores cur certo tempore redeant. 438. rationes. 439 quandiu durent. 436. cur per ſe ceſſent. ibid. 437. an ſint curabiles; vel non. 440. 441
Arthritici doloris cauſa. 436. ſecundum Hippocrat. Fernel. Author. 435
Arthriticorum curatio in evacuatione. 453. 454
pilulæ anti-podagricæ. 454
potio laxativ. 455
pulvis purgans. 454
Arthriticorum articulorum inunctio. 470
curatorum exempla. 441. 442
dolorum cauſa an manifeſta, vel occulta. 440
Arthriticum dolorem lenientia cataplasmata. 472. 473. quoties renovanda. ibid. ol. 7. flor. Minſicht. unguent. Timæi. ibid. urina humana. ibid. 474. ol. oſſium humanorum. ibid. emplaſtrum antipodagricum. ib. interna. ibid. 475. ſal viperin. ibid.
Arthriticum dolorem pariunt certi cibi. 439. 440. ſedantia interna. 476. artemiſiæ virtus ibid. decoct. capon. ibid. 477. Notæ. ibid. rad. Chin. ibid. enemata an adhibenda. 478
Arthritidis definitio. 434
diverſa nomina. ibid. ſubjectum. ibid.
diverſæ Autorum ſententiæ. 435
Arthritis. 432. quale malum. 433
Aſcites; unde dicta. 629. nimùs eſt periculoſa. 640. cur ſequatur febres acutas. 632. cur fiat incurabilis. 634. quando ſit incurabilis. 639. quæ curationem recipiat. 640
Aſcitici cur parum edant. 636. qui faciliùs curentur. 640. leniter ſunt purgandi. 643
Aſciticis ſunt flatûs copioſi. 656
ſitis prodeſt. 642
Aſciticorum aër. 641. cibus. ibid. potus. 642. excretiones, motus, pathemata, ſomnus & vigiliæ. ibid.
curatorum Catalogus. 661
difficilis reſpirationis cauſa. 638
ſitis cauſa. 637
urinæ paucitatis cauſa. 638
Aſciti non conducit venæſectio. 643
Aſcitis cauſa. 630. variæ de eâ ſententiæ. ibid. Cardani. ibid. Poterii. 632. an ſit calor. 631. poteſt eſſe mediata. ibid.

Aſcitis cauſæ antecedentes. 635
hepatis refrigeratio. ibid.
cura Autor. per Clyſter. 640. potion. laxativ. 646. nodul. laxativ. ibid. pulver. laxativ. 647. 649. 651. 655. electuar. confortans. 647. 650. 654. mixtur. corroborant. 648. apozema deoppilativ. 649. trag. confortant. 653. pilul. 653. decoctum ſpecificum. 656
curand. Indicationes. 641
curatio duo requirit. ibid.
deſcriptio. 629
effectus. 599 600
medicamenta ſenſibiliter & inſenſibiliter operantia. 643
ſigna diagnoſtica. 636
prognoſtica. 638. 640
in Aſcite deſperatâ quid faciendum. 638
victûs ratio. 658
Aſtra inclinant; non neceſſitant. 35
ritè conſtituta vitam tuentur. 36. 37
Aſtrologia confert ad medicinam. 439.
ejus neceſſitas. 37
Atræ bilis tertiæ ferocia & morbi 265. 266 269
quartæ origo. 269
Atriplicis hortenſis uſus. 243. 244
Audaciæ origo & laudes. 142
Aurium excrementa non ſunt impedienda. 127
Auri exhibendi & præparandi modi. 427. 428
potabilis diverſi faciendi modi. 428
præpatio & commendatio Autoris. 428 429
virtutes. 424. 425
de Auro Paracelſi ſententia. 427
Aurū commune an medicinæ ſerviat. 425. 426. Zwelferi objectio. ibid. Philoſophorum Medicinæ non ſervit. 427. potabile cum electione eſt exhibendum. 429

B.

Badenſium thermarum virtutes. 297
Balnea artificialia in Arthritide. 468. 469. 471. quo tempore proſint. 469. ſpecies pro Balneo. ibid. 470. quomodo componendæ. ibid.
Balneorum aquæ dulcis encomia. 300. quibus, & quomodo ſerviant. 301. 302. propria experientia. ibid.
Balneum juniperinum arthriticum. 470. 471
Bezoar lapidis vires. 337. à quibus Autoribus refutentur. ibid. 338. 339. Zwelferi admonitio. ibid. rarò eſt genuinus. 339 340
Bezoar lapis in Peru datur; ſed rarus. ib. 341. ejus uſus. ibid. quæ loco ejus adhiberi poſſint. ibid.
Bilem flavam degenerare facit calor. 233. 234
præſervandi & curandi methodus. 242. 243
Bili contraria victûs ratio. 243
Bilioſi calidis cibis offenduntur. 244
Bilioſi ſæpius purgandi. 245
Bilioſis potus qualis conveniat. 244
ſomni tempus conveniens. 244. exercitium. ibid. excretiones. ibid. animi affectûs. ib. 245
Bilis æruginoſa ex porraceâ magis aduſta. 238. ejus cauſa depravatus hepatis calor.

ſor. ibid. malitia. 239. 240
Bilis aſſatæ incommoda. 234
atra verè dicta an detur. 266. ejus effectus. ibid. 267. 268. & malitia. 268. 269
degenerantis qualitates. 489
flava quomodo fiat p. n. 233. ejus officium, & uſus, 232. 233
glaſteæ etymon & origo. 241. malitia, ibid. 242. atræ tertiæ ferocia & morbi. 265. 266. quartæ origo. 269. 270
Bilis neceſſitas. 214
porracea cur ſic dicta. 235. 236. ubi naſcatur. 236. in ſtomacho nunquam. ibid. 237. longè deterior eſt vitellinâ. 236. 237. in hepate & venis naſcitur. 237. gravium morborum cauſa eſt. 237. 238
Bilis præternaturalis. 231. corpus corrumpit. ib. quot pariat morbos. 231. 232. quid ſit. ibid. differentiarum correſpondentia. 242
vitellina plurimarum febrium cauſa. 234. 235. ejus generatio præpedienda. 235
Boli Armen. vis alexipharmaca: & modus exhibendi. 335. 336
Bolus laxativus. 558. 559
purgans. 590
ſomniferus. 513. 514
Bronchocele ab aquis ſpecificis. 65
Bryoniæ radic. uſus. 227

C.

Cacochymia cauſa febrium malignarum: quid. 329. ut tollenda, ibid. 330 quibus remediis, & quoties per annum purganda. 330
Cacochymiæ ſodes. 330. 331
Cadmia quomodo fiat. 395
Calculi cauſa. 13. interna. 544. procatarctica. 542
Calculi in exterioribus corporis humani partib. 537. definitio. 537. 538. Autoris. ibid.
Calculi cauſæ non ſola vis lapidifica ſufficit. 545. ſeqq.
Calculi ubique in corpore generantur. 534. in capite ibid. in oſſe cribriformi. ibid. 535. in lingua, ibid. an in oculis & aurib. 535. pulmonibus. 536. in ſuperiore orificio ventriculi. ibid. in inteſtinis. ibid. in venâ cavâ. 536. 537. in renibus, & veſiculâ fellis, 537. in hepatis panniculo. ibid.
Calculi præſervatio, 586. præſervativum limoniorum ſuccus. 594
Calculi cur in renibus & veſicâ generentur. 540
renum longè durant. 554. prognoſtica. ibid.
Calculi ſigna, 547. 548. dolores vehementes unde, 548. ſtupor cruris. ibid. teſticuli retractio, ibid. 549. arenularum excretio, 549. eſt fallax, ibid. diſuria quando, 549
Calculi per ſuctionem evulſio, 584. 585. exemplum, ibid. veſicæ exemplum. 554. 555. ex veſicâ excisio, 585. quando ſecura, ib. 586. in virgâ hærentis incommoda, 483. quomodo ſit amovendus, ibid. balneo curatur. ibid. exciſio, 585
Calculo expellendo viæ ut lubricandæ, 560. 561. decoctum lubricans, 561. Julapium ſitim ſedans, ibid. decoctum

Foreſti, ibid. 562. externa lubricantia, cataplaſmata, ibid. 563. emplaſtrum, ibid. balnei æquæ dulcis utilitas, 564. Nota de eo, ibid. 565. inunctiones, 565. 566. Autoris. ibid.
Calculo præſervando potus purgans, 595. nodulus laxativus, ibid. 596. venæſectio prodeſt, 596. potus, ibid. 597. juſculum, ibid.
Calculo ſenes cur obnoxii, 545. vomitus convenit, 590
Calculoſis qualis aër profit, 587. cibus qualis, ibid. 588. noxii, ibid.
Calculoſis alimenta proficua, 587. 588. curæ vitandæ, 589. 590
Calculoſorum diæta, 588. 589
potus, 588. 589. frigidæ prodeſt. 589
purgatio, 590. 591. per bolum. ibid.
pilulas, 591. potionem. 592
renum inunctio, 589
Calculo curando an venæſectio conveniat, 559. 560. quando, ibid.
Calculo veſicæ emplaſtrum, 580
unguentum, 580. 581
Calculo urgente non fortiùs purgandum, 559
Calculum frangens ſpeciale ſal vitriol. ſublimatum, 569
frangentia, 568 Minſicht, 569. qualiter operentur. 560
Calculus in collo veſicæ curatur balneo, 584
Calculus, 533. ejus dolores ſæpe fatales, ibid.
ſi hæreat emolliontia proſunt, 584
movetur equitatione, 583. 584
Calculus omnibus infeſtus, 534. producitur ab occultâ qualitate, 538. nec ſufficit calor ſolus, ibid. 539. cur helluones non infeſtet. ibid.
Calculus quis in renibus generetur, 540, 541. an in veſica generari poſſit, ibid. 542
renes lædit. 553
veſicæ viris periculoſior. 554
Calidum innatum an medicamentis ſit reſtaurabile, 373. 374
quid ſit, 6. naturâ eſt mixtum. ibid. ejus nutrimentum, ibid. non eſt adventitium, ibid. ſed inſitum, 7. & primum naturæ inſtrumentum: ibid. à quo conſtituatur. ibid.
Calor actionum opifex, 15. Helmontii objectio. ibid. 16. ſolvitur, ibid. ejus alii plus; alii minus habent. ibid.
Calorem nativum negat Helmont. 13. & ejus virtutem, 14. eum aſſerit, 15
Calor & frigus naturæ inſtrumenta, 539
Calore inſito pueri differunt. 17
Calor innatus an ſit elementaris, vel cæleſtis, 12. eſt utrique analogus, ibid. in hyeme fortis, & in æſtate debilis, ibid. eſt blandus, 13. quî differat ab alimentari, ibid.
Caloris inſiti conſervatio. 26
Caloris pabulũ eſt humor, 4. nativi ſedes. 8. peregrini effectus, 601
ſedes cor, 14
Calor nativus quid: & de ejus natura, 9. omnia peragit, 10. eſt Autor nutritionis, ibid.
Calor omnia regit, 10. eſt virium ſubſtantia, 10, 11. formavit animal, ibid. ab eo ſunt omnes actiones, 12

Calor naturalis eſt vitæ radix, 4
Camelarum lac: ſerum: & urina, appropriata diuretica.
Camphoræ laudes, 336. cujus ſit qualitatis. ibid.
Cancri ab atra bile incurabiles, 260, 261
Cantharides pro hirudinibus quandoque ſumuntur, 195. 196
ſunt Muſcæ Hiſpanicæ dictæ, 195. 196.
Capitis dolori medentia, 371
Caput morborum radix, 202
Carminativa ſunt calida, 634
Carminativi ſacculi, 516, 517
Carolinarum thermarum virtutes, 298
Caſeus calculo producendo aptus, 543
Caſſiæ vires, 250
Caſtrati debiles, 21
Cataplaſma contra calculum, 579
Catarrhi cauſant morbos, 200, 201. quid ſint: & quomodo accidant. ibid.
Catarrhorum pars mandans, 201. 202. recipiens, duplex, 203. ob debilitatem. ibid.
Catarrhoſarum fluxionum viæ, 203. 204
Cavillatores reprehenduntur, 240. 241
Ceparum aqua River. 575
uſus ad calculum, 580
Cerebri temperies, 202
Cerebrum frigidi & glutinoſi ſedes, 202. 204
Cereviſiæ quæ aqua commodior. 68
Cereviſia hordeacea an humectet; an ſiccet, 69. 70. 71
ex hordeo & tritico bona, 73
Cereviſiæ hordeaceæ vis, 69. humectat, 71
triticeæ prærogativa, 72
Cereviſia ad Potum quæ aptior, 73
Cereviſia quid, 68. ejus differentiæ, ibid.
Cervi lacrimæ effectus, 365
Chalybeata medicamenta, 303. 304
Chalybis effectus in melancholicis affectibus, 302. 303
Characterum an aliqua ſit efficacia, 347
Chinæ rad. virtutes. 477
Chologoga compoſita, 251
leviora, 250
purgantia ſimplicia, ibid.
ſimplicia, alterantia, 249. compoſita, ibid. Chymica, ibid.
Chymiæ excellentia, 394
exiſtimatio, 430
Chymia qualis ars, 393. 364. transmutat metalla, 394. nunc eſt perfectior, quàm olim, 398
veteribus an fuerit nota, 394. 395. 397
Cibandi tempus quod, 52
Cibi conſueti optimi, 43. 44.
exquiſitè præſcribi non poſſunt, 49
humanis manibus contrectati an abhorrendi, 58
immoderati incommoda, 616
neceſſitas, 41
optimi quales, 54. 55
Cibi & potûs quis ordo ſervandus. 50
qualitate peccantis mala, 616
quantitas, 45. an qualitas plus noceat, 49. 50
rarò ſunt temperati, 42
Cibis dulcibus multi læduntur, 51, 52
Ciborum correctio adhibenda, 56
ſubſtantia conſideranda, 42
Cibus nimius nocet, 46
qualis eſſe debeat, 47. 48
quis bonus, 41. 42

ſenum qualis eſſe debeat, 48
Clyſteres emollientes, 557. 558
fortes noxii. 479
quales & quando injiciendi in febrib. malignis, 356
Cnici ſeminis uſus, 227
Coctionis primæ vitium non corrigitur in ſecundâ, 435. 436. 544. tertiæ excrementa expurganda. 212
Colica, 402. 483. ab aëre peſtilenti, 484. 485. ſentent. Helmont. ibid.
biliosa. 489
ab induratis fecibus, 491
inteſtinorum externis tunicis cauſata. 517. 518
ex lapide, 491
ranis in corpore genitis, 492
vermibus, ibid.
Colicâ cur aliqui moriantur, 517
Colicæ bilioſæ curatio, 521. quid in hujus cura ſpectandam, 522. per apozema deoppilativ. 528. 529
potum laxativ. 525
clyſterem anodynum, 523
lenient. 522. 523
pilulas, ibid.
potiones laxativas, 524. 525
vomitus an conducat, 525, 526. quando proſit, ibid.
anti-Colica diverſa, 508. externa. 515
Colicæ bilioſæ ſigna, 498. ſitis & vigiliarum cauſa, ibid. 499
Colicæ cauſæ, 487. varietas ſententiarũ, ib.
procatarcticæ, ibid. 488
definitiones, 483. Jonſtoni, ibid. Helmont. 484. Autor. ibid.
interna cauſa continui ſolutio, 488
medrata, ibid.
Colicæ cura per Clyſterem ex veronicâ, 503. cum jure vervecino, 520. vino Malvatico, 503. per fotum, ibid. 521. linimentam, ibid.
à flatibus curatio, 518. per appoſitam ventoſam. ibid.
ſigna, 499. ab induratis fecibus, 499. 500. vermibus, ibid.
Colicæ graviſſimæ exemplum, 491. hiſtoria à flatibus, ibid.
Colicæ Moravicæ cauſa tartarum, 493. 494
paſſionis horrendi effectûs, 490
pituitoſæ ſigna, 498
remedia unde, 501
Colica paralyſis cauſa, 531. quomodo, ib.
ſententia Autoris, 532
periculoſiſſima quæ, 500. quæ non ita, ibid. 501
quare tam maturè curanda, 501
Colicæ recidiva, 518. 519, ejus cauſa, 527
ſigna diagnoſtica. 498
diſtinctiva. 496
à nephriti & calculo differentia, 496. 497
paſſione iliacâ, ibid.
prognoſtica. 500
Colici dolores unde, 482. 483. eorum crudelitas, 483
doloris cauſa pituita, 488. 489
effectus, 510
ſigna. 497
Colicis clyſteres lenes in principio dandi, 503. 504. decoctum galli veteris, 506. 507. cur proſit, 507. 508. tragæa ſtomachal. ibid. medicamenta ſpecifica. ib. an eme-

an emetica dare liceat. 505. quando danda: & quando non, ibid. 506. potio emetica, ib. narcotica an conveniant, 509. alvo laxâ conveniunt, ib. 510. cur danda, ib. purgantia cur dari debeant. 504
Colicorum diæta, 530. à cauſa frigida, ib. vermibus oppoſita, 531
Colicos purgans potio, 505
anti-Colicum emplaſtrum Sylvii, 515, 516
Concoctio quot horis opus habeat, 53
Conſvetudo in cibo & potu obſervanda, 44. 45
Corallatum dulce Mercurii diaphoreticum, 19. 20
Coralliorum magiſterium ſolubile præſtat tincturâ, 384
occultæ vires, 383. 384
Coralliorum tincturæ uſus, 383. vix datur. ib. virtus. 392
Cor caloris ſedes, 14
Cordis vires confortantia, 392
virtus incognita, 333. 334
Cordi ut ſuccurendum in febribus malignis, ibid.
Cor innati caloris fons, 374. in medio corporis reſidet. 375. virium ſedes, 374. ejus primaria actio: & ejus actione læſa, omnes actiones læduntur. ibid.
Cornu Monocerotis an detur, 365
Corporis arcana mira ſunt, 605
cognitio illud conſervat, 213
habitus plenior tollendus, 163
languor unde, 10
dum vivit, alia; alia, dum mortuum eſt, conſtitutio, 605
totius mirus conſenſus, 617
Corporum compoſitio unde, 495
Corpus hominis cur mortale, 59
Corruptio rei optimæ eſt peſſima, 261
Croci olei virtus, 304
Cruditatis cauſæ, 53
Cucurbitulæ quò loci ſint imponendæ, 188. 189. flatûs diſcutiunt, ibid. menſes ſiſtunt & provocant. ibid.
medentur hæmorrhoidibus, 189. 190
repletionem demunt, 118
ſanguinem è toto evacuant. 186. 187
Cucurbitularum uſus, 190. 191
Curarum melancholicarum incommoda. 149. 150
Cuſcutæ vires, 289, 290

D.

Debilibus fortia nocent. 389
Decoctum alexicacum, 344. ejus uſus, 345
ant-Aſciticum, 656
per catheterem injiciendum veſicæ, 582
purgans Sorbait, 292
Dejectiones ſinceræ malæ, 241. 242
Delirantes cur uni rei inhæreant, 280. 281
Delirantium ſpecies, 273, 274
Deliria portentoſa. 280
Deliriorum cauſa Galeni & Averrois, 274 ſeqq.
Deſidia vitam abbreviat, 80
Detractionis & adjectionis utilitas, 159. 160
Diætæ præſtantia in curando.
Diaphoretica medicamenta, 230. 363. certa omnibus ſtatui non poſſunt. 363. 364

quæ in Anaſarca benefaciant, 627
Diaphoretica ſimplicia, 364. 365. ex animalib. ibid. compoſita, 367
Diaphoreticum Schröderi, 467. ejus uſus, ibid.
Diarrhœa cur proſit, 620. non omnis eſt ſalutaris, 621
Divinationes ex ſomniis fieri non poſſunt, 112
Diuretica medicamenta, 593
non ſunt miſcenda purgantibus, 559
eorum uſus, 368. 369
Diureticus potus, 593. 594
Dolore mortui, 432. 433
Dolor omnibus communis, 432
quale malum, 433
Dulce in cibis quomodo ſit intelligendum 52
Dyſenteria ab atra bile incurabilis, 261

E.

Echinopolis incolæ cur diuturnæ vitæ, 39. 40
quibus morbis obnoxia, 39
Electuar. confortantia, 377. 378. 379. 647. 650. 654
Electuarium anti-melancholicũ, 304. 305
humoris melancholici eradicativ. 292
mitigativ. 478
ſpeciale, 343. 344
Elixirii differentia, 385. 386
Elixir juniperin. Schröder. 573
proprietatis vires, 386. quid: & quæ ejus virtus, 385. ejus operatio in ſpiritu, ibid. 386
Emetica circumſpectè adhibenda, 246. ſeq
Emeticæ potiones, 527. 556
Emetica indifferenter humores evacuant, 247. 248
medicamenta, 226
Emeticorum cautela, 459. 460
Emetico ſumpto quid faciendum. 460
Emeticus pulvis Zwelferi, 457. 458
Empiricorum proſcriptio. 305. ſeqq.
Emplaſtr. de bacc. lauri: ejus uſus. 515
cancrinum Craton, 579. 580
carminativi Minſichti virtus, 564
nervinum, 479. 480. ad veſicæ calculum, 580
Endemii morbi, 39. eorum cauſæ, 542
Enemata partes confortant, 478
Enematum emollientium exempla, 479
Epilepſia à vi occulta, 487. ſententia Avicenn. ibid.
Epithemata nimis refrigerantia cautè adhibenda. 369
Epithematum utilitas, 369
Epithymi Cretic. vires, 289
Evacuationes quomodo inſtituendæ, 623
Evacuatio multa nocet, 52
nimia noxia, 453
Evacuationis artificioſæ & opportunæ encomium. 206
Evphorbium æquale purgans, 227. Arthricorum Theriaca, ib. uſus, ibid. 228
Exceſſus damnandus, 59
omnis malus, 50
Excrementa aurium non ſunt impedienda, 127. narium retenta ſunt mala, 126. 127
retenta putreſcunt, 120. 121
Excrementitiorum ſuccorum mala natura, 216. 217
Excreta quæ dicantur, 115
Exercitationes ſunto conſvetæ, 90. 91

Exercitationes partiales, 87. 88
Exercitationis differentia, 84
genera varia, 86. 87.
tempus quod. 88 89
Exercitationum mediocrium uſus, 87
Exercitatio optima quæ, 83. 84
poſt cibum an conveniat, 89. affirm. exemplis, ibid. 90
qualis eſſe debeat, 85
Exercitii modus. 85. 86
Exercitium delicatorum 35. quale eſſe debeat, 82. 83
Exercitium quid, 81. ejus neceſſitas, ibid. utilitas, 81. 82
Exercitatio cacochymicorum, 86
conſveta eſſe debet. 84. 85
Extracta phlegmagoga, 229
pilulis ſunt meliora, 228. 229
Extracti cordialis Noriberg. laus. 369
F.
FÆminei lactis virtus, 391
Febribus malignis publicè graſſantibus quid faciendum, 364
Febris maligna quæ, 321. 322, 323
pemphygodes 322
Febrium malignarum augmentum an purgationem poſtulet, 353, 354
cura cur difficilis, 350. ſollertem Medicum poſtulat, ibid.
principium requirit purgationem, 353
Febrium peſtilentialium cathartica benigniora, 355
ſynocharum tres differentiæ. 235
Feces retentæ ilei & coli doloris cauſa, 123
Fecum mora in corpore periculoſa, 208
alvi retentio mala, 120, 121, morboſa, 121
Feculæ acetoſellæ vires, 249, 250
Fercula multa multos generant morbos, 669
Ferdinand. III. Imperator. amator Chryſopœiæ. 394
Fermentum vitale quid. 14
Fertilitatis & ſterilitatis cauſæ, 38. 39
Flatûs diverſos faciunt morbos, 633
Flatus eſt frigidus, 667. à frigida oritur cauſa, 668
Flatûs generant cibi concoctu difficiles. 225
diverſos faciunt morbos, 633
graves cur excitent colicas, 490
graviſſimorum malorum cauſæ, 121. ſeq.
quomodo generentur, 663. diverſorum Authorum mentes, 664. 665
Flatuum diverſi effectus, 663. 664
effectûs, 490
generatio, 121
incommoda, 209. 210
origo, 633
retentorum incommoda, 478, 479
Fœniculi virtus, 391
Fœtus lapideus, 537
Fortia debilibus nocent, 389
Frigida obſtruunt, 634
Fumariæ vires, 289. 290
G.
GAleni defenſio Autoris, 395
laudes, 396. 397. 398
ſententiæ absque ratione non ſunt deſerendæ, 603
Galenus Chymiæ gnarus fuit, 396. futilis Blatero Crollio, 395. Helmontii in cum convitia, 395
Galli veteris decoctum, 293. 294
Gaudio mortui, 135

Gaudium immoderatum vires diſſipat, 139
quid, 138. 139. ejus vires, ibid.
Gutturones ob aquæ malignitatem. 65

H.

HÆmorrhoides ritè fluentes bonum. 129
capitis dolori medentur, 193
melancholiam tollunt, ibid.
phrenitidem curant. ibid. 194
Hæmorrhoidum beneficia, 361. 362
fluxus morboſus, 119. 120. quibus ſalutaris, 129. 130. retentio graves morbos generat, 129. 130
Hellebori nigri effectus, 290, 291
Hepar confortantia, 658. Mixturæ, 659
Hermodactylorum uſus, 227
Hippocratis jusjurandum, 586
Hirudines apponendi & auferendi modus 194. 195. quibus ægris applicandæ. 196
ubi applicandæ, 362
deplent ſanguinem, 118
præſervant & curant, 196
quibus locis apponendæ, 196
ex venis majoribus & minoribus evacuant, 192. 193
vicariæ venæſectionis, 361
Hirudinum beneficia, 194. electio, ibid. & quæ præferendæ, 195. opera, 192
Hordeaceæ cereviſiæ effectus laudabiles, 71. illaudabiles unde, ib. 72. ejus vis, 69
Hordei cremor. virtus, 243. 244
qualitates, 69. 70
Humidi radicalis alimentum duplex. 26. 27. ſanguine optimo nutritur, ib. 28
conſervatio, 26. 27
Humidum radicale quid, 18. 22. Helmontius negat, 18. non regeneratur: & cur 24
Humores in corpore latere ſoliti qui, 212. 213
crudi morboſi, 158
putridi generant venena, 158. 159
qualiter in abdominis ſpatia defluant. 611
Humores qualitate & quantitate nocent, 158
Humor per quas vias in abdomen defluat, 611
Humorum differentia, 213
neceſſitas, 214. 215
excrementitiorum opportuna detractio, 196. 197
putredo qualiter accidat, 601
Hydragoga medicamenta. 644. Mixtura vel lixivium Höferi, ibid. pilulæ, 653
Hydropici qui deſperati, 602
Hydropicis multis diſſectis integrum fuit hepar, 604
Hydropicorum aquæ quomodo in abdominis ſpatia defluant, 611. ſitis cauſa, 600. 637. 666
Hydropis cauſa an ſint renes. 605. 606. non ſunt hydropis cauſa immediata. 608. ſed occaſionalis, 609. eſt hepar malè affectum, 602. Galeni ſententia, ib. 603
Hydrops poſt febres longas & acutas, 607
à menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſione, 606
cur ab hepate generetur, 603
quando naſci non poſſit, 604
Hydrops. 597. 598. peſſimus morbus, ib. quid, 598. 599. cur ſequatur affectum hepar. 603
Hypochondriaca inveterata curatu difficilis, 281. 282

Hypo-

Hypochondriacorum vaporum mala, 270. 271. epilepſia, 271. 272. mentis perturbatio, 271. vertigo, ibid.

I.

Ictûs venenati noxii, 311
Ignari facilè decipiuntur, 609
Ignaviæ vituperium, 93
Inanitionis & repletionis mala, 607
Incantationes frivolæ, 348, 349
Inediæ effectus & nocumenta, 47
Inflammationis ſigna, 499
Infuſum purgans Timæi, 292
Inſomnia quid indicent, 108. 109. 110. non ſemper ſunt ſpernenda, 109. 110. ſaniora, 110. 111
Intemperantes non ſunt curandi, 587
Inteſtinorum inflammationis cura, 529. per venæſectionem moderatam, ibid. 530. non eſt purgandum, 530
Inteſtinorum & veſicæ correſpondentia, 208. 209
Invidia & avaritia amicæ, 147. & earum effectus, 148
Inunctio Aëtii, 367. 368
Iræ mala, 143. 144
Ira graves cauſat morbos, 143
Iram facientia tria, 143
Irâ mortui, 144. hiſtoria, ibid.
Ira non omnibus obeſt, 146. prodeſt cachecticis, 146. 147
Ira quid. 142. 143
refrænanda. 145
Juſjurandum Hippocr. 586

L.

Lac calculoſum eſt, 544
conducit bene purgatis, 481. 482
non omnibus prodeſt. ibid.
Lacrimæ cervi effectus, 365
Lactis aſinini & caprini ſerum, 294. 295
fæminei virtus, 395
uſus in cura podagræ, 481
Lætitia cordis, 140
Lapid. bezoar virtus, 365
Philoſophicum non habuit Salomon 418
Philoſophorum probatio vera exigitur, 412. 413. opinio Hermeticor. infirma, 415
Lapis Philoſophorum, 393. eſt ignis conſumens, 423. an ſit Panacea, 418. 419. non omnes curat morbos, ibid. 420. Crollius convincitur, 420. 421. 422. Helmontii excuſatio nulla, ibid. 423
Lapis Philoſophorum probatur, 411. reſponſio ad primum argumentum: reſponſio ſecunda, 412. tertia. 414
Lapis Philoſophorum quid, 409. mira ei data virtus, ibid. ejus laudes: per Crollium: Lullium, 410. Roſarium: Venturam Venetum. 411. vix datur: & cur, 415. de eo non conveniunt Hermetici, 418
Laudani opiati vis, 477. 478. Zwelferi, 477. 478
Lenientia quâ cautione adhibenda, 472
Levcophlegmatiæ immediata cauſa, 614. mediata, 615. aër frigidus, ibid. cibus, 616
Leucophlegmatia quomodo fiat, 613. 614
Lienis acidum degenerans eſt venenum, 551
magni putridi hiſtoria, ibid.
Lien melancholiæ receptaculum, 257. 258

ſtomacho cur incumbat, 107
Limoniorum ſuccus à calculo præſervat. 594
Linguæ ariditatem tollentia, 371
Λιθίασις, 537. 538
Lithontriptica Autoris, 569. 570
Lithontripticæ potiones. 577, 578
Lithontriptica externa, 579. ſpecialia, 573. calida nocent, ibid. fortia non ſunt tuta, 574. corporis purgatio præmittenda. 575
Lithontriptica Timæi, 575. 576
Lithontriptici ſpiritûs, 576
Lithontripticus pulvis Zwelferi, 572. alius, 576
Lixivium hydragogum Hôferi, 644
Longioris & brevioris vitæ cauſa, 37
Lumborum dolores quid indicent, 669

M.

Magicarum artium pœna, 348, 349
Malignæ febres duobus oculis opus habent, 351. 352
Malignarum febrium cura cur difficilis, 350. ſolertem Medicum requirit. ibid.
Malignarum febrium purgantibus refrigerantia alexipharmaca ſemper ſunt admiſcenda, 356
Mannæ Calabrinæ vires, 251
Marathri virtus, 391
Marcomanniæ mirabilis conſtitutio. 486
Marcomanniæ morborum cauſa, 543
Margaritarum efficacia, 392
quinta Eſſentia: & ejus encomium, 384
virtus, 365. 366
Margaritis ineſt excellens virtus. 384. 385
Maſſa contra colicam, 514
dyſenteriam, 514. 515
Maſticationis uſus, 42
Materia acris non ſtatim eſt calida, 437. 438
diſpoſita evacuanda, 417
turgens purganda, 352
Mechoacannæ vires, 227
Medendi vera Methodus, 430. 431
Medicamenta cuilibet terræ morbis propria, 211. 212
cuivis propria, 252
inquilina optima, 211
non ex pretio æſtimanda, 211
reſolventia, 455. ſales volatiles, ibid.
ſpiritûs roborantia, 376
ex vegetabilium genere, 289
Medicamentorum ratio, 288. 289, è triplici fonte ſumuntur, ibid.
Medicaſtri rejiciendi, 252. ſeqq.
Medicinæ præſtantia, 160
Medicina univerſalis non datur. 423
Medici officium quod, 445 446
prudentis nota, 204
quales eligendi, 308
Medicus circumſpectus eſſe debet, 372, 373
felix quis, 205
non temerè mutandus, 252. ſeqq.
perfectus quis, 429
Melanagoga ex animalibus, 293
mineralibus, 295
compoſita, 291. 292
ſimplicia. 289
Melancholia cauſa ſapientiæ, 215
corrupta gravium morborum mater. 259. oſſa nutrit, 256

Melancholiæ damna, 254
naturalis utilitas, 258 & ſingularis præſtantia, ibid. 259
neceſſitas, 214. 215
præternaturalis differentiæ quatuor, 261. 262
receptaculum lien, 257
Melancholia quid Avicennæ, 255. ejus naturalis temperies, ib. 256. quomodo dicatur frigida. 256. 257. ſanguinis fæx, & cur, 260, differt ab atra bile, ib. 261
Melancholici hummoris commoda, 259. & incommoda. ibid. 260
ſanguinis excrementa, 259
Melancholici morbi autumnales, 130
Melancholici inquieti. 277. quaſi obſeſſi, 254. prudentes, 257. ſuſpicioſi, 277. timidi, ibid.
Melancholicis conveniens aër, 284. ſomnus, 288. vinum an dandum, 286 287
Melancholicorum cibus, 284 285. quis ſummè noxius, 285. 286
deliria unde. 273. diverſæ ſpecies, 278
exempla, 279. exercitia: & quies. 288
pathemata, ibid.
phantasmata. 272 vigiliæ, 277. 278
Menſium ordinarii fluxûs commoda: & inordinati incommoda, 132. ritè fluentium beneficia, 131. 132. ſuppreſſorum morbi. 132. 133. tempus & duratio. 131
Menſtrua corroſiva eluenda, 383
nimia noxia, 120
Meuſtruus eſt fluxus muliebris, 131. 132
Mercurii diſtinctio, 399. 400
diverſa nomina, 404. 405. 406
Philoſophici deſcriptio. 402. quæ materia, 402, 403. 408
præparati uſus. 400. 401
de Mercurio diverſæ ſententiæ examinãtur, 403. 404. 405. 406. Autoris, 407. 408
Mercurius quid. 401
Mercurius naturalis & cæleſtis, 403. Quercetani error. ibid.
Mercurio Philoſophorum, 398. 399. duplex. 401. 402. quid. 401. vulgaris quid, & ejus temperies, 399. venenum. 400
Metu cani facti: hiſtoria mirabilis. 136
Metus effectus, 141
quandoque bonus. 141. 142
quid. 140
quomodo differat à triſtitiâ, 140. 141
Mictus ſanguinis. 550
Mineralia purgantia an in febribus malignis ſint uſurpanda, 354. 355
Mithridatii Regis mors, 316.
vires contra venena, 315. 316
Mixtura aſthmaticac. 652
carminativa, 684
pretioſa confortans, 380. 381. 648
urinam provocans, 652
Moravica vina colicæ nutricula, 495
Morbi cauſa inquirenda, 204
diverſi unde, 199
endemii à ſpecificâ qualitate. 494
graviores, graviora damna, 157
incurabiles, 419
inveterati difficiles curatu. 223
Morbo eodem cur non omnes afficiantur. 487
Morborum cognitio ſufficit ad curam 204 205
endemiorum cauſa. 542
Marcomanniæ cauſa, 543

mater, vitæ intemperantia, 586. 587
Morbus hominis ultimus aliquis eſſe debet. 253
Mors quid. 4. 315
Morſuli confortantes, 379
Morſus venenati, 311
Moſchi energia. 392. 393
Motu carentia putreſcunt, 80
Motus, 80
corporis referatur ad anni tempus. 91
vitam prolongat. 80
Mumia balſamica quid. 2
Muſcæ Hiſpanicæ ſunt cantharides. 195. 196
Myrobalan. citr. effectus, 250. 392
Indar. effectus, 289.
præſtantia, 377

N.

NArium excrementa retenta mala, 126. 127. effectus ab iis geniti. 127
Natura adjuvanda, 211
Naturæ miſera conditio, 432
providentia. 438. 439
Natura medicamentis adjuvanda, 623
mirabilis, 40
Natura morborum medicatrix, 22. 24. 555
quid. 23. ejus opera, ibid. definitio. ibid. providentia. 24
Nephriticus pulvis mirabilis, 570. 571
Nephritidi medendi methodus. 555. ſcopi qui ſpectandi, ibid. cur vomitus profit, 556. poſt vomitum quæ facienda, 557. an purgandum. 558
Nicotiana an ſit errhinum. 152
Nitrum Echinopolitanum, 63. 64
Nodul. laxativus. 624. 626. 646. 651. 677.
Nutritio fit ſibi ſimilibus, 27. 29
quid: & ex quo. 29

O.

OBſtructiones tollere arduum eſt. 475
Obſtructionis incommoda. 488
mala. 209
Odii deſcriptio. 138
Ol. croci virtus. 304
Olyra quid, 55. 56
Opiata vitam prorogant. 512
Opii uſus præſtans. ibid. 513
Opium an noceat. 510. calefacit, ibid. 511. 512. per ſe ſudorem movet. ibid.
Oſſis de corde Cervi virtus. 365
Otium menti nocet. 93. 94
vitæ officit, 94
Oxyrrhodina, 371

P.

PAnis pro cibo qualis eſſe debeat. 55
qualis cuilibet conducat. 56
ſiligineus optimus. 55
Paracelſi Chryſopœia. 394
Paracelſo Panacea univerſalis defuit. 421
Paralyſis cura hiſtorica. 142
Partes nutriuntur alimento ſibi ſimili, 27. 29. 213. 214
Partium alimentum an ſit ſanguis homogeneus, 215
conformatio à quo. 1
diverſitas alimentum diverſum poſtulat, 215
Pemphygodes febris, 322
Perlarum quinta eſſentia, 384
Perlis ineſt excellens virtus. 384. 385
Petechiæ an fuerint notæ Hippocrati. 322
Phalaja quid, 406. 407
Phlegmagoga compoſita, 228
extracta, 229
ſimplicia quæ. 227

Pilulæ anodinæ.
Francofurtenſ. 591
hydragogæ. 653. 657
narcoticæ. 513
anti-Podagricæ, 454. Autoris, 461
462. ordinariæ, 463
Pilulæ malè prunis induntur, 462
purgantes, 591 592. 595. 653. 657, 660.
684. Marci Marci, 462
Pilularum de tribus Peſtilentialium, ſeu Ruffi encomium, 333
in pleriſque febribus malignis uſus. 356
Piperis uſus, 57. quibus proſit. ibid. 58
Pituitæ neceſſitas, 214
præſervativa. 230. 231
proventum præcavens aër. 224
quatuor ſpecies. 217
Pituita excrementitia. 216. ejus evacuatio. ibid. 217. natura, ibid. inſipida, ibid. 218. ipſius ſedes, ibid. effectûs morboſi, 218. 219
purganda, 225
quales cauſet morbos, 221, 222
ſalſa quid. 220. 221. ejus origo quæ. 221
viâ quâ evacuanda, 501. 502. per Clyſteres, ibid. 503
viridis quid. 237. 238
vitrea cur ſic dicta, & unde orta. 222.
graves dolores colicos gignit. ib. 223
Pituita vix in præternaturalem tranſit, 263
264. præter naturalis cum atra bile mixtæ malitia & effectus. 264. 265
Pituitoſi quo victu cibandi. 224. 225
Pituitoſis morbis qui obnoxii, 223 224
ſudores proſunt. 229. 230
Plethora cauſa febrium malignarum. 328. ut tollenda. 329
Pleuritidis cauſa. 209
Podagrâ an fæminæ laborent. 445
Podagra proles Bacchi. 442
calida vel frigida an detur. 437
incurabilis cur dicatur. 443. 444
Podagram curandi difficultas ex triplici cauſâ: Medici, 442. ægrorum diſſimulatio, 442. ægorum diſſimulatio, 442. 443. & moroſitas. ibid.
Podagra in paucis cur curetur. 482
Podagræ balnea artificialia, 468. 469. 471 quo tempore proſint, ibid. ſpecies pro Balneo. 469. 470. quomodo coquendæ. 470
Podagræ optimum remedium diæta. 482
in Podagræ præſervatione quatuor facienda. 446. 447
Podagram non curavit Paracelſus. 444
Podagrici an ſint curandi. 445
Podagricis diaphoretica proſunt. 466. 467
ſcarificationes conducunt. 465. Objectio & Reſponſio. ibid.
Podagricorum diæta, 447. aër. ibid. 448. victus, ibid. 449. carnes, ibid. piſces, ib. 450. potûs obſervatio, 450. cereviſiæ electio, ibid. aqua cocta, 451. exercitium. ibid. quies, 452. ſomnus & vigiliæ, 452. excreta & retenta. 453. animi pathemata, ibid. venæſectio venalis. 464. 465. quæ vena ſecanda. 465
anti-podagricus Nodulus, 463. 464. pharmaca extrahentia. 465
Pœna quævis lentè capienda, 145. 146. hiſtoriæ. ibid
Polentæ præparatio, 70. 71
Polenta optima quæ. 69. ejus torrefactionis uſus. 69

Polypod. q. qualitates, 290
Pomi citri vis adverſus contagium. 334
Potatores valetudinarii, & brevis vitæ. 152
Potatorum pœnæ, 287. 288
rhythmi, ibid.
Potio laxativa. 626. 646
Potio lithontriptica. 577
Potiones emeticæ. 527. 556
Potio purgans, 592.593.676.679.682
ſudorifera. 467.468
Potûs commoda, 60 61
diureticus. 593
glacie frigefacti damnum. 59. 60
neceſſitas, 58. 59
purgans in calculo, 594. 595
Potus quid. 61
Præſervationis deſcriptio. 156
excellentia. ibid. 157
Præſervatio ad vitam longam. 154
in quo conſiſtat. 157. 158
Prophylactica externa. 345
Prophylacticorum internorum Autores. 344. 345
Prophylaxis quid. 156
Provincia quævis ſuos habet morbos. 39
Pſeudo-Medici rejiciuntur. 205
Pſyllii ſeminis vires. 250
Ptiſanæ laus, 71
virtus. 243
Pueri calore inſito differunt. 17
Pulmonum ulcera incurabilia. 20
Pulveres laxativi. 623. 625. 655
Pulvinariorum electio. 107. 108
Pulvis alexicacus, 336. digeſtivus, 626. 661 680. emeticus Zwelferi. 457. evacuans Autoris, 460. Septalii, 461. laxativus, 623.625.647.649.651. & carminativus, 683.
lithontripticus, 576.
Jacobi Wez. 572. nephritic. mirabilis. 570. 571
Purgandi qui, 226. 227
Purgantia alimentis non ſunt permiſcenda 591. 592.
phlegmagoga quæ, 226. 227
Purgatio. 206. primum Medicinæ inſtrumentum. 207. quid ſit. ibid. ejus utilitas. 207. 208
Purgationes fortes malæ: lenes bonæ. 331
Purgationis intermiſſæ, in febribus malignis, damna, 352. 353
opportunæ fructûs, 197
tempus & uſus, 331. 332
Purgationum neceſſitas, 199. 200
Purgatio an præmittenda venæſectioni, 182. 183. & quomodo. ibid. & 184. 185. quoties uſurpanda, 332. quibus medicamentis, 332. 333.
Putredo facilis quid doceat. 55
humorum eſt corruptio. 270
Putrida quo calore in caleſcant. 601

Q.

Qualitas maligna vitæ noxia. 371. 372
una alit alteram, 8
Qualitates omnia conſervant. 8
primæ quatuor. 3
Qualitatum amicitia & utilitas, 8
Quies quid præſtet. 92. quomodo competat. 91. ſalutaris quæ, 94. 95. ſit moderata. 92. 93
Quintæ eſſentiæ virtus. 382. 383

R.

Ranarum, in corpore humano, generationis cauſæ. 492
Remedia longioris vitæ, 154

Renes

Renes cur duo in homine. 549. 550. an ſint hydropis cauſæ. 605. hydropis cauſa immediata non ſunt. 608. ſed tamen occaſionalis, 609. quando ſuo munere ritè fungantur. 610
Renis ſiniſtri putredinis exemplum. 551
Renum alteratio unde, 610. facultas ſpecifica, ibid. officium, 540
Repletionem auferunt cucurbitulæ, & hirudines, 118
Repletionis & inanitionis mala, 607
nimiæ damna. 118. 119
incommoda, 116. 117
remedium venæſectio. 117
Res non-naturales ſex, 29. quæ. 30
Reſpirationis difficilis diverſitas, 602
difficultas unde. 601. ſeq.
Retenta quæ dicantur. 115
Retentio excrementorum mala, 120
fecum morboſa, 121
Retentum diutius ſemen putreſcit. 134
Revulſionis cauſæ, 188
Rhabarbari effectus. 251
Rotulæ confortantes. 379. 380

S.

SAcculi alexipharmaci. 546
carminativi. 516. 517
Sagapenum quale purgans: 228
Sal ad omnia neceſſarium & utile. 547
Salis effectus, ibid.
ſpiritus coagulatus laudatur, 249. 250. 678
vires & differentiæ. 386. 387
Sal viperinum, & ejus vires. 456, à Podagra liberat, ib. quoties adhibendum. ib.
Salomon, Rex Sapientiſſimus: eximius fuit Medicus, 416. 417. abſcondita novit. ibid. 418
Salviæ herbæ præſtantia, 391. 392
Sanguinem venenum fieri poſſe, 320
Sanguinis aquoſitas nimia quid ſignificet. 180
colores quid. 180. 181
concreti noxæ. 162, exemplum. ib. 163
conſiſtentiæ ſignificatio. 181
emiſſi examen. 178. 179. hujus uſus. 181
extravaſati damnum. 163
primus impetus obſervandus, 177. 178
profuſio nimia vitanda. 119
quantum emittendum, in venæſectione. 176. 178
taurini damna. 311
Sanguis in atram bilem tranſit. 262, 263
copioſior corrumpitur. 161. 162
an usque ad deliquium animi ſit detrahendus. 176, 177
copioſus morbos inducit, 161, 162
ex duplici cauſa perditur, 162
eſt heterogeneus. 29
homogeneus an omnium partium ſit alimentum. 215
Sanguis malus naturæ odio, 166
maternus, 7
moderatus prodeſt & è contra. 116. 117
niger non ſemper malus, 179. 180
quomodo excipiendus, 178
utilis & inutilis. 115. 116
Sanguiſugæ. 192
Sanitas magnum bonum, 206. 207
Saul, Rex, melancholicus, 254
Sanus ſanum generat, 17
Scarificatio duplici de cauſa adhibetur. 187
periculo vacat, ib. Lunâ decreſcente fieri debet. 191. & aliis temporibus, ibid. 192
Scarificationes venæſectionis vicariæ, 361

Scarificationi præmittenda purgatio. 187
188
Scarificationis commoda. 190. 191
uſus, 186
Scarificatio præpoſtera. 188
vulnuſcula profunda exigit. 188
Scientiæ habent ſua incrementa. 398
Scordii vires, 334. 335
Secreta cuilibet Medico propria. 645
Semen putrefactum ægritudines efficit. 134
à ſingulis partibus fluit. 17. 18
retentum diutius putreſcit, 134
Seminalis materiæ vis, 539
Seminis materia quæ, 21
Senæ folior, uſus, 291
Senes ut cibandi, 48. 49
ſunt frigidi. 16. 17
cur difficulter ſanentur. 553
Senii cauſa. 19. opinio Helmont. ib. refutatur, ib. 21. 22
Serum lactis aſininum & caprinũ. 294. 295
Sigillorum vanitas, 348. 349
Signorum fontes tres, 495. 496
morborum fallacia, 359
Siligo quid. 56
Simile generat ſimile. 14
Simplicia medicamenta non ſunt ſpernenda. 211
Sitim ſedantia, 370. 371
Sitis eſt appetitus humidi & frigidi, 59
in Aſcite cauſa, 637
hydropicorum cauſa, 600. 601
in hydrope non eſt ſignum evidens. 666
Sol eſt cauſa generalis. 15
Somni bonitas, 105
cauſæ primar. 96. 97
ſecundariæ, ibid. 98
definitio Autor. 96
Somni dignitas & neceſſitas. 98
ſuper dorſum noxa, 107
longioris noxæ, 104
moderati commoda. 98. 99
qualitas bona quæ. 106
tempus juſtum, 99. 100
Somniorum divinationes nullæ, 112
obſervatio Medico utilis, 111. 112
Somno qui diutiùs indulgere poſſint, 104
quis decubitus magis proprius 106. 107
ſenes longiore uti debent. 104
Somnus bonus quis, 108
corporis ſalus, 98. 99
diurnus ab Ægineta notatur, 102
ab Avicenna improbatur. 101
damnatur, 100, à Cratone commendatur. ibid. 101
à Riolano ſenibus ſvadetur, 101
eligendus quis, 102. 103
matutinus ſuaviſſimus, 103, 104
meridianus à Cratone rejicitur, 102
an noxius, 452
nocturnus utiliſſimus. 103
profundior quid indicet, 106.
malus eſt, ibid.
quandiu debeat durare, 104
quid. 95. 96
Somnus vita ſenum, 104. 105
Spiritus furioſus quis dicatur, 608. & an hydropem producat, ibid.
nitri rectif. optimũ lithontript. 576. 577
obſcuri correctio, 376. 377
ſalis coagulati laus, 678
aqua pro eo, 669
recommendatio, 249. 250
vires, ibid.

recti-

rectificat. bonum lithontripticum, 576
ſulphuris & vitrioli uſus, 387
terræ varius, 38
vitalis alimentum. 375. 376
quare in corde generetur, 375
vitrioli efficacia, 304
A. Salæ efficacia, 387
Sputa mala quæ, 128
Sputum oppreſſum ſeu retentum peſſimum, ibid.
thoracis morbos ſanat, 127
Sterilitatis & fertilitatis cauſæ, 38, 39
Sternutationis uſus, 152. 153
Stomachica medicamenta, 320
Strumæ unde, 494. 495
Strumoſi ob aquæ vitium. 65
Sudores pituitoſis proſunt, 229
Sudor febres malignas curat. 125
Sudorifera ex mineralibus, 366
ſimplicia: & compoſita, 230
Sudoris cautelæ, 468
promotio ſalutaris, 125. retenti incommoda. ibid. 126. retentio peſſima. 124. tempus, 368. 468
Sudor quibus difficulter moveatur. 468
Superſtitio olim punita, 348. 349
Sydera occultè operantur, 36
Synochus febris maligna. 321. 322
Syringatio in veſicæ calculo. 581. obſervatio circa eam, 582

T.

TAbaca an ſit errhinum, 152
Tabacæ fumatio temperata commendatur. 153. immoderata prohibetur. ibid. uſus. 150. 151. frequens quos pariat morbos, 151. nimii incommoda, 151. 152, rectus ſalutaris, 152
Tabacarii mortui. ibid.
Tamarindorum virtus, 250. 251
Tartari Emetici Minſichti uſus & recommendatio, 226
Tartaro quid occulti ineſt in Moraviâ, 495
ſcatent alimenta, 494
Tartarus cauſa colicæ, 493. 494
quid. 494. unde conſtet. 495
Taurini ſanguinis noxæ. 311
Temperati multi cur ſiat valetudinarii, 51
Teplicenſiũ thermarũ qualitates. 297. 298
Terræ mirabilis conſtitutio, 485. 486
Moravicæ ſpecifica qualitas, 487, ſemen diverſum, 486. ſigillatæ uſus, 335. 336. ſpiritûs varii, 38
Terror aliquando utilis, 141. 142
Tertianæ nothæ ortus, 233
Teſtium virtus, 21
Theriacæ vires, 341. 342. contra venena. 316. 317. uſus, 342. 343
Theriaca ſuſpecta pro ſudorifero. 366. 367. refrigerantia ei admiſcenda. ibid.
Thermarum Badenſium virtutes. 297. Carolinarum effectus. 298. inteſtina non accendant, 298. 299. 300. cur non ſitire faciant, 299. 300. differentiæ, 297
Timor aliquando prodeſt. 142
ejus effectus, 141
Tinctura antimonii forte medicamentũ. 390. cum prudentia danda eſt. 388. 389
deoppilativa Autor. 660
Tincturæ antimonii præſtantia. 387. Paracelſi de eâ opinio, 387. 388
coralliorum laus, 383. vix datur, 384
Tragæa confortativa, 380. 480. 481
& carminativa, 681
Tragus quid. 55. 56

Tripheræ Perſicæ laus in febribus malignis, 355. 356
Triſtitiæ effectus. 141
Triſtitia melancholiam incurabilem parit. 140, quid. 139. longæ vitæ nocet: ejus incommoda, 139. 140. quomodo curanda, ibid. differat à metu, 140, 141
Tritici temperamentum, 72
Triticum cibus familiaris, 28
viſcoſi eſt ſucci, 55
Turpethi operatio. 227
Tympanites acutos morbos quomodo ſequatur, 666. quibus ſit curanda, 675. per clyſter. emollient & carminativum 675. 676. nodul. laxativ. 677. potion. purgant. 676, 679. pulv. digeſtiv. 680. laxativ. & carminativ. 683. unguent. carminativ. 682. 683
Tympanites, 662. deſcriptio, ibid. quæ periculoſior, 670. 671
Tympanitici cur non ſitiant. 667
Tympaniticorum carminativum unguentum. 682. 683. mixtura carminativa, 684. pilulæ purgantes. ibid. lumborum dolores quid indicent, 669. recidiva, 671. ſymptomata. 662
Tympaniti humores conjunguntur. 662
Tympanitis cauſa. 668. diverſæ ſententiæ Autorum, 664. Jonſtoni: refellitur: Averrois: refutatur. ib. Schenckii. 665 refutatur, ib. cauſæ antecedentes, 668 curatio: quid ante eam faciendum: in eâ tria ſpectanda. 472. diæta: aër. ibid. cibi: qui noxii: potus, 673. motus & quies, 674. ſomnus: excretiones, 674. iræ: curæ: balnea. ibid.
Tympanitis ſigna diagnoſtica, pulſus, urina, 670. prognoſtica, ibid. 671

V.

VEna emulgens à calculo perforata. 151
Venæ infernæ quando ſecandæ, 174
particulares quando incidendæ, 175. quæ in quo affectu ſint ſecandæ, 173. 174. quibus ſecandæ, 169
Venæſectio an adhibenda in febribus malignis, 356. 357. 358. cum judicio eſt facienda, ib. 359. vires antè ponderandæ, 359. 360. frequentior deteſtâda. 166. 167 morbos præcavet, 163. 164. quâ horâ ſit facienda in morbis, 171. 172. quibus competat. 167. & cui ætati, ib. an pueris, ib. & ſenibus: quibus, 167. 168
Venæſectione gravidæ non abortiunt. 175
Venæſectionem ſucci crudi non petunt. 168. 169. timidi non patiuntur. 169
Venæſectione pejor ſanguis aufertur. 165. 166. ſanguis imminuitur, 164. 165
Venæſectioni an ſidera conferant, 172. 173
Venæſectionis commoda. 185. 186
Venæſectionis locus, 173. ſcopi, 359. 360 tempus duplex. 169. 170. vernum, & matutinum, 170. & quibus conditionibus, 171. uſûs, 164. 165. 166. utilitas. 117. 118
Venæſectio opportuna quid fructificet. 164. periculoſa. 187. prudenter inſtituta vitam prorogat, 181. quando omittenda, 360. 361. an præmittenda purgationi, 181. 182. & quando, 183. 184. quid. 117. refrigerat. 160. virium robur requirit. 172
Vena quibus gravidis ſecanda, 175. 176
Venarum diſcrimen in ſectione, 173. 174
rectitudo obſervanda. 174
ſublingualium inciſio utiliſſima, 175

Vena-

Venationis delectatio, 84
Venefici damnandi. 349
Venena diverſimodè corporibus communicantur, 312. per admotionem, ibid. aërem. ibid. cibum. ibid. obfactum. 313 vulnera. ibid.
Venena fortiùs & citiùs lædunt calidiores 313. ſeqq.
Veneni in corpore nati extrema malitia, 318. præſervatio, 315. 316. 324. per aërem, ibid. 325. 326. qui quomodo corrigendus. 225. per cibum & potum. 326. 327. motum & quietem, ibid. 328. pathemata, 327. poma odorifera, 325. ſacculos & ſuffumigia. ib. 326. ſomnum & vigilias, 328
Venenum in corpore natum cur peſſimum. 316. 317. an in corpore naſcatur, 318. 319. internum ſe tardè prodit. 317. 318. peſtiferum in corpore poſſe gigni. 320 321
Venenum quid. 310. triplicis eſt generis, 310. 311. quodvis ſtatim ſuffocandum. 323. ſanguinem fieri poſſe, 320. ſemen & ſanguis menſtruus fieri poſſunt. 319
Venti Meridionales mali, 34. Occidentales boni, ibid. Septentrionales corpora firmant. 34. 35
Venus immoderata nocet. 134. 135. moderata prodeſt, ibid. vitam conſervat. 133
in Veſicæ calculi curatione quid obſervandum, 574. 575
Veſicæ calculi ſigna quinque, 552
prognoſtica, 552. 553
in Veſicæ calculo Emplaſtrum, 580
Unguentum, 580. 581
Veſicæ & inteſtinorum correſpondentia, 208. 209
Veſicæ officium. 540
Veſicatoria in malignis febribus an proſint. 362. ſunt Phænigmi, ibid. quomodo tranctanda. 363
Viæ per quas humor in Aſcite in abdomen defluit: 612
Victualia unde ſumenda, 54
Vigiliæ, 95. debent eſſe longiores quàm ſomnus. 113
Vigiliarum deſcriptio, 112. immodicarum cauſa. 113. & incommoda. 114. medela. 371. neceſſitas, 112. nimiarum remedium & curatio. 114. 115. optimarum qualitas. 114. utilitas. 113
Vini differentiæ, 74. 75
immoderatè ſumpti incommoda. 77 78
laudes. 73. 74
porus ſenibus optimus, 78. 79
utilitas. 77
Vinum lac ſenum. 75
laudatur ab ætate, 77
à colore, 75. 76
ab odore. ibid. 77
à ſapore, 76.
ſubſtantia, ibid.
an melancholicis conveniat. 286. 287.
quod noceat. ibid.
eſt præſidium ſanitatis. 74
pueris venenum, 79. & cur. ibid. 80
quid. 74
ſapientiam auget, 74
Virium dignitas. 375
eſſentia. 4
Viſcera per interna confortanda. 480. per

per qualia, ibid.
Viſcerum antipraxia quid. 51. 52
Vis renum lapidifica, 540
Vis ſua rebus ſingulis ineſt. 539. 540
Vita diverſimodè deletur, 598
Vitæ brevioris cauſa. 25. calor inſitus, 154. 155
conſervationi ſervientia, 210
diffluxum impedire difficile, 156
diuturnæ promotio, 149. 160, 161
Vitæ finis quomodo, 5
intemperantia morborum mater. 586
irregularis fructus, 598
cum lampade comparatio, 597. 598
longioris & brevioris cauſa. 37. 38
Vita longa quid. 10. quo nutrimento opus habeat. 28. longioris qui ſint, 18. remedia, 154
humana candelæ ſimilis, 4. 21. & mors ſimul eunt. 5
Vitam interrumpentes qualitates peregrinæ, 155
rapiens inteſtinus hoſtis, 154
ſervandi methodus, 156
ad Vitam ſervandam duæ ſpectant cauſæ, 157
Vita quod modis abbrevietur. 309. 310
Vitri antimonii infuſi uſus, 226
Vitrioli ſpiritûs efficacia. 304
Ulcera pulmonum incurabilia, 20
Ungaricæ febres an Hippocrati fuerint notæ, 322. 323
Unguentum anodynum, 515
Cancrin. Craton. 566. 567
carminativ. 583
pro veſicæ calculo, 580. 581
Unicornu præſtantia, 365
Univerſale medicamentum an detur. 444. 445
Univerſaliſtæ fugiendi, 444
Vomitionis uſus, 225
Vomitiva, 457
indifferenter humores evacuant. 247. 248
pro naturæ varietate variant, 247
quomodo vomitum concitent, ibid.
Vomitoria, 226
cautè uſurpanda, 246. 247
Vomitûs difficilis homines per inferiora ſunt purgandi, 248. 249
Vomitus cæcitatem cauſavit. 246. facilis eſt gracilibus. 245. ab Ileo cur malus, 497. 498. non omnibus conducit. 246 an tam periculosè moveatur. 457. 459. phthiſicis obeſt. 246. præſervat à calculo. 590. & qualis. ibid. quibus conducat. 246. ſæpius eſt repetendus. 245. 246
Urinæ cum bullis malæ, 553. 554
rectè fluentis commoda, 210
retentio quos generet morbos, 123. 124
Urina quomodo provocanda, 211
ſignum fallax, 548
unde ſalſa, 547

Z.

ZIngiberis conditi efficacia. 392

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 3. lin. 29. *lege.* deſtructionem. p. 5. l. 16. noſtram eſſe. (deleatur) p. 9. l. 5 *l.* innato noxia ſubintret. p. 10. l. 26. *l* explanationum, p. 13. l. 19. *l.* à calore. p. 16. l. 22. *l.* ſenibus. ibid. l. 29. *l* conventu. p. 20. l. 17. *l.* affectu, p. 28. l. 4. *l.* nativum ibid. l. 26 *l.* ab. p. 35. l. 8. *l* æſtatis. p. 83. l. 8. *l.* rarequè. p. 89. l. 29. hominum p. 103. l. 19. *l.* complexionis. p. 111 l. 30. *l.* afflatu. p. 134. l. 17. *l.* Tetanum. p. 145. l. 21. *l* mentem. p. 148. l. 1. *l.* corraſionem. ibid. l. 23. *l.* adjuvantia. p. 149. l. 15. *l.* excutiat. p. 152. l. 29. *l.* capitis. p. 156. l. 13. *l.* Medicinæ. p. 158. l. 14. *l* ſive. p. 163. l. 5. *l.* venulæ. p. 165. l. 28. *l.* minimos, quos. p. 168. l. 18. *l.* aut ob principia. p. 171. l. 12. *l.* morbus. p. 174. l. 26. *l.* oculo dextro, ſanguinem &c. p. 194. l. 25. *l.* pauculo. p. 198. l. 9. *l.* loquar. p. 202. l. 13. *l.* frigidiorem. p. 209. l. 17. *l.* ſanguis. p. 219. l. 6. *l* idem. p. 220. l. 15. *l.* aquæ. p. 239. l. 9. *l.* modò turbant, ſed &c. p. 260. l. 31. *l.* bilis. p. 261. l. 23. *l.* excrementorum. p. 266. l. 28. *l.* adduxi, p. 285. l. 10. *l.* perdicum, p. 286. l. 2. *l.* aquatilium. p. 315. l. 26. *l.* venenorum. p. 319. l. 16. *l.* marcore. p. 322. l. 18 *l.* petechiales, p. 323. l. 20. *l.* quâ ingruunt, p. 350. l. 29. *l* phlogoſim. p. 354. l. 24. *l.* quæ ex Mercurio, p. 368. l. 3. *l.* aceto. p. 397. l. 8. *l.* illius non infrequens. p. 416. l. 4. *l.* ſcientiâ. p. 419. l. 20. *l.* febrim hecticam, p. 420. l. 7. *l.* adducito, p. 426. l. 2. *l.* melancholiæ. p. 436 l. 28. *l.* ceſſerint: p. 439. l. 31. *l.* dolores inciderint; apud &c p. 444. l. 25. *l.* globulos. p. 448. l. 29. *l.* ſuperbibatur; p. 464. l. 31. *l.* ipſi dolores: p. 493. l. 20. *l.* ductum. p. 519. l. 2. *l.* prognatus. p. 535. l. 31. *l.* tractu. p. 536. l. 26. *l.* anatomicæ. p. 560. l. 5. *l.* detergunt, p. 564. l. 32. *l.* corpora. p. 565. l. 17. *l.* inungatur; p. 572. l. 9. *l.* hærentem. p. 586. l. 22. *l.* ineundum. p. 598. l. 17. *l.* menſarum. p. 605. l. 4. *l.* hydrope. p. 622. l. 4. *l.* tenerior. p. 630. l. 10. *l.* pedumquè. p. 660. l. 13. *l.* hujusmodi.

Hæc ſunt præcipua Errata quæ irrepſerunt: ſed hæc, & ſi quæ fortè alia in benevolos ſenſati Lectoris oculos inciderint, facilè pro ſuâ prudentiâ corriget, aut non gravatè feret.

4427.B
1.50

48.1.